

P XVII - 440

NOTITIA SCRIPTURÆ SACRÆ, IN TRES PARTES DISTRIBUTA.

PRIMA PARS.

NOTITIA SCRIPTURÆ
Sacrae, in genere sumptæ.

Auctore R. P. ARNALDO MILHET,
Congregationis Doctrinæ Christianæ,
Doctore Theologo.

Qui elucidant me, vitam eternam habebunt.
Ecclesiastici 24.



TOLOSÆ,
Ex Typographia GUILLELMI-LUDOVICI
COLOMYEZ, Regis Typographi.

M. D. C. L XXXVII.

Cum Privilegio Regis & Approbatione,







ILLVSTRISSIMO
ECCLESIAE PRINCIPI
DOMINO DOM.
COSMÆ ROGERIO,
EPISCOPO
ET DOMINO LUMBERIENSI,
Regi à Consiliis, &c.

PRUDITURA in lucem meæ
Sacré Scripturæ Notitia,
PRINCEPS ECCLESIAE
ILLUSTRISSIME, non
potuit nec debuit umbram de-
serere, nisi sub tui clarissimi luminis ac nomi-
nis splendore: à quo totam suam famam; [se
quæ futura sit;] sperat: totamque suam com-
mendationem: quam ab auctore obscuro nul-
liusque nominis frustra expectaret. Memini,

PRÆSUL ILLUSTRISSIME, pro-
batam illam sapientiae tuæ antequam natam;
nec ipsis à te deneratum fuisse præsidium, quod
ambire ex tunc ausus sum, tot aliis jamdu-
rum beneficiis cumulatus. Promissum eâ cle-
mentiâ, quâ omnibus faves, & quâ me Tibi
penitus devinxisti; supplex iterum rogo patro-
ciniu[m], humiliè exorans, simulque perop-
tans; ut nec te tui consilii pœnitentia,
dicam, imperii: Me certè mei nunquam pœ-
nitentia obsequii. Sed istud mihi unicè gratula-
bor; si hinc omnes intelligent, Te non tan-
tum esse meum Mæcenatem illustrissimum,
verum etiam Auctorem hujuscem opusculi pri-
marium. Nemo est judice te, MOE CENAS
SAPIENTISSIME, qui non æstimet;
nefas omnino esse, genus istud argumenti alte-
ri dedicari, quam alicui Hierarchæ Eccle-
siastici Principatus, ut potè quibus, & utique
solis, CHRISTVS aperuit sensum ad in-
telligentiam scripturarum; sicut satis designat
in sacra cujusque ordinatione Evangeliorum
Codex Episcopi ordinati humeris superimpo-
sus; quatenus scilicet huic uni cura illo-
rumque interpretatio reservantur: Vobis,
ait Christus Apostolis, datum est nosse
mysteria regni Dei; cæteris autem in pa-
rabolis. Scio quidem & fateor, nullum esse
vestri divini ac sublimissimi ordinis, qui dig-
nissimus non sit hoc cultu meo; sive in eo

Specetur characteris dignitas eminentissima,
sive ejusdem usus sanctissimus. Dignitatem,
gradum, & characterem omnium, quos po-
suit Deus Episcopos regere Ecclesiam
suam, ut Paulus testis est in Actis Apostoloro-
rum: *Illi*osque omnes eā veneratione prosequor,
quam is solus eis denegare potest, qui fidem
omnem, ac pietatem abjecerit. Fateor libentissi-
mè omnes, & singulos, sanctitate venerabiles,
probitate atque omni virtutum exemplo cons-
picuos, doctrinā celeberrimos, zelo sui mu-
neris Episcopalis maximè insignes, suāque
electione dignissimos; sed tu primus & solus
omnium, P R A E S U L I L L U S T R I S S I M E,
ut menti, sic voto succurristi, qui primus in
corde versaris, & cui planè perspectae sunt
tuae virtutes, & dotes pastoralis officii.

Etenim in te ANTISTITES VIGILANTISSIME
semper demiratus sum illam eximiam pia-
tem; quam ut penitus excolores, primā ferè
aetate sēculo valedicens, sacram Fulensem
Religionem ingressus es; in qua tūm ista, tūm
ceteræ religiosæ virtutes, exemplaque sanctissi-
mæ vitæ, sapientia ac prudentia non vul-
gares, ad culmen dignitatum ejus evexere; ut
ibi rudimenta poneres munera pontificii. Hæc
eadem est, quæ altissimā comite scientiā, Re-
gem sapientissimum movit; ut Te ad commune
bonum Christianæ Reipublicæ, Ecclesiæ Lum-
beriensi præficeret zeli illius animarum salutis

plane conscient; tuus tot habes fidelissimos
testes, quod auditores habuisti sacræ illius elo-
quentiæ, quæ totum Orbem Gallicum imple-
visti famâ tui nominis. Testes adhuc sunt
Neophiti, pro quibus nuperrimè nullis hacce-
mùs pepercisti laboribus, curis, vigilis, con-
cionibus, & missionibus; ex quo tibi innotuit
piissimum Christianissimi Regis consilium, cui
placuit oves errantes ad Christi ovile pater-
nâ pietate reducere; arma tua spiritualia ad-
dens sine mora, gladio æquissimi & invictissi-
mi nostri Gedennis. Testes demum quoi sunt
in clero viri Ecclesiastici cujuscumque gradus
inferioris, quos in tuo Seminario verbo pascis,
præceptis imbis, & exemplo eis præludes: in
populo sexus utriusque fidèles, quos tuis visi-
tationibus assiduis, missionibus, legibusque
sanctissimis sic instituisti; ut nullibi vigeat
sanctior disciplina. In tota Diœcesi Fidei ru-
dimentis instruuntur parvuli, & rudiiores; fo-
ventur pauperes & miseri; defenduntur op-
pressi; repelluntur iniqui ac comprimuntur.
Pacem quam tua conciliavit prudentia singu-
laris, nulla scindunt schismata; procul abji-
ciuntur scandala contentionum. Eadem est
vox ovium, quæ pastoris: à malis, (si qui
sunt,) timeris ut iudex: à bonis amaris ut
parens: Te singuli reverentur: forma gregis
factus, immò omnia omnibus, apostolica om-
nes charitate complecteris, factus infirmus

*infirmis , cum languentibus mœrens , ob-
vius necessitatibus singulorum , vota suppli-
cum occupas , afflictos consolaris , sublevas
egenos , nulli non faves. Longum esset prose-
qui singula : sed nec minus innatae tibi modestiæ
onerosum. Verum qui possem præterire si-
lentio tuæ humilitatis modestiam admiran-
dam , quæ cum te faciat parvum ex maximo ,
te potuit infra te ipsum deprimere : illasque
egregias dotes , quæ te cunctis amabilem præ-
bent , quantum tibi fas est , occultare : ipsa-
que insignia pontificalis dignitatis religiosâ
veste obtegere : de qua jure dixerim , & citra
lenocinium , quod de pallio Christianorum af-
firmavit Tertullianus : tale scilicet esse ejus
privilegium , ut ante conspectum ejus improbi
mores erubescant. Humilitati nihil obstat ge-
nerosa fortitudo , quâ non tantum iura Dei &
Ecclesiæ intrepidè tueris ; sed etiam sœpè teip-
sum vicisti , juri cedens proprio. Istam ea justi-
tia comitatur , quæ te totum sic gregi tuo
addixit ; ut ne quidem ad brevissimum tem-
pus ab illo potuerit ulla ratio dimovere ; nisi
urgentissima necessitate compulsum. Non vota
amicorum , quorum tibi ingens ubique copia ,
Tolosa maximè , qui te non modò amant , sed
colunt : non aulæ regiæ innocentiores stimuli ;
in qua plures habes & numero & dignitate
tui & quissimos æstimatores : non ulla occasio
commodi temporalis. Quis enim nesciat , Te*

non semel Regiae in te munificentie tuâ moderatione animi obstitisse ; dum voluit Rex magnificientissimus ac sapientissimus tuas infulas alis infulis cumulare. Quod sanè argumentum est , non minus tua erga sacros Canones observantiae , quam gratiae quâ vates apud invictissimum Principem , simul & estimationis : addam & singularis benevolentiae , quâ te prosequitur. Is certè tua gloria tuaque felicitatis cumulus fit : non minus certè est gloriofa tua commendatio Fidei , P RÆSUL IL-
LUSTRISSIME , quim servas Ecclesie Lumberiensi Sponsæ tuae charissimæ incorruptam. Optaverat Rex providentissimus , cui res fidei , & Ecclesie non minus cordi sunt & suræ ; quam sui status florentissimi ; Te in aliam Ecclesiam transferre , ubi messis copiosior , & cui aptissimus illi videbare : hunc non latebat Diaœcsem Lumberensem , jam his legibus institutam , quibus conspicitur ; operâ tuâ minus indigere ; qnam que scatebat turmis hæreticorum ; quos eâ prudentia doctrinâ & diligentia ad sinum Ecclesiæ matris deduceres , quâ visus es brevissimo tempore in tua Diaœcse , deduxisse. Optasses & tu libentissime ; si tibi liberum fuisset : sed obstabat fides jura ta semel sponsæ tuae Ecclesiæ Lumberensi. Id circò post iteratas humillimas preces , ut decebat obsequentissimum , clementissimi Regis pietatem obtestans ; excusatit vinculum hujus

sacri connubii. Cessit precibus humillimis piissimus Imperator: maluitque Deo prius obediri quam sibi; fidem tuam comprobavit: utque omnibus significaret, judicasse se, Te vel hoc ipso dignorem affluentiam bonorum temporalium; fere circa idem tempus redditus tuos temporales auxit; certus utique optimi usus pecuniarum, quas in pauperes effundis largissime. Ceterae quo libentius prætermitto, quod forte sunt aliis minus nota. Quaecumque hactenus dicta sunt, eod magis ab omni specie adulatio[n]is recedunt, quod singuli ea in te norunt & demirantur: eoque ipse libentius attestor omnibus; quod in his acquiesco suavius; probantque dignissimum te nomine & officio, quæ implex. Propè est ut addam & hoc nostro præsidio. Etenim cum illas virtutes & dotes assiduâ scripturarum lectione ac notitiâ tibi comparaveris; proindeque vita tua sit altera Sacrae Scripturae notitia; non solum auctoritatem huic nostro opusculo conferet clarissimi tui splendor nominis: sed etiam vitæ tuæ exempla, moresque sanctissimi lectores nostros ad tui imitationem accendent, vitamque perfectam; quæ est finis lectionis hujus, summaque votorum, PRINCEPS ECCLESIAE ILLUSTRISIME, ET MOCENAS SAPIENTISSIME.

Tui humillimi obsequientissimi & addicissimi servi, atque in Christo filii.

A. MILHET Congregat,
Doctr. Christ.



NOTITIÆ SCRIPTURÆ SACRÆ. PRÆFATI O.

Ntibi offero, CATHOLICE
LECTOR BENEVOLE; non
Scripturæ Sacræ aliquam novam
expositionem aut commentaria.
Siquidem in his elaborandis de-
sudarunt hactenùs tot celeberrimi
sapientissimique Interpretes, post omnes sanc-
tos Patres, qui ab Ecclesiæ incanabulis clare-
runt, ut stellæ diversæ magnitudinis in ejusdem
Ecclesiæ cœlo; eodem spiritu afflati, quo ipsi
primævi scriptores: quamvis non eadem auctor-
itate: quorum perfe& tis elucubrationibus: ut
nihil ultra desiderari potest; ita frustra tentaret
novissimus scriptor, his aliquid addere, aut
detrahere ausu temerario prorsus: multominus
cum illis contendere, quos piè veneratur ut
sanctos: colit ut patres; audit ut magistros;
eisque subscribit ut fidelis humiliisque discipu-
lus.

Non versionem aliquam novam Scripturæ
propono, aut paraphrasim: quæ certè majorem
auctoritatem exigunt, eruditionemque profun-

P R A E F A T I O.

diorem ; quām mea sit. Non ejus arcana secrete-
tiora resero , aut singula captu difficultia expono :
istud solum proprium illorum est , quibus Deus
aperuit sensum ; ut intelligerent scripturas. Non
ei laudes attribuo , quas meretur : Nam præter-
quām quod ejus encomia omnem humanam elo-
quentiam superant , artemque dicendi ; ut per
se manifestum est : omnia hoc uno verbo inclu-
dentur : opus divinum est , seu Dei verbum
scriptum , regula fidei & morum certissima ;
quam Deus Ecclesiæ suæ tradidit suâ providen-
tiâ infinitâ. Non apologiam ejus scribo , con-
tra infideles , aut impios ipsius obtrectatores :
tum quia multi jam speciali Dei dono , in hoc
ipso triumpharunt hactenùs de hostibus qui-
buscumque quantumvis infensissimis. Tum
etiam , quia non minus de scriptura , quām de
Ecclesia verum est ; quod portæ infectorum non
prævalebunt adversus eam. *Cœlum & terra*
transibunt , ait Christus ipse , *Lucæ 21. Verba*
autem mea non transibunt. Non denique usum
pertracto , qui fieri potest cœlestis hujuscce doc-
trinæ ; sive à Theologis , ad fidci dogmata
tum statuenda , tum confirmando ; sive à con-
cionatoribus ; tam in his exponendis quæ fidei
sunt ; quām in reducendis peccatoribus de
via iniquitatis ad semitas justitiae : sive demum
à cultoribus veræ christianæque pietatis ; qui
ejus lectione assiduâ discunt in scripturis ; quid
sequi , quid fugere debeant ; ut suam perfectio-
nem juvante divinâ gratiâ consequantur. Hanc
namque viam utendi Sacris Scripturis , & qui-
dem multiplicem , aperuere jampridem peritis-
simi hujus artis quamplurimi.

Levem certè hic solum à me accipies Scrip-
turæ Sacræ , seu verbi divini notitiam seu ma-

P RÆFAT I O.

nifestationem ; qualem potui ex varia ejus lectione , sacrorumque interpretum mihi comparare ; quâ breviter doceberis ; an scriptura sit , quævè ejus necessitas , antiquitas , & finis : quæ fit ejus quidditas ; quæ ejus partes ; quæ ejus **causa** efficiens , materialis , & formalis , & quæcumque reducuntur ad hæc singula : qui librorum utriusque testamenti tituli , authores , argumenta , tūm generalia , tūm specialia capitum singulorum ; divisionesque tam generales , quam speciales istorum ; solutionesque quæstionum , ubi opus erit : atque enodationes difficultatum , quæ obiter succurrent demam annotationes , & temporum , quibus libri conscripti sunt , & idiomatis eorum primævi , & Historiæ Ecclesiasticæ , quam includunt à mundi creatione ad finem sæculorum ; de quibus distinctiæ in singularum partium prolegomenis .

Siquidem tres in partes distribuitur hic tractatus . Prima est de ipsa Scriptura in genere , seu in abstracto ; in qua inquiruntur novem præcipue . 1. Ejus existentia ; & quæ ad istam pertinent ; ut sunt necessitas , antiquitas , duratio , finis , dignitas ; ubi de ejus reparacione per Esdram investigatur . 2. Ejusdem quidditas , seu essentia ; quæ maximè definitione ipsius , ac divisione tūm in libros omnes sacros , tūm in partes essentiales ejus manifestatur ; quæ sunt Vetus & Novum Testamentum , de quibus agitur singulis in specie ; simulque invicem comparantur . 3. Sacra traditio , quæ est quoque Dei verbum non scriptum ; ut altera per alteram tūm demonstretur , tūm magis explicetur . Vbi ejus essentia , divisio , convenientia & auctoritas perscrutantur . 4. Causa ejusdem Scripture

P R A E F A T I O.

effectiva , tūm principalis , quæ est Deus , ut per se notum est ; tūm instrumentalis ; ut sunt scriptores Biblici : de quibus ostenditur modus , quo Deus eis revelavit , quæ scripserunt ; mox & ad scribendum applicuit : breviterque attinguntur aliqua de hebræo idiomate , occasione librorum bibliorum , quos constat scriptos fuisse à Moyse . 5. Ratione causæ materialis in primis triplex Scripturæ materia , simulque ejusdem editiones , & versiones veluti in genere , istarumque multiplicitas & auctoritas . Vbi ex occasione differit de prohibitione versionum lingua vernacula . 6. Quæ sit editio , seu versio latina vulgata , omnium præcipua , sola que jam authentica ; cuius quidditas , auctor , subiectum , perfectio , & dignitas manifestantur . 7. De versionibus principalioribus investigat , consequenter adhuc ad causam materialem scripturæ ; ut sunt Hebræa , Chaldaïca , Syria ca , Samaritana , Arabica , Græca illustriores ; & in specie versio Septuaginta ; ac demum Latina famosiores ultra Vulgatam . 8. Sensus scripturæ , tūm in genere , tūm in specie , hoc est litteralis & spiritualis seu mysticus : nec prætermittitur accommodatius . Qui omnes , ut cvidens est , spectant ad causam formalem . 9. Denique ejusdem interpretatio , quæ non minùs ad causam formalem ipsius reducitur ; cuius necessitas hic manifestatur , simulque cuius sit facultas eam interpretandi , mediaque quibus sit ; ac demum modi varii ejus ; & quidem præcipui .

Secunda pars est de Testamento Veteri , seu potius de libris Biblicis ejus : quorum titulos explicat , auctoresque depingit ; argumenta tam librorum quam capitum singulorum proponens ; divisiones tūm generales , tūm speciales , scruta-

P R A E F A T I O.

Chronogiam, quas libri illi continent, tempus-
scriptionis, idioma, & sacram ac divinam au-
toritatem: difficultatesque resolvit communiores.
In ista decem instituntur quæstiones. 1. Est de
Pentateucho Moysis, seu de quinque libris le-
gis; quos exponit singulos in specie; ubi de
illis in genere pertractavit. 2. Est de tribus li-
bris consequentibus; utpotè Iosuë, Iudicum
& Ruth. 3. De libris Regum quatuor in spe-
cie; ubi de his differuit in genere. 4. De libris
duobus Paralypomenon; & de duobus Esdræ,
tam in genere, quam in specie. 5. De quatuor
historialibus particularibus: scilicet Tobiae,
Judith, Esther, & Iob. 6. De libro Psalmo-
rum; de quibus tūm extrinseca, tūm intrinseca
prius exponit, quam tradat argumenta singulo-
rum, principium, auctorem, argumentum, &
numerum versiculorum. 7. Est de libris Sapien-
tialibus; qui sunt, Proverbia, Ecclesiastes,
Canticum Canticorum, Sapientia & Ecclesiasti-
cus. 8. De quatuor Prophetis majoribus, utpo-
tè, Isaia, Ieremia, Ezechiële & Danièle; qui
bus immisceatur Baruch, ob dependentiam quam
habet à Ieremia. 9. De duodecim Prophetis
minoribus: de quibus infrà. Et 10. de duobus
libris Machabæorum, tūm in genere, tūm in
specie.

Tertia denique de Novo Testamento est, seu
de libris biblicis in specie hujusce Testamenti:
ac pari modi titulos librorum argumenta illo-
rum, simulque capitulum singulorum expendit;
auctores, idioma primigenium, divinamque
corum auctoritatem; quæstiones proponit, sol-
vitque ubi opus esse visum est. Et ubique ferè
resolvit, quæ succurrunt communiores difficul-
tates. Hæc novem quæstiones includit. 1. Est

PRÆFATIO.

De sancto Iesu - Christi Evangelio in se sumptu,
veluti in genere : in qua ubi de ejus quidditate,
dignitate , eminentia , auctoritate , scriptoribus ,
idiomate , tempore , &c. assertum est : additur
evangelica chronotaxis ; quæ est observatio
temporis & ordinis verboram & factorum Christi.
2. De eodem Evangelio ut à quatuor Evange-
listis scriptum est, scilicet Matthæo , Marco ,
Luca & Ioanne : de quibus agitur siugulis in
particulari. 3. Est de Actibus Apostolorum : ubi
præsuppositis iis , quæ ad hunc sacrum librum
partinent secundùm se sumptum : tūm recen-
sentur argumenta capitum singulorum , tūm
enodantur leviores difficultates ; addunturque
resolutiones variarum quæstionum de difficulta-
tibus gravioribus. 4. De sacris Epistolis in
abstracto primūm : deinde de B. Pauli Epistolis ,
ac demūm de Canonicis , ac Catholicis adhuc in
genere sumptis. 5. De novem prioribus ejus-
dem Sancti Pauli Epistolis in specie , quas ad
Ecclesiás , seu populos varios scripsit ; hoc est de
una ad Romanos , de duabus ad Corinthios , de
una ad Galatas , de una ad Ephesios , de una
ad Philippenses , de una ad Colossenses , & de
duabus ad Thessalonicenses. 6. Est de quatuor
subsequentibus ad tres viros , seu discipulos suos
scriptis ; utpotè de duabus ad Timotheum , una
ad Titum , & una ad Philemonem. 7. De Epis-
tola ad Hebræos ; quæ ultimum inter eas locum
obtinet , propter rationes de quibus infra : de
hac sicut de libro Account diximus ; agitur in-
primis veluti in genere secundùm se sumpta :
deinde de his quæ continet in se in specie ; gra-
vioreisque demūm resolventur ejus difficultates.
8. Est de Epistolis Canonicis ac Catholicis in
specie ; utpotè de una Iacobi , duabus Petri .

P R E F A T I O.

tribus Ioannis , & una Iudæ , totidem articulis .
9. Denique de Apocalypsi B. Ioannis Apostoli :
eius nomine , titulo , auctore , auctoritate , ac
dignitate explicatis ; tūm recensentur , tūm ex-
ponuntur , quæ in singulis continentur capitili-
bus : solutioneque graviorum difficultatum
clauditur tandem tam libri hujus , quam cætero-
rum biblicorum notitia , juxta nostrum insti-
tutum .

Modus seu stylus noster non est in hoc opere
nostro omnino dogmaticus ; quantumvis finis
noster sit , rudiiores & novitios in lectione sacra
instituere ; nec more Scholastico hic procede-
tur ; licet satis aptus multis videatur ; sed mix-
tus est ex dogmatico & historico : quatenus
æquè auctoritatibus , ac argumentis propositio-
nes nostræ plerumque comprobantur . Ver-
borum phaleras ac lenocinia fugimus ; quorum
usus frequentissimus est apud Rhetores , & Hu-
manæ eloquentiæ professores ; latinam minimè
affectionamus eloquentiam : quam non curarunt ut
plurimum sacri scriptores in libris biblicis ; im-
mò nec S. August. ut dicitur , in exponendis
dogmatibus fidei , & præceptis morum ; ut potè
qui maluit argui sollecismi , dummodò caperent
populi . Totum nostrum studium , consilium
que istud est , & quidem unicum : faciliori me-
thodo , ac breviori viâ edocere , quæ nemo
Christianus possit inculpabiliter ignorare : viros
maximè Ecclesiasticos , atque ad hunc divinum
ordinem aspirantes , quorum præcipue interest ;
si tamen hoc novo auxilio indigent . Hic cum
nullo fidelium contendimus . Si quæ pugna est
cum Hæreticis , Iudæis , & Infidelibus solum
est .

Dolor fateor , & quidem maximus , qui mihi

P R A E F A T I O.

jam dudum cordi est ; videnti neglectum jaceret cœlestem illum librorum thesaurum , ut loquuntur plura Concilia ; maximè Lateran. 3. Narbon. Lyndon. Babylon. & Trident. me ad opus istud unice impulit : solumque motivum hujuscœ consilii mei suscepisti fuit , aliis parare quod mihi ante paratum optarem. Dolui sœpè , & adhuc doleo plurimum , his nostris temporibus pejus aliquid accidisse , quam sæculo S. Ioannis Chrysost. Moleste ferebat , ac querebatur docto ille sanctissimus , jam sua ætate , hoc est , vix elapso quarto Christianæ Ecclesiæ sæculo , dum adhuc ferrebat zelus fidelium ; plures reperiri , qui tunc numerum etiam ignorabant Epistolarum Beati Pauli Apostoli. Verum ò tempora ! ò mores ! quam ægrius molestiusque idem tulisset ; si prævidisset quæ nunc geruntur apud Fideles hujuscœ nostri temporis. Scilicet paucos jam esse , immò paucissimos , qui sacræ huic lectioni assidue incumbant ; qui norint numerum librorum utriusque testamenti : qui istorum Canonici , Proto-Canonici , Deutero-Canonici , quivè Apocryphi : qui illorum scriptores : quod eorum idioma primigenium : quo tempore , occasione , & sine sint singuli conscripti : quis usus eorum ; & quæ solutio difficultatum , quas objiciunt nobis hæretici , infideles , aut impii ; & quidem hoc nostro sæculo ; in quo tam ingens eruditorum multitudo : & quando ubique terrarum florent , si quando olim floruerent omnes artes , ac scientiæ ; quando tot circumferuntur versiones bibliorum , paraphrases , commentaria , expositiones varia à piis auctoribus , & eruditis , quæ in dies ferè singulos in lucem prodeunt publicam.

Intolerandum plane , ac monstro simile est :

PRÆFATIO.

audire in Scholis Philosophorum , & quidem
inter Christianos , de libris Aristotelicis decer-
tantes Philosophiaæ Magistros , usque ad supersti-
tionem : disputantes Theologos in suis Acade-
miis de numero , & ordine librorum sententia-
rum : de juris utriusque codicibus tot moveri
quæstiones : dum de libris biblicis ubique file-
tur. Incredibile certè videretur , nisi manifeste
pateret ; ubique gentium imbui animos puer-
orum à teneris , regulis grammaticæ artis , fabel-
lis , humanioribus litteris , dictis , factis , &
exemplis hominum prophanorum : scientiis &
artibus , tam mechanicis , quam liberalibus ,
humanæ vitæ necessariis , viros hujus ætatis oc-
cupari & delectari : Dum vera ars , & scientia
sanctorum negligitur , qua in Sacra Scriptura
continentur ; ac proinde in ejus notitia , & cog-
nitione ; in qua includuntur vera fides , & regu-
la morum certissima : eo utique sensu ; ut ferè
de nobis singulis istud Senecæ celeberrimum
verificetur ; nempè , quod ætas nostra defluat ,
aliis malè agentibus ; aliis nihil agentibus ; &
aliis aliud agentibus .

Verum nec stupendum minùs ; immò deflen-
dum maximè ; quod cum scriptura ipsa locis in-
numeris , seu potius auctor ejus principalis , qui
est Spiritus-Sanctus ; nos passim admoneat nos-
træ istius negligentia ; vix aliquis sit , qui tam
grave malum recogitet corde ; illique hactenùs
mederi studuerit , pro suis viribus , & facultate.
Vana protestatur idem , quæcumque extra scrip-
turam leguntur , Psalm. 118. Narraverunt ,
inquit , mibi iniqui fabulationes : sed non ut
lex tua. Promittit legem suam meditanti cuncta
prospera , Psalm. 1. ubi namque justum , hoc est
fiduciem , ac docibilem Dei discipulum , beatum

P R A E F A T I O.

prædicavit, quod, in Concilio impiorum non abierit, neque in cathedra pestilentia federit: sed contra in lege Domini sit voluntas ejus; atque in ea meditetur die ac nocte: statim adjicit; erit tanquam lignum, quod plantatum est securus decursus aquarum: quod fructum suum dabit in tempore suo; & omnia quæcumque faciet prosperabuntur. Impiis è contrà consequenter comminatur infelicia cuncta & adversa, dicens. Non sic impii, non sic: sed tanquam pulvis, quem projicit ventus à facie terre, &c. quecumque scripta sunt, ait Apost. ad Rom. 15. ad nostram doctrinam scripta sunt; ut per patientiam & consolationem scripturarum, spem habeamus. Quod etiam de Veteri Testamento intelligi debet; cum constet ex lib. 1. Machab. cap. 12. Ionatam scripsisse Spartiatis & Romanis litteras, in quibus se habere pro solatio libros sanctos expressè profitetur; suo & Iudeorum nomine. Quis post hæc expectabit aliunde vitæ solarium? quis sacræ ac divinæ lectioni scripturarum, aliud studium præponet? quod fuit certè unicum sanctorum Patrum studium, veterumque Theologorum, qui in scripturis evolvendis, legendis, exponendis, & interpretandis toti fuerunt. Fuit & fidelium Christianorum Priscorum, Anachoretarum maximè, qui tantorum Doctorum discipuli desiderio vitæ perfectionis, sæculo abrenuntiantes, & videntes contradictiones in civitatibus; in solitudines secesserunt; ut Deum loquentem ad cor suum unicè audirent, in lege ejus meditantes die ac nocte. Num aliquem nostrum tædebit eos sequi, qui nos præcesserunt, in hoc propriæ salutis studio? Nec pudebit vanas plurimas atque inutiles lectiones divinæ huic anteferre! quasi vero, eò


PRÆFATIO.

solatio minus indigeant Christiani , quam Iudei ; fideles hujus temporis , quam sancti priorum saeculorum ! Sed audio vanas ac fictiles excusationes sacram legationem parvipendentium : alios ab ea deterret minentia scripturarum ; profundum , & impenetrabile earum Pelagus , sensusque reconditus : alios ab illa removent volumina multiplicia Interpretum sacrorum ; quorum lectioni vix sufficiat vita diuturnior. Alios forte prohibitio lectionis hujus in lingua vernacula , & vulgari , iussu Tridentini Concilii laicis significata. Audio equidem ; nec tamen à meo proposito discedo. Quo enim maior est hæc eminentia scripturarum , sensusque profundiores ; eò magis assiduâ lectione indigeret : nec facit aliquid multitudo Interpretum ; nisi quod magis eos juvet , quibus vacuum est , ad scripturarum intelligentiam ; dum hæc brevior nostra notitia , compendiosam aliis præbet tractationem : de prohibitione predicta ostendetur infra , quibus , & quanto tempore facta sit. Nec laicis rudioribus , ut satis est manifestum ; parata est hæc nostra latina notitia. Eos soli ad hanc lectionem allicere intendimus , qui latinum idioma callent ; quibusve vulgata latina nusquam interdicta est. Iis providemus hoc nostro opusculo , qui idonei sunt huic sacræ lectioni , ne forte de Scriptura Sacra interroganti , idem respondeant , quod Paulo Apostolo olim Ephesi de Spiritu Sancto ; ut potè illos scripturam hactenus ignorasse ; non secùs ac isti confessi sunt , se nihil de Spiritu Sancto tunc audivisse ; ut habetur Actorum 19.

Ex his omnibus manifestum est , quis sit finis & scopus noster , in toto hoc opere ; ut potè levem tradere scripturæ intelligentiam his , quos

PRÆFATIO.

eturpe esset ac indecens omnino, quæ hæc traduntur, ignorare: novitios Ecclesiastici ordinis maxime in seminariis degentes ad ejus lectio-
nem alicere, ac pro nostris viribus juvare.
Totum Deo Optim. Max. humillimè appendo,
in perpetuum grati & obsequentis animi anathe-
ma: a quo solo est istud omne nostrum propo-
fitum: eā utique mēa fiducia; ut si aliquando
duo æra minuta pauperis viduæ in gazophylatio
reposita, non minus ipsi placuerunt; immò ma-
gis quam largæ eleemosinæ prædivitum; ita
fieri posse; ut hæc notitia scripturæ novissima,
illi non displiceat, qui solus est scrutator cor-
dium, testisque fidelissimus, & index nostrorum
consiliorum: certusque me nihil aliud quam
eius gloriam querere; sicque voluisse illi officio,
quod à me exigit mei instituti ratio, non deesse.
Totum deinde judicio ac censura sanctæ Matris
Ecclesiæ Apostolicæ ac Romanæ libentissimè
submitto: & utique ea religione; ut si iota
unum aut unus apex à Sege Catholicae veritatis
præterierit: hoc ipso à nobis revocatur, ac
prorsùs expungitur. Iam nihil mihi amplius su-
perest, quam ut lectorum compellam verbis
S. August. 1. de Trin. *Quisquis hæc legit, ubi*
pariter certus est; pergit tecum: ubi errorem
tuum cognoscit, redeat ad me: ubi meum
revocet me: ita ingrediemur simul charitatis
viam; tendentes ad eum, de quo scriptum
est; querite faciem ejus semper.



INDEX

Quæstionum & Articulorum.

P ROLEGOMENON.	pag. 1
QVÆSTIO I. De Sacra Scripture existentia, & de his que ad illam spectant.	4
ARTICULUS I. An detur Scriptura Sacra; & utrum fuerit hominibus necessaria; quæve necessitate?	5
ART. II. De antiquitate Scripturae Sacrae, ejusque dignitate sine & usu.	15
ART. III. An extent adhuc Scripturae Sacrae primævi codices: & utrum perierit ipsa totaliter aliquando.	24
ART. IV. An Scriptura Sacra fuerit aliquando ab Esdra reparata? & quomodo.	31
QVÆST. III. De Scriptura Sacra quidditate seu essentia.	38
ART. I. De Scriptura quidditate, variisque ejus nominibus.	39
ART. II. De variis & precipuis divisionibus librorum scripture.	46
ART. III. An libri Veteris Testamenti sine verè Scriptura Sacra.	53
ART. IV. Utrum Novum Testamentum sit vera Scriptura Sacra, & pars ejus essentialis.	69
ART. V. Comparantur invicem duo Testamento: Vetus scilicet & Novum.	77
QVÆST. III. De sacra Traditione.	85
ART. I. De sacra Traditione ejusque variis divisionibus.	86

INDEX.

- A R T.** II. *Utrum admittendæ sint sacre Traditiones.* 94
A R T. III. *De auctoritate sacrarum Traditionum.* 111
Q VÆST. IV. *De causa efficiente scripturarum.* 119
A R T. I. *Quis sit Auctor Scripturae Sacrae tunc principalis, tunc instrumentalis.* 120
A R T. II. *An sacris scriptoribus Deus dictaverit singula.* 127
A R T. III. *An Scriptores sacri ea cognoverint quæ Deo inspirante & dictante conscriperunt in libris biblicis: Deusque illorum moverit voluntatem, & manum applicuerit.* 135
A R T. IV. *An fuerit ars scriptoria Moysi primum concessa: & revelata ipsi aliqua lingua nova ad conscribendos libros sacros, quos edidit?* 144
Q VÆST. V. *De causa materiali scripture veluti in genere.* 157
A R T. I. *De triplici materia Sacrae Scripturae.* 158
A R T. II. *De editione ac versione librorum bibliorum.* 168
A R T. III. *De auctoritate versionum Scripturae, & usu earum.* 178
A R T. IV. *Utrum Ecclesia prohibuerit lectio nem editionum seu versionum Scripturae Sacrae, lingua vulgari & vernacula.* 185
Q VÆST. VI. *De versione latina vulgata.* 197
A R T. I. *Quæ sit versio latina vulgata Scripturae, & quis ejus Auctor, seu interpres?* 198
A R T. II. *In quibus codicibus contineatur versio latina vulgata.* 210
A R T. III. *De perfectione & integritate latina vulgata.* 222

INDEX.

- ART. IV. De auctoritate authentica vulgata: ejus prælatione suprà ceteras versiones. 236
- QVÆST. VII. De aliis editionibus Scripturae particularibus & famosioribus. 252
- ART. I. De editione Hebraica. 253
- ART. II. De editione, seu versione scripturae Chaldaica. 258
- ART. III. De editione seu versione Syriaca. 264
- ART. IV. De versione Samaritana. 270
- ART. V. De Arabica versione Scripturæ Sacrae, aliisque affinibus. 275
- ART. VI. De Græcis versionibus Scripturæ. 279
- ART. VII. De Græca versione Septuaginta Interpretum. 287
- ART. VIII. De Latinis versionibus Scripturæ ultra vulgatam. 299
- QVÆST. VIII. De sensu Scripturæ Sacrae. 308
- ART. I. De sensu Scripturæ Sacrae in genere. 309
- ART. II. De sensu litterali Scripturæ. 318
- ART. III. De sensu Scripturæ spirituali. 329
- ART. IV. Comparantur in vicem sensus litteralis & spiritualis. 336
- ART. V. De sensu Scripturæ accommodatio. 345
- QVÆST. IX. & Ultima. De interpretatione Scripturæ Sacrae. 354
- ART. I. An Scriptura Sacra sit obscura & indigeat interpretatione. 355
- ART. II. A quo fieri debeat hec Scripturæ interpretatio. 370
- ART. III. De mediis judicii Ecclesiastici circa interpretationem Scripturarum. 381
- ART. IV. De modis interpretaudi Scripturas. 391

¶



NOTITIA SCRIPTURÆ SACRÆ.

PARS PRIMA.

De Scriptura in genere sumpta.

PROLEGOMENON.

TRIPARTITA cum sit hæc nostra Scripturæ Sacræ notitia, sicut in Præfatione monuimus; propter tria quæ de ea explicanda suscepimus: quæ sunt Scriptura ipsa in genere sumpta, seu in abstracto: & deinde eadem in specie quoad libros singulos, tum Veteris, tum Novi Testamenti separatim; remissis quæ ad

A




2 N O T I T I A

elucidationem sacrorum librorum in particuli-
cari spectant ad secundam & tertiam par-
tem hujuscemodi nostri instituti. In hac prima
parte de Scriptura in se spectata agimus, ut
servetur ordo doctrinæ ; juxta quem cogni-
tio universalior debet precedere minus uni-
versalem. Hæc pars in quæstiones novem
distribuitur : Quæstiones singulæ in suos ar-
ticulos : & articuli in suas propositiones.
Prima quæstio est de Scripturæ Sacrae exis-
tentia , simulque de his quæ ad eam per-
tinent ; ut sunt ejusdem necessitas , anti-
quitas , dignitas , duratio , finis & usus.
Secunda est de ejus essentia , seu quidditate ;
ac proinde de ejus divisionibus ac partibus
essentialibus , tūm in se spectatis , tūm inter
se comparatis. Tertia de Sacra Traditione ,
quatenus per istam probatur illius existentia
potissimum : & quia ex cognitione Traditio-
nis , ac collatione cum Scriptura hæc
clarius innotescit. Est enim Sacra Traditione
verbum Dei non scriptum ; cum Scriptura
sit verbum Dei scriptum. De Traditione hic
inquiruntur essentia , divisio , existentia , con-
venientia & auctoritas. Quarta de causa efficien-
te Scripturæ , tam principali quam instrumen-
tali (finali jam præsupposita.) Et hic tractatur
de modo quo principalis , ut potè Deus , causas
Scripturæ instrumentales , ut sunt Scriptores
sacerdi , moverit & applicuerit ad ipsam scri-
bendam. Quinta de causa materiali ejusdem
Scripturæ ; hoc est , in primis de ejus tripli-
ci materia : deinde de ejus editione ac versio-
ne ut sic : mox de versionum multiplicitate ,
auctoritate & usu : demum de his quæ ad
lectionem versionum Scripturæ spectant lin-



SCRIPTURÆ SACRÆ. 3

quā vernacula, quæ pertinent, ut vides, ad causam Scripturæ materialem veluti in genere. Sexta est de versione latina Vulgata, quæ est præcipua versionum Scripturæ, solaque jam authentica: de qua investigantur quidditas, auctor, subjectum, perfectio, integritas, auctoritas, & prælatio supra quascumque cæteras. Septima, quæ adhuc ad eandem causam materialem spectat, est de versionibus particularibus principalioribus; quales sunt Hebraica, Chaldaïca, Syriaca, Samaritana, Arabica: de Græcis illustrioribus potissimum; putà, de Interpretatione Septuaginta Interpretum: & de Latinis clarioribus ultra Vulgatam. Et quia expensis cæteris Scripturæ causis, sola formalis superest, in qua conquiescat hic noster tractatus; octava est de sensu Scripturarum, quem nemo negabit sub isto genere cause contineri: De eo tractatur in genere, ac de singulis ejus speciebus & partibus. Nona denique & ultima est de interpretatione Scripturarum consequenter: quæ ad causam etiam formalem reducitur, ubi illius necessitas ostenditur in primis; deinde potestas interpretandi cuius sit, tūm de mediis ad eas interpretandas requisitis; ac demum de modis diversis interpretationis illarum.



4 N O T I T I A

THESSALONICENSIS

Q U Ä S T I O I.

*De Sacra Scriptura existentia,
& de his quæ ad illam spectant.*

CV M in hoc differant præ cæteris facultates superiores & universalissimæ ab inferioribus & minùs universalibus ; quòd istæ presupponant existentiam objecti sui ; illæ è contra eam ante inquirant ; quam de eo proprietates demonstrent : & nostra facultas sit superior ac universalissima , ratione objecti quod tractat , ut nemo inficiabitur ; consequens , immò & necessarium fuit , ut priùs Scripturæ existentia tractaretur , ac proindè quæ ad ipsam pertinent , ut sunt , sicut jam dictum est ; ejus necessitas , antiquitas , dignitas , duratio , finis , & usus . Idcirco quæritur hic in primo articulo , an detur seu existat Scriptura Sacra , fueritque necessaria hominibus , & quâ necessitate . In secundo , quæ sit ejus antiquitas , dignitas , finis & usus . In tertio , circa durationem ejus , an perierit aliquandò , & quidem vel totaliter , vel secundùm quid : simulque an adhuc existant ejus primævi Codices . In quarto , an fuerit ab Esdra reparata , & quomodo .

ARTICULUS I.

*An detur Scriptura Sacra; & utrum fuerit
hominibus necessaria, quâve necessitate.*

PROPOSITIO I.

DE fide est, dari seu existere Scripturam Sacram: in quo nec Hæretici, immo nec Iudæi dissentunt; quamvis nobiscum non convenient in numero partium ejus; hoc est, librorum sacrorum: aut eorum etiam omnium, quæ in ipsis continentur, ut infrâ dicetur. Soli renuant Infideles & impii.

Hanc nostram propositionem probat efficaciter divina Traditio prorsus irrefragabilis, quam nos à parentibus nostris accepimus: illi à suis majoribus, ascendendo ad tempora, quibus libri illi conscripti sunt, & à fidelibus suscepiti, ut verum Dei verbum dictatum hominibus ab ipso; à quo nomen Scripturæ Sacræ sortiti sunt, nobisque traditi successione perpetuâ, & numquam interruptâ; sicut tradentur adhuc posteris usque ad finem sæculorum. Etenim si humana Traditio id hactenùs obtinuit apud nos; ut nullus hominum dubitet libros Platonis, Aristotelis, &c. eosdem fuisse, versiones eorum ut veras & germanas omnes agnoscant: quis tam parum sui compos sacrae divinæ Traditioni illud negare præsumat, de Libris sacris & Biblicis? Quasi verò minus possit ista sacra Traditio apud fideles, quam

6 703
NOTITIA

ista purè humana apud omnes homines: maximè post Ecclesiæ definitionem: quæ cum sit *Columna & firmamentum veritatis*, Dei Sponsa, Spiritus - Sancti lumine & gubernatione infallibili ducta: libros illos sacros & canonicos, seu veram Scripturam Sacram, verumque Dei verbum scriptum suscepit, sive que fidelibus omnibus sub pœna anathematis fide credendum proponit, ac præcipit.

PROPOSITIO II.

Verùm quia fortè posset esse dubitatio apud illos Infideles & impios, an libri illi, quos ex Traditione divina constat ad nos pervenisse, & per venturos adhuc constabit ad posteros; an sint verè sacri, divini & canonici, verumque Dei verbum, seu Scriptura Sacra: Probatur manifestè tales esse; rùm ex eo quod contineant omnia mysteria fidei, putà Trinitatis, Incarnationis, &c. quæ sicut Deo soli cognita sunt, & quibus voluerit ipse revelare; manifestum est à Deo solo potuisse esse: Tam etiam, quia Scriptura illa, seu hi libri sacri, qui præ manibus habentur omnium, habent omnes perfectiones, quæ verbum aliquod scriptum supra vulgare omne verbum, sive angelicum sive humanum, demonstrant, verèque divinum argunt.

Harum præcipuae sunt 1. sublimitas doctrinæ: ad quam non possunt ascendere ex se nec humana nec angelica: tractat enim de Deo Vno & Trino, de Christo, de mundi Creatione, Prædestinatione, Iustificatione, &c. Proprietias complectitur, quibus futura nobis prænuntiata sunt pluribus sæculis, antequam continua-

SCRIPTURÆ SACRÆ. 7

gant : Quod ita divinum est , ut dicatur Isaïæ 41. *Annuntiate nobis ventura + & sciemus quia Dii estis vos.* 2. Est puritas & sanctitas ejusdem doctrinæ : docet namque quæcumque ad perfectam sanctitatem possunt adducere ; nec ullum genns est peccati , quantumvis leve sit , quod statim non reprobet & damnet. 3. Est ipsius gravitas , ut ex eo patet ; quod sine probationibus & argumentis tradita per simplicem rerum enunciationem , convincat tamen , & in obsequium fidei captivet intellectum lectoris. 4. Est ejus efficacia , quam satis probant tum innumeri effectus mirabiles , quos lectio Scripturæ Sacræ operata est ; ut de sua conversione tellatur S. August. lib. 8. Conf. Tum etiam triumphus , quem de humana sapientia & eloquentia prophana Gentilium Scriptura quantumvis rudis & humilis gloriose reportavit. 5. Est jucunditas , & suavitas prædictæ doctrinæ ; quibus lectores suos ac studiosos demulcit & allicit , juxta illud Psal. 118. *Quam dulcia fauibus meis eloquia tua.* 6. Est utilitas , quæ satis evidens est ex his , quæ hic mox dicta sunt ; & confirmant media quæ suggesterit ad beatitudinem supernaturalem assequendam. 7. Demum , tam rerum , quam verborum mira consensio. Siquidem in hac doctrina ac Scriptura , non solum non reperitur ulla propriè dicta contradictione , ut infrà ostendetur , sicut plerumque reperitur in scripturis hominum , sed mirabiliter consonant universa.

PROPOSITIO III.

His convincuntur fideles & quicumque nec lumen rationis, nec omnem pietatem abjecerunt. Insurgunt è contra Infideles & impii adversus nos his potissimum instantiis quinque sequentibus ; præter contradictiones quas nobis gratis opponunt in diversis Scripturæ partibus , ut videbitur. Prima est : quia , ut aiunt , plura in Scripturis dicta sunt per exagerationem ; putâ quod David & Samson leones & ursos propriis manibus discerpserint. 2. Quia in his fabulosa multa , ac prorsus incredibilia : vt v. g. colloquium Eve cum Serpente ; locutio asinæ Balaam , &c. 3. Quia aliqua in iisdem inutilia , ut v. g. quod canis Tobiae junioris caudam moverit ad accessum domini in reditu , &c. 4. Quia quædam turpia inibi leguntur , & peccati omnino exempli , & maximè quod refertur de numero Concubinarum Salomonis ejusque Polygamia ; De gestis Davidis , ut sunt raptus Bersabeæ , homicidium Uriæ , &c. Præceptum à Deo factum Osee de uxore fornicaria suscipienda. 5. Denique est humilitas ac simplicitas styli ; quæ singula à Verbo Dei , ut per se notum est , sunt omnino aliena.

Verum quam levia sint hæc singula , ac prorsus vana ; contra ea quæ diximus in 2. propositione , aperient responsones nostræ ad hæc argumenta singula. Ad primum , namque negatur , dicta fuisse per exagerationem , quæ narrantur de Samfone & de Davide ; si virtus divina spectetur , ut spectari hic debet ; quæ

SCRIPTURÆ SACRÆ. 9

viri illi fortissimi prædicta præstiterant. Et certè stupendum plane est, nostram in hac parte argui Scripturam ab Infidelibus, qui de suo Hercule tot fabulosa credidere. Ad 2. negatur similiter fabulosa esse quæ de colloquio Evæ cum Serpente recensentur, & de asina Balaam; aut impossibilia. Quis enim inficiabitur potuisse Dæmonem linguam serpentis movere ad efformandas voces humanas similes ad decipiendam primam mulierem: & Angelum pari modo linguam asinæ; ut Prophetam novitate miraculi à malo proposito deterreret, maledicendi scilicet Populo Israélitico? Certum est, apud Infideles audita olim vana oracula, quæ non nisi arte Dæmonum populos decipiebant. Ad 3. negatur adhuc inutile fuisse, quod de cane Tobiae exprimitur. Etenim per hoc & similia, Dei bonitatem Scriptura commendat, erga fidèles servos suos. Ad 4. falsum esse, quæ turpia hic objiciuntur, esse pessimi exempli; non enim hic recensentur, ut approbentur; sed ut ostendatur humana fragilitas, simulque divina misericordia in his, quos Deus liberat; & in illis justitia, quos punit. Nec certè turpe est quòd de Polygamia assertur pro tempore, quo fuit à Deo permitta ad multiplicationem Populi Israélitici. Nomine autem concubinarum non debent intelligi meretrices; benè autem uxores veræ, quæ sine solemnitate & dote assumebantur. Raptum verò Bersabeæ, & Vriæ homicidium, delevit Davidis pénitentia. De præcepto demum facto Oseæ asserit S. Augustinus fuisse mysterium: cui addi potest Prophetam duisse quidem fornicariam, sed ut talis esse de-

fineret. Ad 5. denique stylum humilem ac simplicem Scripturæ magis nobis manifestare auctorem ejus esse Spiritum - Sanctum ; quam ostendisset stylus elegans & sublimis. Illo namque Deus superbiam illorum humiliat, qui putant esse sapientes : indicatque se mundi infirma elegisse, ut confundat fortia : magisque suam omnipotentiam commendat atque omnimodam à creaturis independentiam. De hoc stylo Scripturæ hæc habet S. August. *Sicut superficie simplices refovet ; sic in mysteriis sapientes exerceat : & sicut habet in publico , unde parvulos nutritat ; sic servat in secreto , unde mentes sublimium admiratione suspendat.* Est enim fluvius planus & altus , in quo Elephas natat , & Agnus ambulat.

PROPOSITIO IV.

EX dictis hactenùs deducitur necessariam nobis fuisse Scripturam Sacram , necessitate secundū quid saltem , hoc est , valde utilē & humanæ saluti convenientem , contra Hæreticos libertinos , quorum auctores fuere Copinus & Quintinus Sutores Flandri : qui Dei Verbum scriptum rejiciebant tanquam litteram occidentem ; contendentes nobis esse satis spiritum internum ; fundati , ut sibi videbantur his verbis Apostoli , male intellectis : 2. ad Corint. 3. utpotè *Littera occidit ; spiritus autem vivificat.* Vbi , ut recte observant Interpretes , nomine litteræ non intelligit Apostolus Scripturam , seu Dei verbum scriptum ; sed solùm legem Iudeorum. , quæ post sufficientem Evangelii promulgationem facta est nobis mortifera , ideoque

SCRIPTURÆ SACRÆ. II

à Concilio Apostolorum est abrogata lex Circumcisionis. Per spiritum similiter non designavit idem Apostolus spiritum illum internum , sed gratiam , quæ in cordibus nostris diffunditur per Spiritum - Sanctum : quatenus nos per eam vivificat & justificat. Vnde ruit penitus fundamentum illorum Hæreticorum.

Nostra autem propositio non potest efficacius probari , quām supponendo in primis , quoddam jam à nobis mox suprà probatum est ; utpote voluisse Deum Verbum suum scriptum nobis tradere , immo & tradidisse. Constat namque divinā traditione ipsum sic statuisse Ecclesiam suam regere primum sola Traditione sine ulla scriptura , in lege naturæ : & deinde verbo scripto , simul & non scripto ; hoc est , simul Traditione & Scripturā , scilicet tam in Lege scripta quām in Evangelica. Hæc autem est prima convenientia , & utique extrinseca ; quæ , ut docent Theologi , sita est in eo quod ea quæ facta sunt , modo facta sint , quod Deus ipse voluit , & judicavit facienda. Convenientia autem intrinseca ipsius Scripturæ , hoc est ex ipsa petita , & non ab aliquo ipsi extrinseco , probatur subsequentibus congruentiis ; simulque ejus necessitas , de qua hic agitur.

Prima est , quam adducit S. Chrysost. Homil. 2. Genes. ubi ait. *Humani generis conditor ab initio per se ipsum hominibus loquebatur , quemadmodum homines audire possibile est.* Sic enim ad Adam venit , Caïn increpavit , cum Noë locutus est ; sic cum Abraham hospitatus. At ubi in magnam malitiam omnium hominum natura prolapsa est , neque tunc se totum ab humano genere avertit Opifex

universi ; sed quia sua familiaritate indigni fuerant , suam erga illos amicitiam renovare volens , quasi longè absentibus litteras mittit conciliaturus sibi humanum genus.

Secunda est : Quòd sicut in Republica bene ordinata est duplex jus : alterum scriptum , alterum traditum ; ita debuit esse in Ecclesia , quæ est Respublica perfecta . Fuitque congruum , ut ista Scriptum reciperet eō tempore , quòd magis indigebat : quale est in Lege scripta , veteri & novâ , hoc est , Mosaicâ & Evangelicâ : in quibus infinita ferè credenda immò & agenda proponuntur . Siquidem omnis scriptura medicamentum est oblivionis , & præsentissimum auxilium memorie .

Tertia : Quia à nullo negari potest , congruentissimum fuisse , tam Vetus quām Novum Testamentum scripto consignari ; de Veteri manifestum est , tūm propter fidem de mundi creatione , hominis præcipue , ejusque restauratione : tūm ob faciliorem Gentium & Iudeorum ad Fidem conversionem . Etenim si quis istorum ambigat de veritate & existentiâ Scripturæ Sacræ : si Iudeus sit , ei ostendatur omnes Dei promissiones , quæ leguntur in Veteri , fuisse impletas in Novo Testamento . Si Ethnicus , & de Novi Testamenti veritate convictus , propter ejus convenientiam cum veteri , inquirat à nobis unde probemus , esse vetus illud Testamentum , quod verbum Dei scriptum contineat , testes adhibemus Iudeos ipsos Fidei nostræ & Religionis hostes infessissimos : de quibus sic ordinante prævidentia divina verificatur illud Deuteronomio 32. *Inimici nostri sunt judices.* Et hæc ratio est S. Augustini cur à Deo conserventur Iudei , usque

SCRIPTURÆ SACRÆ. 13

in finem sæculorum , quo tempore suscipient fidem ; istudque evidenter deducit ex Psalm. 58^o Idem August. lib. 1. de civit. cap. 45. & Epist. 54. ad Paulin. ubi Christus inducitur , sic Patrem orans pro Iudæorum conversione , (intellige in fine mundi :) & pro ipsorum dispersione interim , ut pluribus essent testes Veteris Testamenti . Deus ostendisti mihi super inimicos meos : ne occidas eos ; nequando oblivia-
tur populi mei ; disperge illos in virtute tua . De Novo Testamento quis non videat , mirificè inservire ad pietatem excitandam in nobis , Christi dictis & factis ? utque ejus exempla sequamur , juxta illud 1. Petr. 2. *Christus passus est pro nobis ; vobis relinquens exemplum , &c.* Præterea quis neget scripto Novo Testamento evidentius refelli calumnias inimicorum christiani nominis ? impii Porphyrii in primis , qui Christo denegabat divinitatem ; vel ex eo solùm quod nec ipse se Deum testatus esset , nec ejus Apostoli : deinde cæterorum , qui primos fideles infanticidas & magos calumniabantur . Hos autem & similes refellit Novum Testamentum scriptum : ex quo infertur ejus convenientia seu necessitas .

Quarta : Quia conveniens fuit ac proinde necessarium prædictâ necessitate esse doctrinam aliquam infallibilem , quaæ cæteras scientias & disciplinas corrigat & emendet ; sunt enim , quæcumque procedunt lumine pure naturali , fallibles : cum autem constet illam non posse esse nisi doctrinam divinam , quaæ in Sacra Scriptura continetur ; consequens fuit , ut traderetur hominibus ista , & quidem necessariò , necessitate secundum quid . Hanc Scripturæ præminentiam confirmant , tūm Augustini

14 **N O T I T I A**

auctoritas , qui Epist. ad Volus. negat illas leges sapientum æquivalere isti , quæ habetur in Scriptura. *Diliges Dominum Deum tuum , &c.* *Et diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Tum eminentia ipsa Scripturæ; quâ noscitur omnes in se Philosophiæ partes continere. De Metaphysica notum est ; cum sit de rebus altissimis , atque à sensu remotissimis ; ut sunt Deus , Angeli , &c. De Physica non minus evidens est ; vel ex eo quod creaturarum omnium causæ in Dō demonstrantur. De Ethica nemo dubitare potest ; certum est enim vitam bonam & honestam non aliunde posse sanctius efformari , quam Scripturæ præceptis , quæ passim in ea includuntur ; maximè in libris Sapientialibus , Psalmis , Prophetis , &c. Nec de ipsa Logica negari potest ; quatenus prima veritas lumenque primum animæ rationalis non nisi Deus est , qui nobiscum colloquitur per Scripturas.

P R O P O S I T I O V.

Dixi necessariam fuisse Scripturam , necessitate secundum quid ; hoc est , convenientem , ut hactenus ostensum est ; sed certe necessaria non fuit necessitate absolutâ seu dictâ simpliciter. Quis enim ignorat triplicem fuisse legem ac proinde Ecclesiæ statum ? utpote naturalem , scriptam & evangelicam , in quibus fuerunt sancti & amici Dei , ut nemo refragabitur. Igitur cum in lege naturæ nulla fuerit Scriptura divina hominibus tradita , manifestum est , Scripturam Sacram non fuisse ad hominum salutem necessariam necessitate absolutâ & simpliciter dictâ. Quod enim tunc fuit factum , nemo negabit succendentibus temporibus potuisse fieri : Ergo quia sine Scriptura fieri potest

SCRIPTURÆ SACRÆ 15

salus hominum absolutè & simpliciter ; ista , ut per se evidens est , necessaria absolutè & simpliciter ad id non fuit.

Nec dicas scripturam aliquam fuisse in lege naturæ : propter auctoritatem Iudæ , qui in sua Epistola vers. 14. de Enoch , qui vixit in lege naturæ , dicit : Prophetavit de his septimus ab Adam Enoch dicens , ecce venit Dominus in sanctis millibus suis , &c. Ne , inquam , hoc dicas ; cum lex idcirco dicatur naturæ , quod in ea nulla scriptura fuerit : per quod distinguitur à Mosaica & evangelica : in illa namque præcepta & Sacra menta instituta fuere ex sola inspiratione divina sine ulla scriptura. Deinde , quia testimonium mox citatum solùm arguit , prophetiam hanc pervenisse ad tempora Apostolorum ; quod potuit solâ traditione contingere , & non scripto.

ARTICULUS II.

*De antiquitate , dignitate Scripturæ Sacræ ,
ac de ejusdem fine , & usi.*

PROPOSITIO I.

EA est Scripturæ Sacræ antiquitas , saltem quoad illam partem quæ à Moyse conscripta est ; ut libros omnes Gentilium , quorum hodie monumenta exstant , aut quorum nomina ad nos pervenerint , ætate præcedat. Testes sunt irrefragabiles hujus nostræ sententiae & patroni Sanctus Iustinus martyr , in admodum

ad Gentes, Tertulianus, Clemens Alexander, Gregorius Nissen. Ambrosius, & cæteri Patres antiquiores, quibus subseribunt Doctores Catholici recentiores: immo & prophani historici priorum saeculorum, Strabo, Tacitus, Iustinius & Diodorus, enjus auctoritas maxima est apud Græcos historicos: iste autem Moyser appellat, *magni animi virum, vitâ probatissimâ celebratum, & primum Legislatorem.*

Sed præter hæc testimonia certissima propositionem hanc nostram demonstrat ipsa Historia fides. Etenim refert Historia veterum temporum, primas Philosophorum Sectas fuisse Ionicam & Italicam: Italica Princeps dicitur Phœreides, qui primus graviter cœpit philosophari. Hujus auditor fuit Pythagoras Samius, qui venit in Italiam regnante Tarquinio Superbo, nomenque dedit Pythagoricæ Sectæ: ad quam revocatur Eleatica; sic dicta ab Elea civitate Lucaniae: cuius sectatores fuere Xenophantes, Parmenides, Melissus, Zeno, Leucippus, Democritus, & Heraclitus. Quo tempore vixit Hypocrates Medicorum Princeps. Ionicæ Princeps asseritur Thales Milesius, cui successit Anaximander; isti Agesilaüs, qui philosophiam ex Ionie transtulit Athenas. Hujus auditor fuit Socrates; Socratis Aristippus, auctor Sectæ Cyrrenaicæ. Antistenes, Cynicæ; Plato Academicæ; & Xenophon vita militaris studiosus historicæ & politicæ; eodemque tempore in sectas quatuor divisa est philosophia; utpote in Academicam quæ est Platonis: Peripateticam, quæ est Aristotelis ejus discipuli: Stoicam, Zenonis Cynici; & Epicuream, quæ est Epicuri.

Igitur cum ex eadem historia certò constet; Thaletem Principem Sectæ Ionicæ, & Phœreides

etidem Italicæ , qui subsequentes , ut per se patet , ætate præcesserunt ; scripsisse solum circa Olympiadem 51. ut referunt Historici , Moysen vero ante initium Olympiadum : quis ambigat ; istum prius scripsisse ? ac proinde omnes alios ætate præcessisse. Siquidem teste Diodoro Siculo , cui subscrribit Clemens Alexand. lib. 1. Stromat. Olympiades cœpere anno xxxxxviii. post Troiæ excidium : & Moyses vixit ac floruit multis annis ante ipsum. Addunt idem Clemens Alexand. Eusebius in Chronic. & S. Aug. lib. 18. de Civit. cap. 8. antiquorem fuisse Moysen Mercurio Trimegisto , Orpheo , Musæo , Homero , &c. qui vivebant eo tempore quo Iudices , ipsi Moysi longè ætate inferiores.

PROPOSITIO II.

Nec solum tempore Moyses præcessit tunc scriptores alios , tunc Scripturas cæteras ; verum etiam origine: ut rectè observant Cassiodorus & Theodoretus : ita ut Scripturæ reliquæ ab illa omnes ortum deducant. *Omnis splendor Rhetorica eloquentia* , ait prior , de divin. lection. cap. 1. *Omnis modi poëticæ elocutionis , qualibet varietas decoræ pronuntiationis à divinis scripturis sumpsere exordium*. Et posterior , lib. de curan. Græc. affect. *Cur non , inquit , Moysen Theologie Oceanum transimus : à quo , ut poëticè dicam fluvii & maria omnia derivantur , illinc enim Anaxagoras & Pythagoras & Plato post eos parva quædam lumina veritatis initia desumpserunt*. Et hinc est , quod sicut adverte S. Augustinus , & quidam alii sancti Patres

cum eo , aliqua legantur apud Trimegistum , Platonem , &c. quæ isti è libris sacris Moy-sis suffurati sunt. Inde etiam colligitur , quām insulè aliquando dixerit Julianus Apostata ; ut de eo referunt auctores fide digni : cum ei obla-ta fuissent sacra Biblia ; vidi , legi , negle-xi. Istud certè nihil aliud fuit , quām projectas margaritas tunc fuisse ante porcos , contra Christi prohibitionem.

PROPOSITIO III.

EX his omnibus & prædictis manifestum est , supremam esse scripturæ Sacre dignitatem , ac supra libros exterorū quocumque præminentiam. Nam præter antiquitatem ejus , de qua mox , quæ non parùm confert dignitati ipsius ; præter subjectionem omnium scientiarum , disciplinarum , & facultatum illi doctrinæ coelesti : quæ illi ancillantur omnes ; in quo sensu dicitur Sapientia eas ad arcem misisse : præter ejusdem elevationem : quæ satis demonstrat perpetuum & indefessum ejus studium , quo sancti Patres ejus intelligentiæ vacarunt sæculis omnibus ; eam ex instinctu speciali Spiritu - Sancto exposuerunt & suis commentariis illustrarunt , suisque elogiis & encomiis exornarunt , ipsam commendantes fidelibus singulis : satis superque probatur argumento omni exceptione majori : quod sit Dei verbum scriptum : à Spiritu - Sancto per scriptores sacros hominibus traditum. Hac unâ voce continen-tur quæcumque jam dicta sunt & aut dici possent , ad commendandam ejus dignitatem : verbum Dei est : prædicavi satis. Nec videri potest , quid ultra huic summae commendationi addi-

possibile sit. Illa fidei veritate convicti, ejusdemque scripturæ dignitate omnino persuasi fideles Christiani primorum saeculorum ea veneratione & reverentia ipsam excoluerunt; ut apud eos id moris esset, teste S. Paulino Nolan. ut in dextro sinistroque latere absidis in Templo, duo ubique haberentur secretaria: alterum pro sacra & venerabili Eucharistia: alterum pro libris sacris. Immo Iudei etiam nunc, legem Moysis in suis tabernaculis reponunt; ut testis est Fevardent: piaculumque grave apud illos sit, ut fuit semper; sacros codices supra nudam humum deponere, vel manibus contrectare. Miracula tacitus prætermittò, quæ sàpè Deus fecit ad comprobandam illam venerationem & reverentiam libris sacris exhibitam. De quibus lege Eusebium, Nicephor. &c. ac proinde ad confirmandam ejus dignitatem; de qua plura sancti Patres, & omnes ferè interpretes. Iam quia nihil est, quod non sit propter finem aliquem à Deo intentum, & propter usum, sit

PROPOSITIO IV.

DE fine ultimo principali extra dubium est, Scripturam Sacram non habere alium, quam Deum ipsum, ejusque gloriam. Etenim sicut creationis mundi (quem meritò librum divinorum operum appellant sancti Patres;) finis principalis fuit Deus ipse: *Qui omnia propter se operatur*: quatenus communicatio hæc divina, quæ hic elucet, ordinatur ad manifestationem divinorum attributorum: putà ipsius bonitatis, omnipotentiæ, sapientiæ, &c. ac proinde ad honorem, laudem, & gloriam Dei:

ita quia Scripturæ verba eò solum sp̄eGant, ut Dei opera, gratiæ, ac gloriæ hominibus innotescant; dum mysteria qua nos latent, manifestant: ad hoc ut hinc homines Deum melius cognoscant & glorificant; nemo inficiabitur, Deum & ejus gloriam esse finem ultimum Scripturæ principalem.

PROPOSITIO V.

Sed minus principalis est Christus, ejusque gloria: Tum, quia Christus ut homo refertur ad Deum tamquam ad caput suum, ut colligitur ex illo Apost. *Omnia vestra Christi sunt*; *Christus autem Dei*. Et expresse magis i. ad Corinth. 11. *Caput Christi Deus*. Et ex alio loco ejusdem Apostoli, utpotè ad Rom. 10. *Finis legis Christus dicatur*; patet, ipsum esse finem Scripturæ, sed sub alio fine, ideoque minus principalem: Tum etiam, quia cum Scriptura Christum ubique nobis revelet ac prædicet, ipsumque Incarnationis mystrium modò promittat in Testamento Veteri: modò manifestet in Novo, quod est opus gratiæ excellentissimum, in quo Deus sese communicat summè hominibus; utpotè, in ordine hypostatico: & tam Christus ipse, quam ejus Incarnatio ordinentur ad manifestationem divinæ bonitatis, misericordiæ, sapientiæ, charitatis, &c. constat, Christum ejusque gloriam esse finem scripturæ minus principalem. Confirmant sancti Patres, Augustinus & Chrysostomus maximè, &c. dicit iste, Homil. 10. in Marcum. *Quandò lego Evangelium, & video ibi testimonia de lege, testimonia de Prophetis, solum Christum considero*. Et ille in

Psalm. 4. & in secundam Epistolam Iohannis:
Quidquid Scripturarum est, sonat Christum;
si aures inveniat.

PROPOSITIO VI.

Finis Scripturarum proximas & immediatas
est vita æterna, seu Deus ut comparan-
dus à nobis, per media virtutum & fugam vi-
tiorum. De hoc est auctoritas Scripturæ ipsius
manifesta. Nam Ioh. 20. dicitur: *Hec
scripta sunt, ut credatis: quia Iesus est
Christus Filius Dei;* & ut credentes vitam
habeatis in nomine ejus. Quibus conponat illud
Apostoli 2. ad Timot. cap. 3. ubi de Scriptu-
ris loquens ait: *Quæ te possunt instruere
ad salutem per fidem, que est in Christo
Iesu.* Et certè, quia Deus dictavit Scriptu-
ram, ut esset objectum, & regula nostræ Fidei ac
morum: atque ideo nostrorum actionum me-
ritoriarum; cum fides nostra sit eminenter
simul practica & speculativa; & in practicis
idem sit objectum & finis: hinc sequitur ma-
nifestè finem aliquem Scripturæ esse salutem hu-
manam seu vitam æternam, seu Deum ut à
nobis comparandum per media virtutum; hoc
est per actiones meritorias & fugam vitio-
rum ac peccatorum: & quidem non finem
ultimum principalem aut minus principalem:
ergo proximum & immediatum; qui sic ordi-
netur ad Christum & isto mediante ad Deum
eiusqué gloriam: quæ est finis omnium ulti-
mus principalis & universalis, ut dictum est,

PROPOSITIO VII.

Nunc tandem de usu ; qui cum nihil aliud sit quam applicatio rei cuiuslibet ad finem suum ; patet , Scripturæ usum esse ejus applicationem ad fines prædictos. Hic autem usus Scripturæ cum possit spectari vel in ordine ad singulos fideles , vel in ordine ad totam Ecclesiam : de utroque loquuntur Scriptura ipsa & sancti Patres hic.

De primo habetur ad Romanos 15. *Quaecumque scripta sunt ; ad nostram doctrinam scripta sunt : ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus.* Sanctus Augustinus , serm. 112. de temp. dicit : *Sicut ex carnalibus cibis alitur caro , sic ex divinis eloquiis interior homo nutritur ac pascitur.* Sanctus Chrysostomus in cap. 24. Matth. In Scripturis ignorans invenit , quod discat ; contumax , quid timeat. Sanctus Hieronymus prolog. in Psalm. ait : *Habet infans quid lactet ; puer quid laudet ; adolescens quid corrigat ; juvenis quid sequatur ; senior , quid preceretur.* Hinc discant feminae pudicitiam ; populi inveniant pietatem ; viduae judicem , pauperes protectorem , advene custodem : hic Reges inveniant quid audiant ; judices quid timeant : hac tristem consolatur , letum temperat , gra:um nisiigat , pauperem recreat , divitem increpat , ut se cognoscat , &c. Et in Epist. ad Demet. Divinas Scripturas sepius lege ; immo numquam de manibus tuis sacra lectio deponatur.

De secundo usu autem , hoc est in ordine ad totam Ecclesiam , dicit Apostolus 2. ad Timoth. 2. *Omnis Scriptura divinitus inspirata*

utilis est ad docendum , ad arguendum , ad corripiendum in justitia. Etenim hinc sumunt Doctores argumenta efficacissima ad confirmandas & tuendas fidei veritates : hæc arma spiritualia suggerit & subministrat , adversus impios & infideles. Idcirco nihil mirum , si inter locos Theologicos , hic primus ponatur : *Indè sumimus* , ait Gregorius , *Homil. 15.* in *Ezechiel.* exempla præcedentium , per quæ contra adversarios nostros armemur inexpugnabiliter. Sanctus Hieronymus , Epist. citatæ , addit : *Scito in divinis Scripturis , per quas Dei solum potes cognoscere volantatem , prohiberi quædam , concedi quædam , suaderi nonnulla : prohibentur mala , præcipiuntur bona conceduntur media , persuadentur perfecta.* Per Scripturam Sacram Hæreses omnes hactenùs expugnarunt sancti Patres. Valet hæc potissimum ad impios & rebelles coercendos & corrindendos. Nam , ut rectè Ambrosius in verba ci-tata Epist. ad Timoth. *Ad hoc data est , ut proficiat imperitis , instauraret deformes , attrahat iniquos ad justitiam.* Vsum hunc confirmant diversæ figuræ Veteris Testamenti , ut satis communiter explicant interpres ; præcipue sunt puteus Iacob , qui designat aquas salutis , quæ hauriuntur e Scripturis : virgæ ejusdem Iacob decorticatae , quatenus significant in fætibus multi-coloribus , quos oves pariebant ex illarum intuitu ; bona opera & meritoria omnium virtutum : Currus igneus Eliaz , quo sicut iste in cœlum vultus ; ita per ipsas æternam consequimur salutem : Mons Sinai , in quo à Deo data est lex Moysi ; Manna seu panis Angelorum , in quo omne delectamentum , &c.

ARTICULUS III.

*An exstant adhuc Scripturæ Sacrae primævi
Codices , & utrum perierit ipsa
totaliter aliquando.*

PROPOSITIO I.

CO D I C E S Scripturæ Sacrae primævos ,
sive originales & eosdem entitativè , qui
fuere conscripti à sacris scriptoribus suis tem-
poribus , jam non extare ; & quidem à multo
tempore , communis est sententia fidelium .
Nec certè ullus est , qui contrarium affirmet :
immò si quis esset , ab eo quæri posset , ubi
nunc asservetur sacrum illud depositum : De
quo nemo prorsùs est , qui hactenùs testificatus
fit .

PROPOSITIO II.

NEc fuit utique necesse , ut illi primæ-
vi , & originales Scripturæ Codices ad
hæc nostra tempora , & infra iidem entitativè
asservarentur . Id colligitur 1. Ex eo quod cum
Deus Ecclesiæ suæ perfectissimè provideat , ac
proinde in necessariis non desit ; & constat ex
unanimi omnium consensu noluisse illos Codici-
ces in iidem materialiter membranis , ad hæc
nostra tempora , & infra ad consummationem
sæculorum conservare ; sequitur evidenter hanc
illorum conservationem non fuisse necessariam :

ut

ut satis confirmat illud Evangelii , quo Christus asserit, nec capillum de capite nostro , nec folium de arbore perire , nisi Deo sic providente. 2. Quia supposito quod illi Codices primævi in Ecclesiæ deposito fuissent asservati , non haberent plus auctoritatis ac utilitatis , quam habeant nunc eorum transumpta , usū Doctorum & Ecclesiæ judicio comprobata. Etenim sicut Ecclesiæ auctoritas debet intercedere , ut sciatur utrum Libri sacri transumpti aut traducti sint canonici, vel non canonici. [Quod non scitur viā ordinariā , & nisi per Ecclesiæ definitionem :] Ita deberet similiter eadem Ecclesiæ auctoritas definire ; an illa essent autographa , quod satis demonstrat frustrè requiri , & sine ulla necessitate ; quod fuisse debuerit per tot secula conservatio hæc originalium Scripturæ librorum miraculosa. 3. Quia dato & non concesso, quod libti illi primævi permanissent ad hæc nostra tempora ; immò usque ad mundi finem, illi iidem numero, non fuissent ubique terrarum , ubi tamen fidèles aliqui reperiuntur. Est enim Ecclesia Catholica toto orbe diffusa nunc temporis præcipue , juxta illud Psalmi 18. *In omnem terram exivit sonus eorum , &c.* Nec fuissent , ut per se notum est , in manibus omnium Fidelium , Doctorum aut Pastorum , sed in uno solùm loco determinato , & suo solùm idiomate primævo. In aliis autem terræ partibus essent solùm transumpta , & translationes seu versiones diversæ , pro populis & nationibus diversis : igitur fuisset eadem difficultas , ipsis servatis quæ effingitur ipsis non asservatis. Vnde concluditnr nullam fuisse necessitatem , ut asservarentur illi , sicut per se manifestum est.

PROPOSITIO III.

TAM quæret aliquis, si iidem numero primævi Codices Scripturæ non fuerunt ad hæc nostra tempora reservati, quomodo dicitur Ecclesiam habere propriam & eandem Scripturam, quæ fuit à Deo hominibus tradita, à Spiritu - Sancto inspirata Scriptoribus sacris? Est certè levior difficultas quam quæ possit ulli negotium facescere. Si quidem licet non exstant materialiter & entitativè iidem Codices, exstant tamen iidem formaliter in transumptis, sive ejusdem sint idiomatis, sive diversi, sive antiquioris editionis, sive recentioris: dummodo sint transumpta translata fideliter, ad judicium Ecclesiæ; sic enim idem prorsus significant: Non secùs ac dicuntur haberi in Ecclesia opera Sanctorum Patrum, Augustini, Hieronymi, Chrysostomi, Basilii, &c. quantumvis pluries transumpta & translata, de quibus nemo sanæ mentis dubitat.

PROPOSITIO IV.

SED gravior est difficultas an Scriptura quæ dicitur ab Esdra reparata, ut ostendetur articulo sequenti, perierit totaliter; ita ut nulla pars ejus superfuerit: Vel solùm secundum quid, quatenus ejus exemplaria quam plurima combusta sunt, vel concessa; vel partes dispersæ, depravatæ, aut corruptæ, de quibus agitur in hac parte secunda articuli bujus; supposito antè potuisse Deum voluisse ut aliqua, quæ fuerunt aliquando, & pro aliquo tempore, in ipsa Scriptura, ipso sic ordinante, jam non

esse, nee fuisse à longo tempore; immò potuisse eundem voluisse, ut aliqua quæ defuerant antiquioribus exemplaribus, fuerint deinde addita: ut mors Moysis, v. g. & Iosuë, in libris eorum, non utique à quibuslibet Scriptoribus, sed tantum à sacris atque à Deo inspiratis, qui est independens, tūm à Scriptoribus particularibus, tūm à temporibus, in quibus vel pro quibus illi scripsere; quibus suppositis.

PROPOSITIO V.

Asserit Scripturam Sacram numquam totalliter periisse contra Salmat, Salmer, &c. qui volunt eam penitus interiisse. Ratio demonstrativa est; tūm quia si totaliter periisset: sacra traditio numquam interrupta non probaret contra prædicta, ipsius Scripturæ existentiam. Tūm quia falsum est omnia Scripturæ volumina vel in Captivitate Babylonica temporibus Esdræ combusta fuisse, aut alio quocumque modo extinta penitus, vel in persecuzione Antiochi, longo tempore post Esdram, quæ sunt duæ illæ solum auctoritates & factæ, quibus nituntur adversarii. Priorem partem hujus argumenti postremi evincunt ipsius Scripturæ testimonia. Primum habetur 4. Regum, cap. 22. ubi narratur regnante Iosia ab Helecia Pontifice repertum fuisse Librum Legis in domo Domini; eo quod, ut testatur Lyrandum Achis librum quæreret legis ad comburendum, fuit in muro templi à Iudæis reconditus, ac deinde in ejusdem muri reparazione inventus. Secundum lib. 1. Esdræ, cap. 8. ubi habetur; populum ab ipso postulasse, ut

afferret librum legis Moysis, quem dederat Dominus Israeli: ibique additur: *Attrulit ergo Esdras legem coram multititudine virorum & mulierum.* Ex quibus manifestum est; tunc saltem volumen id exstitisse.

PROPOSITIO VI.

SEntentiam hanc nostram confirmingant tres instantiae satis efficaces: Prima est, quia constat, in Ierosolymitanō excidio sub Rege Nabuchodonosor, Iudeos omnes non fuisse detbos, nec in captivitatem adductos: ut patet exemplo Abacuc, quem refertur Angelus aportasse ē Iudea in Babylonem ad pascendum Daniēlem in Lacu Leonum, eo prandio quod paraverat Messoribus suis. De Ieremia infra dicemus, in Iudea tunc remansisse; nec tantū illi, sed etiam plures alii, qui certe non fuerunt sine libris sacris; quorum lectio- ni Iudei assiduē incumbebant. Secunda, quia dubio procul, tunc non erat minor copia librorum sacrorum apud Iudeos, quam nunc apud nos, immō major, ut nemo refragabitur: tūm, quia hæc erat specialis religio illorum: tūm etiam, quia erat illis speciale præceptum libros illos assiduē volvere, atque in his meditari. Et hinc est, quod testē Genebrando 1. Chron. ann. 3557. mundi, Moyses tredecim initio edidit exemplaria divinæ legis, unumque inter vasa sacra reposuit; reliqua vero duodecim distribuit Tribubus Israël duodecim, singula singulis, quorum statim facta sunt, ut satis patet, transumpta quamplurima. Increibile autem est, immō & moraliter impossibile, singula illa exemplaria fuissē à Chaldais

Sublata ipsis Hebreis , & igne consumpta : vel
alio quocumque modo diruta , aut extincta
penitus. Tertia , quia falsum est Babylonios seu
Chaldæos fuisse ita abominatos legem Iudeo-
rum ; ut voluerint , aut conati fuerint omnia
ejus volumina delere , aut igne consumere.
Contrarium prossim Scriptura testatur : Nam ,
libro 4. Regum , cap. 17. habetur expreſſe
Babylonios misisse in Samariam aliquos suo-
rum , qui legem illam addiscerent.

PROPOSITIO VII.

Quod autem neque in excidio Ierosolymitano , neque in persecutione Antiochi perierint totaliter omnes libri sacri ; quæ est pars posterior argumenti prædicti , non minùs evidenter patet testimonio ejusdem Scripturæ. Etenim postquam , *libro 1. Machab. cap. 1.* dictum est , *libros legis combusserunt igni* : Hoc est , jussu Antiochi. Infra , *cap. 3. de filiis Israël* , habetur , congregatos venisse in Maspha contra Ierusalem jejunasse , induisse se ciliciis ; cinerem imposuisse capiti suo , discidisse uestimenta sua , &c. additur : *Et expanderunt libros legis.* Ex quo habetur clarè & evidenter ; non fuisse combusta volumina omnia. Quod etiam confirmatur , *cap. 12.* ubi Ionatas referatur , scripsisse Spartiatis & Romanis nomine Iudeorum epistolas , in quibus asserit habere se pro solatio libros sanctos. Verum esto : combusserit Antiochus omnia exemplaria ; quæ erant Ierosolymis : non tamen ea quæ erant in Provinciis Iudeorum ; vel apud Iudeos illos . qui tunc erant toto orbe dispersi , ut testatur Philo. *de legat. ad Cai.* Horum igitur aliqua ab-

que dubio, incendium illud Ierosolymitanum subterfugissent. Taceo quod observat Genebrardus, libro 2. Chron. ad annum 3638. scilicet furorem, seu saevitiam Antiochi non potuisse nisi ad duas solū Tribus pertingere, quæ remanserant sub ditione Regum Iuda. Addit acutè Pererius: si omnes sacri Codices à Rege Antiocho fuissent combusti, unde orti essent, qui fuerunt tempore Christi & Apostolorum; & de quibus asseritur lectos, & explicatos à tempore Moysis in Synagogis Iudæorum, ac proinde antequam Esdras scripturam reparasset? Agitur siquidem de toto illo tempore, tam antecedente Esdram, quam consequente. Dicitur namque, Actor. cap. 23. Habet Moyses à temporibus antiquis in singulis civitatibus, qui eum prædicent in Synagogis: ubi per omne Sabbathum legitur. Nam quamvis Iudæis esset Tempulum unicum, quo omnes undique conveniebant ut sacra facerent: erant tamen in civitatibus singulis & oppidis ac vicis Synagogæ, in quibus per omne Sabbathum legebatur Scriptura. Quis de omnibus & singulis putet, libros omnes sic excidisse; ut nullus superfuerit, etiam eorum quos multi privatim apud se habebant? Id certè superat, & excedit prorsus humanam fidem.

Dices: Si hæc ita sint, sequitur falsum esse, quod habetur libro 4. Esdræ, cap. 14. nimirum: Positum est sacerdolum in tenebris, & qui habitant in eo sine lumine: quoniam lex tua incensa. Falsum deinde, quod asserunt aliqui sancti Patres: Scripturas scilicet interiisse, atque aliquo tempore post, ab Esdra reparatas; qui cum singula Scripturæ memoriter teneret, dixavit Scribis electis à Republica Iudæorum.

SCRIPTURÆ SACRÆ. 31

Respondeo negari utramque sequelam , cō quōd tam versus Esdræ citatus : cuius utique non est alia ratio habenda , nisi quæ habetur libri apocryphi: (ut est is liber citatus :) quān etiam assertio illorum sanctorum Patrum , intelliguntur solum de Scripturæ corruptione secundum quid: non autem de simpliciter dicta ac totali , ut fusiū artic. seq. explicabitur.

PROPOSITIO VIII.

Interim illi articulo præmittitur , ac præsupponitur , tamquam certum & indubitatum ; Scripturam Sacram fuisse corruptam secundum quid ; eo sensu de quo mox supra : id enim manifestè probat , & efficaciter ; tum ejus reparatio , & restitutio ab Esdra ; quæ necessariò aliquam corruptionem in ea factam præsupponit : tum etiam diuersæ illæ bibliorum combustiones , concissiones , depravationes , corrupciones , ex Amannenium vel negligentia , vel malitia . Quæ omnia Deo sic providente reparata fuere ab Esdra , ut docebit .

ARTICULUS IV.

*An Scriptura Sacra fuerit aliquando ak
Esdra reparata ? & quomodo ?*

PROPOSITIO I.

Nihil temerarium magis magisque impium , quām si quis vellet inficiari , divinam Scripturam fuisse ab Esdra reparatam :

transactâ Babylonicâ captivitate ; cum id ex-
pressè Scriptura testetur , lib. 1. Esdræ, cap. 10.
C. lib. 2. cap. 32. Fuit autem hic Esdras Sacer-
dos & Propheta , quo tempore Zorobabel popu-
li Iudæi Dux istum è Babylonica captivitate re-
duxit. Illum Esdram Scribam promptum in lege
Moysis misit Artaxerces Longimanus Ieroſo-
lymam ad Rempublicam Iudaicam constituendam , & Ecclesiam hanc reformandam ; eumque
multis & amplissimis muneribus cumulavit , quæ
Deo offerret suo nomine ; donavitque libertate
ingentem Iudæorum multitudinem , qui ipsum
comitati sunt Ierusalem. Illuc quod primùm ac-
cessit , facta de Iudæis inquisitione ; quâ certior
factus de eorum affinitate , & connubiis cum
mulieribus alienigenis , contra legem divinam ;
& Dei prohibitionem specialem , jejunio , lacry-
mis & confessione publicâ peccatorum , Dei
iram , justamque vindictam mitigaturus ; ipsum
oratione assidua pro omnibus deprecatus , viros
illos ab uxoribus sejanxit. Deinde Scripturas
quas invenit dispersas , in unum collegit & ordi-
navit : ac quæcumque corrupta & depravata ,
correxit & emendavit : suosque libros , de qui-
bus infra parte 2. conscripsit : aliqua præceden-
tibus , tūm addidit , tūm mutavit , ex Dei instinc-
tu & inspiratione , qui illo uti voluit ad id mu-
neris. Ex quibus evidenter probatur veritas
nostræ propositionis : quæ ut satis patet , non
potest intelligi de reparatione aliqua totali , eò
quod iusta non fuerit totalis ; sicut mox supra
ostensum est : Neque librorum omnium sacro-
rum absolutè ; sed illorum solùm qui ante ip-
sum Esdram scripti fuerant , ut per se notum est :
& vel dispersi vel corrupti erant aut degra-
vati ; quocumque modo id accidisset.

PROPOSITIO II.

Quæ reparator ille Esdras addidit : ut est v. g. enarratio mortis Moysis , *Deuter. cap. 34.* nemo dicet ipsum Moysen scripsisse , etiam spiritu propheticō : sic enim non dixisset contigisse ; sed tantum sibi revelatum fuisse , fore ut ita contingere. Quæ etiam mutavit idem , ut est nomen urbis qua *Genes. 11.* vocatur *Dan* ; cum temporibus Moysis , *Lays* diceatur. Nec fuit *Dan* appellata , nisi longo tempore post mortem Moysis , ut observant *Geographi*. Hæc inquam ejusdem auctoritatis sacræ & authenticæ sunt , ac ea quæ Moyses ipse aut alii in libris aliis scriperunt primitū cum sint ex divina revelatione , qua non minus afflatus est Esdras ; non solum inscriptione suorum librorum subsequentium , sed etiam in reparatione præcedentium.

PROPOSITIO III.

Non fuit reparatio hæc sic facta , ut volunt aliqui , ut cum libri omnes sacri , qui ante Esdram scripti fuerant , totaliter periissent , ut isti falso supponunt , Esdras ipse , qui singula verba legis memoriter tenebat , novo aliquo miraculo extraordinario dictaverit scriptoribus ad hoc electis ac deputatis : tūm quia falsum est , ut probavimus , Deum permisisse jacturam totalem librorum sacerorum ; & idecirco frustra recurritur ad hunc miraculosum modum reparandi Scripturam , per quem malè diceretur Scriptura reparata , sed melius conservata. Tūm quia probabilius videtur tam humanæ rationi ,

quam suavi ordini providentiae, & magis conforme, Deum Esdram excitasse ad colligendas Scripturæ partes dispersas & ordinandas, corrigendaque ea quæ indigerent emendatione; addenda & mutanda quæ Deus addi vel mutari voleuit: & quidem speciali assistentiâ Spiritus Sancti divinâ illustratione auxilioque supernaturali de via ordinaria, quam tenuit Deus in aliis Scriptoribus sacris.

Dices: lib. 4. Esdr. cap. 14. habetur, ipsum Esdram totis quadraginta diebus divino afflatum spiritu, dictasse quinque viris, qui summa celeritate excipiebant quæcumque ab illo dicebantur. Quod satis videtur confirmare sententiam à nobis refutatam.

Respondeo 1. librum quartum Esdræ citatum esse apocryphum, non secundum ac tertium; ut sat patet, ex eo quod Ecclesia non suscipit tamquam canonicos, nisi primum & secundum Esdræ propter fabulas Iudaicas quibus scatent tertius & quartus multis locis: ideo istorum auctoritas authentica non est. *Respondeo 2.* verba citata, non probare miraculosam illam reparationem, seu potius conservationem Scripturæ in memoria Esdræ; sed in libris omnibus combustis, (ut falso supponitur,) totaliter deperditæ. Quis enim neget potuisse Esdram dispersas partes Scripturæ, quas in unum collegit: & quæcumque in Scripturis addidit, vel mutavit ex Dei instinctu, dictasse quinque illis viris? Cunctaque parasse per dies quadraginta, de quibus hic: quæ cuncta fieri potuerunt absque miraculo illo, quod absque necessitate & fundamento admitti nec debet nec potest.

SCRIPTURÆ SACRÆ. 35

PROPOSITIO IV.

Verum observandum hic est, quæstionem nostram esse de facto solum, non autem de possibili. Quis enim neget potuisse Deum suam Scripturam conservare in memoria Esdræ, & aliorum, qui ipsum præcessissent, à corruptione interitu vel jactura totali, conservatis verbis & sensibus singulis; si permittere voluisse totalem interitum & combustionem omnium librorum sacrorum: (ut potuit, cum nulli rei creatæ alligetur;) simulque potuisse ipsi Esdræ, vel aliis inspirare, quæ adderent, vel mutarent ex assistentia & afflato Spiritus-Sancti. Sed certè illud nec voluit, ut ostensum est, immo nec velle decuit, ut satis colligitur; vel ex eo solum, quod Deus non judicavit sic esse faciendum, qui dicit, *Luc. 21.* *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Quæ licet de verbis Scripturæ litteraliter non explicentur, possunt tamen iis attribui: maximè cum Christi comminationes aut promissiones, quæ per illa verba intelliguntur, sint materia partialis scripturæ in Novo Testamento.

PROPOSITIO V.

Quod autem reparatio illa Scripturæ, quam statuimus fuerit Ecclesiæ necessaria, maximè ex eo infertur; quod cum certum sit illum secundum quid interisse, ut supra probatum est, corruptam & depravatam in multis: Et aliunde manifestum sit, voluisse Deum Iudaicam Rempublicam quæ dispersa fuerat in

Babylonica Captivitate restituere; inspirando Regi Artaxerxi eam lenitatem, quā usus est erga Iudeos; mittendo Zorobabelem, qui mania redificaret Ierusalem; & Esdrām, qui Dei cultum apud hunc populum renovaret: non potuit, ut per se notum est, hæc Respublica restitui, ac renovari sine lege Dei perfecta, quæ est ipsa Scriptura diuina, continens regulam fidei, & morum: hæc autem perfecta fuit, quandò fuit reparata, ut nulli dubium est.

PROPOSITIO VI.


Nemo tamen putet, licet ingenii solertia Esdræ mentis acies ac industria memoriaeque felicitas aliquid contulerint ad illam Scripturæ restorationem, illas tamen satis fuisse. Nam, quia libri illi sacri qui ab eo fuerunt in unum collecti, ordinati, emendati & corredi; Deo sic ordinante, divinæ auctoritatis sunt, ut potè Verbum Dei scriptum: præter ingenii Esdræ solertiam, sagacitatem, aciem, & industriam, ejusque memorie felicitatem (quas dotes fatemur in ipso maximas à Deo ei concessas:) necessaria adhuc fuit specialis assistentia Spiritus-Sancti, divinaque illustratio, idemque auxilium supernaturale & motio divina, quibus adjuti omnes alii sacerorum librorum Auctores illos scripserunt. Ratio evidens est; tūm, quia hæc instauratio Scripturæ perfecta fuit veluti ejus reproductio: tūm etiam, quia persuasio seu certa fidei convictio, quam habitueri erant fideles in posterū de veritate & perfectione ejusdem Scripturæ, aliquid ab ipso Esdræ exigebant quod excederet humanam ejus capacitatem & vires naturæ: ut sunt ista specialis

assistentia, auxilium, motio, & illustratio divina; de quibus infrā.

Nec dicas : Ad quid igitur dotes Esdræ naturales; si præter istas, adhuc supernaturales illæ requisitæ sint?

Respondeo : quia incompossibilis non sunt; & habent sua munera, seu motiva diversa. Naturales enim fuerunt ad magis commendandum ipsum scriptorem populis : & supernaturales propter ipsum opus divinum, ut excedens omnem humanam facultatem.

Si autem addas : Ad hoc ut Scriptura Sacra sit authentica, non requiritur semper divina revelatio, ut satis demonstrat exemplum Amanuensium, Traductorum, & Typographorum, quorum scripta & transumpta, si sua fideliter autographa exprimant, sunt authentica sine nova aliqua revelatione & illustratione facta ipsis; ex sola, ut dicitur, assistentia Spiritus-Sancti; ne errent sic operando. Respondeo totum illud verum esse : Magnam tamen esse disparitatem inter Amanuenses, Traductores, Typographosque Scripturæ, & Esdram ipsius Scripturæ reparatorem; quatenus iste fuit auctor proximus, non solùm librorum sacrorum, qui ejus nomine inscribuntur; sed etiam singulorum præcedentium reparatorem: quod de Amanuensi, Traductore & Typographo non potest ascri, ut clara est.





QUÆSTIO II.

*De Scripturæ Sacrae quidditate
seu essentia.*



T A T V T A Scripturæ Sacrae existentiâ, à qua incipiunt scientiæ superiores; tractatisque iis quæ ad ipsam pertinent; ejus quidditas seu essentia debet hic consequenter investigari: quærendo in primis, & quidem in 1. articulo hujuscæ quæstionis, non solum quid res ipsa sit, & in quo sita sit, sed etiam exponendo præcipua nomina, quibus insignitur. Deinde quia per divisionem manifestantur partes rei divisæ, & utique essentiales; si divisio sit essentialis, ut hic est. In 2. agetur de præcipuis ejusdem divisionibus. Mox quia divisio principalis ejus sit in Vetus & Nu-
vum Testamentum:de his veluti in genere trac-
tabitur: De Veteri in 3. articulo: De Novo
in 4. examinando utrum ambo vera Scriptura
divina sint. Demùm in 5. articulo ambo invi-
cem à nobis comparabuntur; ut ipsorum tūm
inæqualitas, tūm æqualitas dignoscantur.

ARTICULUS I.

*De essentia Scripturæ Sacræ, variisque
eius nominibus.*

PROPOSITIO I.

SCRIPTURA Sacra nihil aliud est ex omnium consensu, qui eam admittunt, quam Dei Verbum scriptum, ut continetur in Libris Sacris Canonicis & Divinis, qui fuerunt nobis à sacris Scriptoribus traditi, ex Dei speciali revelatione, assistentiâ, motione, auxilioque supernaturali; ut essent nostra regula & fideli & morum, & per eos Dei voluntatem agnosceremus. In hoc convenienter Iudæi & Hæretici communiter cum Catholicis: neque hæc nostra sententia indiget aliâ probatione.

PROPOSITIO II.

LI bri illi sacri sunt solum illi, quos ut tales suscipit Ecclesia, & ut verè divinos ac Canonicos definivit in decreto Concilii Tridentini, ut habetur expressè sessione 4. ubi præcipitur omnibus fidelibus illos solum omnes, cum partibus suis, & non alios à singulis ut tales suscipi sub pena anathematis. Decretum autem illud his verbis sequentibus exprimitur, sessione citatâ. *Sacro-sancta ecumenica & generalis Synodus in Spiritu - Sancto legitimè congregata; præsidentibus in ea iisdem tribus Apostolice Sedis Legatis; hoc sibi perpetuò ante eccl-*

los proponens , ut sublatis erroribus , puritas ipsa Evangelii in Ecclesia conservetur , &c. Sacrorum Librorum indicem huic Decreto adscribendum censuit , ne cui dubitatio suboriri possit ; quinam sint , qui ab ipsa Synodo suscipiuntur : sunt verò infra - scripti , Testamenti Veteris , quinque Moysis ; id est , Genesim , Exodus , Leviticus , Numeri , Deuteronomium , Iosue , Iudicum , Ruth , Quatuor Regum , duo Paralipomenon , Esdras primus & secundus , qui dicitur Nehemias , Tobias , Iudith , Esther , Iob , Psalterium Davidicum Centum Quinquaginta Psalmorum , Parabole , Ecclesiastes , Canticum Canticorum , Sapientia , Ecclesiasticus , Isaías , Ieremias , cum Baruch , Ezechiel , Daniēl , Duodecim Prophetarum Minores , id est Osee , Ioēl , Amos , Abdias , Ionas , Micheas , Nahum , Abacuc , Sophonias , Aggeus , Zatarias , Malachias . Duo Machabeorum , primus & secundus . Testamenti Novi quatuor Evangelia , secundum Matthaeum , Marcum , Lucam & Ioannem . Actus Apostolorum à Luca Evangelista conscripti : Quatuordecim Epistole Pauli Apostoli , ad Romanos : duæ ad Corinthios , ad Galatas , ad Ephesios , ad Philippenses , ad Colossenses : duæ ad Thessalonicenses : duæ ad Timotheum , ad Titum , ad Philemonem , ad Hebreos : Petri Apostoli duæ : Ioannis Apostoli tres : Iacobi Apostoli una : Iude Apostoli una , & Apocalypsis Ioannis Apostoli . Additur his . Si quis autem libros ipsos integros , cum omnibus suis partibus , prout in Ecclesia Catholica legi consuerunt ; & in Veteri vulgata editione habentur , pro sacris & canonicis non suscepit , & traditiones predictas sciens & prudens contempserit , anathema sit .

PROPOSITIO III.

Hinc habetur certissimè , ex quibus libris sacris coalescant sacra Biblia : ac proinde quæ sit secundùm fidem quæ appellatur Scriptura Sacra , seu Verbum Dei scriptum : ad discriben traditionis , quæ Verbum Dei non scriptum dicitur ; & re vera tale est , ut ostendetur quæstione sequenti. Nec te moveat , quod Ecclesia definierit , ac determinarit illos libros , ut canonicos & divinos : Hinc enim male colligeretur habere eos auctoritatem ab Ecclesia. Illud enim falsum est ; sed cum ipsa sit *columna & firmamentum veritatis afflata semper lumine infallibili Spiritus - Sancti , fidelibus suis ut canonicos & divinæ auctoritatis libros , jure proponit , definit & determinat : quod à sponso suo accepit lumine revelationis divinæ. Auctoritatem , & quidem divinam & habent ex se libri illi , & utique omnium supremam ; de qua sic loquitur August. Epist. ad S. Hieron. Ego solis scriptoribus , qui canonici appellantur , didici hunc timorem , honoremque deserre ; ut nullum eorum scribendo errasse firmissimè teneam. Et si aliquid in eis offendero , quod videatur contrarium veritati ; nihil aliud existimem , quam mendacem esse codicem : vel non esse assolutum interpretem , quod dictum est : vel me non intellexisse non ambigam : alios autem sic lego ; ut quantilibet sanctitate , doctrinâque polleant ; non ideo verum putem , quia ita senserunt : sed quia mihi per illos auctores canonicos , vel probabiles rationes , quod à vero non abhorreat , persuadere potuerunt. Et certè ratio hujus evidens est : nam quia de fide est libros illos sacros*

Deo auctore fuisse scriptos , qui nec falli potest propter infinitam sapientiam suam ; nec fallere , cum sit prima veritas , atque omnino infallibilis veracitas : non potuit Augustinus nec potest ullus fidelis aliter sentire de Verbo Dei scripto : quale esse Scripturam Sacram , jam diximus.

PROPOSITIO IV.

Nemo tamen interim putet , Ecclesiam hos libros biblicos , ut sacros proposuisse , & vere canonicos & divinos solùm his nostris fere temporibus in Decreto Tridentino , de quo mox . Eosdem certe prorsus enumerarunt alia Concilia tempore antiquiora , & Summi Pontifices , ut sunt Innocentius Primus in Epist . ad Exuper. Episcop. Tolosanum . Gelas. in Concil. Rom. Concil. Cartagin. 3. & Florent. Verum quia nec illi Sanctissimi Pontifices , nec mox dicta Concilia id tamquam de fide statuerant ; ut nunc statutum , ac definitum est : nihil mirum si reperiantur aliqui Sanctorum Patrum , qui de aliquibus eorum dubitaverint , quandiu non erat definitum , sed liberum de hoc disputare . Nunc verò liberum non est , nec dubitare , nec disputare ; multò minus contendere , post Ecclesiæ definitionem . Iam ut clarius adhuc manifestetur Scripturæ Sacrae quidditas seu essentia , varia ejus nomina hic recensenda sunt & exponenda .

PROPOSITIO V.

Diversa sunt nomina , quibus insignitur Scriptura : quorum expositione , non solùm ejus suprema dignitas ac excellentia nobis

innotescit, sed etiam ejus quidditas, hoc est essentia. Etenim 1. appellatur Scriptura simpliciter; quasi per excellentiam Ioan. 10. & ad Rom. 2. & quod idem est, græcè Biblia, hoc est, libri: quasi liber scripturarum solus dignus sit, qui legatur ab hominibus: cum cætera de rebus humanis scripta volumina, ut potè inanitatis plenissima, vix hoc nomen assequi debeant aut possint, ut habetur expressè, Psal. 118. Narraverunt mibi in qui fabulationes: sed non lex tua: Cui subscribens S. August. ait. Non ille innumerabiles & impie fabulæ, quibus vanorum plena sunt carmina Poëtarum, ullo modo nostræ consonant libertati: Non oratorum inflata ac expolita mendacia: non denique ipsorum Philosophorum garrule argutia, qui vel prorsus Deum non cognoverunt; vel cum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt.

2. Dicitur Scriptura Sacra: tūm quia agit de rebus sacris; ut potè divinis, & à Deo traditis per scriptores sacros: tūm quia ea quæ in ipsa continentur, debent ab omnibus sancte, & inviolabiliter custodiri; & ab omni prophano usu separari: sicut præcipit Tridentina Synodus, sess. 4.

3. Libri biblii vocantur sancti: ut habetur 1. Machab. cap. 12. *Habentes pro solatio libros sanctos.* Libri, inquam, quia plures sunt, ex quibus tamen unus coalescit liber Scripturæ: & ex his unum corpus Scripturarum constituitur, quod Bibliorum nomine Græci exprimunt in plurali, & nunc vulgè ab omnibus nuncupantur. Sancti vero, propter rationem mox dictam: quatenus res sanctas & pias includunt; vel quæ reducuntur ad illas: aut etiam quia libros quos cumque alios sanctos continent eminenter.

4. Verbum Dei scriptum nominatur communiter : inquantum ex ore altissimi prodit, hoc est, à Spiritu-Sancto sacris scriptoribus dictatum : vel quatenus Christi nobis notitiam ingreditur ; qui est Verbum Patris , & finis legis , hoc est , totius Scripturæ , per quem novissime Pater nobis locutus est , ut ait Apostolus 1. ad Hebr. & utique verbis & exemplis : in quo , ut idem testatur alibi : *Absconditi sunt omnes thesauri sapientiae & scientiae Dei* : qui nobis in scriptura manifestantur : De quo S. August. addit : *Qui est docto noster , habens cathedram in Cælo : intus corda docens ; Filius Dei , ars Patris , &c. qui potest speciem imprimere , & lumen infundere , atque virtutem dare cordi audientium.*

5. Testamentum Dei appellatur communiter : eo quod Dei & Christi voluntatem immutabilem , ac dispositionem præ se ferat : Vetus nimirum promissionem terræ fluentis lac & mel , sancitam & firmatam sanguine & morte animalium , quorum mors fuit figura immolationis Christi ; dum in sacrificiis oblata , & immolata sunt in veteri lege . Novum autem promissionem æternæ hereditatis , quæ in sanguine Christi & morte jurejurando firmata est . Ex quibus intelligis , nomen Testamenti in his apte impleri : quod in genere sumptum nihil aliud est , quam voluntas testatoris morte ipsius firmata : & quidem figurativâ in veteri lege , & reali verâ & effectivâ in lege nova : constat enim Christum , qui est finis totius legis , ut dictum est ; & ut est Deus ejusdem essentiæ cum Patre , & Spiritu-Sancto , verus Deus , & verus Homo insuper ; mortuum esse pro nobis omnibus secundum illam naturam quæ mori potuit :

suaque morte reali firmasse Novum Testamentum; immo & Vetus morte animalium, quā mors ejus figurata fuit. Propter hoc ipsum, Novum Testamentum dicitur adhuc fœdus, pactum, chyrographum, tabulae, &c. quæ idem ferè significant: nisi quod fœdus & pactum important utrinque conditiones appositas ipsis contrahentibus: in Testamento namque novo ex parte Dei, promittitur hominibus æterna felicitas: & importatur ex parte hominum, obligatio fidei & operum meritoriorum ex auxilio gratiæ. Chyrographi & tabularum ex eō nomen eidem attribuitur; quod sicut dixit S. August. apponitur hominibus; ut ipsum per singula tempora legant, suum officium addiscant, & viam teneant, quā itur ad Dei promissa, atque ad ea pervenitur. In eodem sensu idem Sanctus Augustinus, & ante ipsum Tertullianus instrumentum Dei appellat; non tamen sumpto nomine instrumenti, pro causa minus principali, sicut falsò sibi effingunt Hæretici, qui putant sic intelligendum, ut Deus eo utatur, tamquam instrumento ad operandam nostram sanctificationem: sed est signum aliquod externum, quo nobis significatur Dei voluntas: & in hoc sensu Testamentum, & alia acta publica instrumenta vocantur: Ideoque instrumentum hīc sumendum est non causaliter, sed objectivè, ut patet ex dictis.

6. Denique, quamvis latâ quidem significatiōne, tota Scriptura dicatur vulgo Lex Divina, quatenus leges divinas complectitur, seu à Deo positas: i. Iudæis, in Testamento Veteri: deinde Christianis in Novo: magis tamen communiter Testamentum Vetus donatur hoc nomine ut colligitur ex illo Matth. 11. *Lex*

& Prophetae usque ad Ioannem. Cum Scriptura Novi Testamenti communiter Evangelium appelletur, quatenus adventum Christi nobis annunciat, legemque gratiae ante promissam; quod est illud bonum nuncium, quod voce Evangelii significatur.

ARTICULUS II.

*De variis & præcipuis divisionibus librorum
Scripturae.*

PROPOSITIO I.

VARIAS esse Scripturæ seu librorum factorum divisiones, & quidem essentiales; inquantum per eas manifestantur partes essentiales, ex quibus scriptura ipsa coalescit: ostendit hic enumeratio præcipuarum, trium maximè subsequentium.

Prima est, non utique ipsius Scripturæ strictè sumptæ; sed in lata quadam significatione, ut includit tam libros sacros seu canonicos, quam non canonicos, qui estimati tamen sacri & canonici ab aliquibus færunt; licet revera omnes tales non sint, qui certè non recensentur hinc à nobis, ut inter alios admittantur; sed ut excludantur à vera Scriptura, ut ex dicendis patebit. Ista autem divisio fit in Libros Proto-canonicos, Deutero-canonicos, & Apocryphos, qui per singulas propositiones hinc explicandi sunt.

PROPOSITIO II.

Proto-canonicali vocantur illi, de quibus nulla umquam fuit dubitatio in Ecclesia Catholica, aut ulla controversia; nec proinde de illorum auctoritate: sed statim ab initio nascientis Ecclesiæ, communī omnium Patrum orthodoxorum consensu, recepti sunt; atque assumpti ad confirmanda Fidei nostræ mysteria, & mores fidelium regulandos. Ex istis, qui Veteris Testamenti sunt, diversimodè numerantur: Nam aliqui 22. solum computant; (duos aliquando, vel plures, in unum confundentes) propter 22. Alphabeti Hebraici litteras. Quidam ad 24. extendunt; eò quod littera *Iota* in eodem alphabeto repetitur, in honorem divini nominis quadri-litteri; quod Hebrei non audebant voce proferre. Idcirco quia littera hæc tria habebat loca in Alphabeto Hebraico; duos addebat numeros: atque ita, cum ex hoc 24. censerentur litteræ hebraicæ, totidem libri ab Hebreis istis numerabantur. Græci contendunt idcirco numerari libros 24. Veteris Testamenti, propter totidem litteras sui Græci Alphabeti. Multi Latinorum non ideo sic numerandos existimant hos libros; nec propter litteras Hebraicas aut Græcas utriusque alphabeti prædicti, sed propter seniores 24. quos vidit in sua Apocalypsi Ioannes Apostolus agnum attingentes, qui librum aperuit septem sigillis ob-signatum, quem nemo aperire potuerat neque in cœlo, neque in terra, præter agnum. Alii denique 27. esse volunt; (intellige, non absolute totius Scripturæ, sed solum Testamenti Veteris:) propter 22. litteras Alphabeti Hebraicis;

& quinque istius litteras , seu repetitas , seu duplices , seu bifomes : quæ hunc constituunt numerum.

PROPOSITIO III.

Sunt autem Veteris Testamenti protocanonicali : Genesis , Exodus , Leviticus , Numeri , Deuteronomium : Iosuë , Iudicium , Ruth , Regum primus , secundus , tertius & quartus : Paralypomenon primus & secundus ; Esdras , Nehemiae : Iob , Psalterium , Proverbia , Ecclesiastes , Canticum Cantorum , Izaïas , Ieremias , cum Threnis , Ezechiël , Daniël , & duodecim Prophetæ minores , qui censentur omnes uno libro includi. Numero librorum protocanoniconorum Novi Testamenti non potest hæc eadem ratio attribui : immo nec certè alia , quam quod divinâ providentiâ factum est ; ut de subsequentibus nulla fuerit haec tenus dubitatio aut controversia. Sunt autem Evangelia secundum Matthæum , Marcum , Lucam & Ioannem : Actus Apostolorum , Epistolæ tredecim Pauli Apostoli , scilicet ad Romanos , ad Corinthios prima & secunda , ad Galatas , ad Ephesios , ad Philippenses , ad Colossenses , ad Thessalonenses prima & secunda , ad Timotheum prima & secunda , ad Titum , ad Philemonem : Petri Epistola prima , & Ioannis Epistola prima.

PROPOSITIO IV.

Deutero-canonicali , qui olim Ecclesiastici dicebantur , non sunt minus sacri seu canonicali , quam præcedentes ; cum sic appellantur quasi secundò canonicali , cum alii sint primò canonicali ;

SCRIPTURE SACRAE. 49

monici ; eò quòd de Deutero-canonicis fuit
atque quando sententia anceps inter Doctores Ca-
tholicos ; & qui non statim sub ipsis Apostolo-
rum temporibus ad notitiam totius Ecclesiae
pervenerunt ; sicut deinceps suscepiti sunt , præ-
cipue postquam Ecclesia illos ut verè canonicos
proposuit suis fidelibus , & maximè post Decre-
tum Tridentini ; quo cum cæteris iussi sunt sub
pœna anathematis ab omnibus suscipi cum
omnibus partibus suis. Vnde non minùs ha-
bent auctoritatis quam Proto-canonici : suntque
reliqui omnes in Decreto illo enumerati , sive
Veteris Testamenti sive Novi , qui non expri-
muntur in ordine Proto-canonicorum , de quo
mox suprà. Sunt autem Veteris Testamenti , li-
ber Esther , Tobiae , Iudith , Baruch , Epistola
Ieremij , liber Sapientiae & Ecclesiastici ; Ora-
tio Azariae , Hymnus trium Puerorum , Historia
Belis apud Daniëlem , libri Machabæorum ,
primus & secundus. Novi vero Testamenti cap-
put ultimum Marci , Lucae historia de Christi
sudore sanguineo , & apparitione Angeli , Ioan-
nis historia de muliere adultera , Epistola ad
Hebræos , Epistola Iacobi , & Petri secunda ,
Ioannis secunda & tertia , Epistola Iudæ , &
mox dicti Ioannis Apocalypsis. Appellatos au-
tem fuisse olim Ecclesiasticos diximus ; non uti-
que alia ratione , nisi quòd in Ecclesia legeban-
tur ad instructionem fidelium.

PROPOSITIO V.

APOCRYPHI DEMUM DICUNTUR h̄c libri illi
qui in sacris quidem bibliis reponuntur ,
cum canonice permixti : qui tamen eò quòd
sunt ignotæ & incertæ auctoritatis , atque obscu-

NOTITIA

rae : (quos certè Patres Ecclesiae nec sciverint ,
nec definierint , an fuerint à sacris Scriptoribus
conscripti afflatu Spiritus - Sancti :) idcirco
non fuerunt ab Ecclesia fidelibus propositi , ut
canonici ad confirmationem Dogmatum
Christianæ Fidei ; neque ut essent regulæ mo-
rum : immò neque eos publicè legi in Ecclesia
permisum est ; sed privatim solum . Iste autem
sunt tertius & quartus Esdræ , tertius & quartus
Machabæorum , appendices librorum Esther ,
Iob , Psalterii , & Paralypomenon , & Oratio
Manassis : è quibus hæc Oratio Manassis , & duo
libri posteriores Esdræ adhuc leguntur in fine
Vulgatae Latinæ post omnes Canonicos . Ex quo
tamen nullam habent auctoritatem canonicam .
Circa quæ observandum est , appendices librorum
dictorum mox , non reputari partes illorum sus-
ceptas ab Ecclesia : sed aliquid sine ulla auctori-
tate libris illis superadditam . Ideoque quando
Decretum Trident . præcipit omnibus fidelibus
libros istos sacros suscipere cum suis partibus ;
de illis solum partibus intelligi debet , quas sus-
cipit Ecclesia : ut sunt ea solum quæ in Vulgata
leguntur in libris singulis , non autem de his
quibus illam auctoritatem non tribuit . Deinde
advertisendum adhuc libros hujusmodi apocry-
phos non appellari eo rigore , quo libri Hæreti-
corum interdicti , & damnati Decretis Pontifi-
cum ; sed latâ significatione , quatenus è nume-
ro librorum canonorum excluduntur . Sed
neque etiam putandum est ; ideo apocryphos di-
ci quod Ecclesiæ compertum non sit , quis fuerit
illorum scriptor ; cum ut infrà videbitur , sint
etiam aliqui libri canonici , de quibus haec tñs
id nondum fuit compertum .

SCRIPTURÆ SACRÆ. 51

PROPOSITIO VI.

Scunda divisio librorum sacrorum sive sunt Proto-canonicali, sive Deutero-canonicali, tūm Veteris, tūm Novi Testamenti, sit in Legales, ut sunt Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri & Deuteronomium. Historiales, qui sunt septendecim, nempē, Iosuē, Iudicum, Ruth, Regum primus, secundus, tertius, & quartus; Paralypomenon primus & secundus; Esdræ primus & secundus; Tōbias, Iudith, Esther, Iob, Machabæorum primus & secundus. Sapientiales, qui numerantur quinque, utpotè Proverbia, Ecclesiastes, Cantica, Sapientia, Ecclesiasticus. Et Prophetales, qui sunt septemdecim; scilicet David, Isaías, Ieremias, cum Threnis, & Baruch; Ezechiel, Daniël, Oseas, Ioël, Amos, Abdias, Ionas, Michæas, Nahum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias & Malachias. Similis est omnino divisio quæ hic sit librorum Novi Testamenti, in quo legales sunt quatuor Evangelia prædicta, seu libri quatuor unius Evangelii Christi: historialis, liber Actuum Apostolorum: Sapientiales, qui in Epistolis Pauli quatuordecim, & in septem canonicalis seu catholicis includuntur. Et unus Prophetalis, utpotè ipsa beati Ioannis Apostoli Apocalypsis.

PROPOSITIO VII.

Lures alias divisiones Scripturæ, quæ ad istam reducuntur, tacitus prætermitto; vel quia non sunt in libros omnes, qui verè canonicali sunt, sed in eos solū, quos auctores ha-

rum divisionum suscepere : vel quia sunt tantum librorum Testamenti Veteris ; ut sunt in primis divisio quā Sancti Epiph. & Damasc. istos dividunt in quatuor quinarios seu ordines seu classes : in quibus recensent libros quinque , vel quia tales in se sunt , vel ut ipsi computant : uniendo vel separando illos pro suo arbitrio ; & in binarium unum , quō continentur Esdras & Esther. Deinde quā Gregorius Theologus eodem libros in tres classes distribuit , prioresque duodecim Historicos nominat à Genesi ad Esdrām inclusivē , excludens Iudith & Esther ; dividens duos priores Regum , à duobus posterioribus , & ex duobus unum constituens : Secundos , Poëticos seu Carmineos ; qui sunt Iob , David , Proverbia , Ecclesiastes , Cantica : Et tertios Propheticos , ut sunt libri quatuor Prophetarum majorum & duodecim minorum , & quibus postremis unus constituitur. Denique tūm quā Sancti Hieronymi & Isidorus libros illos distribuunt in legales , propheticos , & agiographos : Tūm etiam quā Latini recentiores Scripturam hanc Veteris Testamenti dividunt in legalem , historicam , paræneticam & propheticam , quæ singula parūm conferunt ad nostrum institutum.

P R O P O S I T I O V I I I .

Tertia & principalis Scripturæ divisio est in Vetus & Novum Testamentum : ex quo habet , quod appelletur Testamentaria ; cuius ethimologiæ rationem leviter attigimus , ostendentes hoc nomen illi aptissimè convenire propter rationem illic assignatam. Iam de testamento utroque inquirendum superest ; an

verè ad Scripturam pertineat contra Hæreticos,
qui id negant. Quare sit

ARTICULUS III.

*An libri Veteris Testamenti sunt verè
Scriptura Sacra.*

PROPOSITIO I.

Multi sunt Hæretici, utpotè Simon Magus, Basilides, Carpocrates, Valentini, seu Gnostici, Ptolemaitæ, Heracleonitæ, Caiani, Arcontici, Cerdoniani, Marcionitæ, Appelleiani, Severiani, Manichæi, Bongomiles, Albanenses, &c. qui non solum negant Vetus esse veram Scripturam: sed etiam de eo ansi sunt asserere. 1. Ipsum non esse à verò Deo, sed à Diabolo: quem fingeabant esse malum Dænum Hebræorum. 2. Ad Iudæos solum, non autem ad Christianos pertinere. 3. Illud esse contaminatum falsis & fictis narrationibus Iudæorum. 4. Idem inutile esse ad Fidei confirmationem, bonisque moribus planè esse adversum. 5. Denique esse Novo Testamento prorsùs oppositum. Non autem hæc singula doceat singuli illi Hæretici, sed quædam aliqui, alia alii. Ex quibus evidenter resultaret, si vera hæc essent, non tantum Vetus Testamentum non esse veram Scripturam, sed neque ad eam ullo modo pertinere. Verum quia falsa omnino hæc ostenduntur, tūm illorum errorum refutatione, tūm responsione ad eorum argumenta contraria, sit.

PROPOSITIO II.

Falsum est Vetus Testamentum non esse à Deo bono , benè autem à malo ; præterquam quòd insulta & inepta est hæc ridicula Manichæorum insania , ac prorsùs sibi ipsi repugnans , (Deus enim , cum sit essentialis bonitas & omnimoda perfectio non potest sine evidenti contradictione malus dici aut cogitari .) Probatur claris & manifestis ipsius Scripturæ testimoniis Novi Testamenti , Vetus ipsum fuisse veram Scripturam , Deique verbum scriptum propriè dictum . Dicitur namque *Luc. 1.* in utroque Cantico Beatæ Mariæ Virginis Deipara & Zachariæ . In priori ; *Sicut locutus est ad patres nostros , Abraham & semini ejus in sæcula.* Et in posteriori : *Sicut locutus est per os Sanctorum , qui à sæculo sunt Prophetarum ejus.* Deinde Paulus Apost. ad *Rom. 1.* *Paulus Apostolus segregatus in Evangelismi , quod ante promiserat per Prophetas in Scripturis sanctis :* Et ad *Hebr. 1.* *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis.* Et ad *Galat. 4.* comparat idem Vetus & Novum Testamentum cum duobus filiis Abrahæ , dicens : *Abraham duos filios habuit , unum de ancilla , & unum de libera , &c.* addens , *quaे sunt duo testamenta.* Ex quibus clarum est , Vetus Testamentum esse à Deo , qui promisit quæcumque promissa in eo continentur , sicut Beatæ Virgini & Zachariæ revelatum est , simulque & Apostolo Paulo . Adde quòd cum totum Testamentum Vetus sit ad deducendos Dei cultores ad Christum : qui est finis legis , ut dictum est , & habetur ad *Romanos 10.* ut *Lex ipsa , seu Vetus Testamentum*

SCRIPTURÆ SACRÆ, 55

sit nobis pædagogus, ut dicitur ad Galatas: non potuit Lex illa seu Vetus Testamentum esse nisi à Deo vero: nullo autem modo à Diabolo; qui erat à Christo ejiciendus: juxta illud; *Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras*, Ioan. 12.

PROPOSITIO III.

Obijicitur in contrarium: auctor Veteris Testamenti fatetur apud Ezechiëlem se dedisse præcepta non bona: & præterea in eo constat mala multa præcipi, ut furtæ, adulteria, cædes, &c. Quomodo igitur auctor ejus potest à nobis asseri verus Deus & bonus, non autem aliquis malus?

Sed respondetur facile. Etenim quis non videat præcepta hæc non idcirco appellari non bona, quod talia sint absolute & simpliciter: multo minus quod mala sint aut dicantur; sed quia minus bona sunt, hoc est, minus perfecta, quam evangeliæ: non secùs ac quando Christus asserit in evangelio neminem esse bonum, nisi solum Deum, ejus assertio non intelligitur de omni bonitate: cum scriptum sit, initio Genesis: *Vidi ße Deum cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*; sed de bonitate solum per essentiam, quæ Deo soli competit.

Quod verò spectat ad cædes, furtæ & adulteria, quæ ibi dicuntur hominibus præcepta; quis negat Deum, qui habet jus vitæ & necis, cum sit Creator omnium, potuisse vitam auferre, reis maximè, sive ex seipso, sive hominum ministerio aut Angelorum, &c. absque ulla injustitiae suspicione? Istud enim Regibus & Principibus terræ conceditur: quantò autem magis Deo, supremo omnium Domino & justissimo

Indici? • De furtis & adulteriis quis adeo demens, ac vecors, aut impius, qui patet Deum præcepisse, quæ ubique prohibet, ut patet in locis innumeris Scripturæ?

Sed dicetur forte, numquid refertur in Exodus Deum præcepisse Israëlitis, ut spoliarent Ægyptios omnibus, quæ ab iis mutuò acceperant, & in particuliari præcepisse Osea Prophetæ, sicut ipse enarrat initio suæ prophetiæ, ut auctorem fornicariam assumeret, & ex ea gigneret filios fornicationis.

Respondeo in his Deum, nec furtum, nec adulterium præcepisse: Non utique furtum, tūm, quia cum ipse sit supremus ac propriè dictus Dominus omnium, juxta illud Psalm. 23. *Domini est terra & plenitudo ejus: orbis terrarum & universi qui habitant in eo,* potuit auferre Ægyptiis, & concedere Israëlitis, quæcumque ab ipsis asportarunt ipso sic jabente. Tūm etiam, quia plura suis laboribus Israëlite meruerant, quam ea quæ acceperunt: nec suam retributionem poterant ullā aliā viā ab Ægyptiis repeterē ac recipere, qui eos injustā tyranide opprimebant. De Osea negatur, adulterium fuisse ejus cum Gomer connubium Deo sic imperante, ob mysterium per hoc significatum, ut observat S. Augustinus. Nam quamvis Gomer fuerit meretrix ante illud matrimonium, non tamen postea: & certè si filii quos ex ea suscepit deinde Propheta, dicantur filii fornicationis, istud solùm intelligi debet, quatenus erant filii matris, quæ antea fornicaria fuerat, non autem tunc; sed illos ex matrimonio legitimo genuerat.

- Instabitur forsitan adhuc: Quomodo de Deo, qui est Auctor Testamenti Veteris, dicitur à Pro-

pheta Isaia, *Excæca cor populi & aures ejus agrava*; ne forte intelligat, & sanetur, &c. que aliquam iniqutatem & tyrannidem innuere videntur.

Respondeo: Quia, ut docet S. Augustinus exæcatio hominum impiorum, obduratio & obstinatio, &c. non sunt à Deo, ut impertiente malitiam, sed ut denegante suam gratiam impiis illis propter eorum demerita; quibus dicitur ab ipsa scriptura: *Perditio tua ex te Israël: tantummodo in me auxilium tuum.*

PROPOSITIO IV.

Non minus falsum est Vetus Testamentum ad Christianos non pertinere; sed ad Iudeos solum, ut perperam contendunt prædicti Hæretici. Totum istud ex eo manifestum est, quod promissiones omnes à Deo factæ in Veteri Testamento sint magis pro Christianis, qui verè Israëlitici sunt, contenti in Abraham semine, & hæredes fidei ipsius, quam pro Iudeis; qui solum filii sunt ejusdem Abraham secundum carnem, non autem hæredes Fidei illius, cum in Christum non credant, ut credunt Christiani. Idcirco ait Apostolus ad Rom.

15. *Dico Christum fuisse ministrum Circumcisionis ad confirmandas promissiones Patrum, &c.* Ad Galatas 3. *Dictæ sunt promissiones Abrahæ, & semini ejus: Non dicit & seminiibus, quasi in multis; sed quasi in uno, & semini tuo, qui est Christus, &c.* Et 2. ad Corinthios, cap. 3. *Visque in hodiernum diem id ipsum velamen in lectione Veteris Testamenti manet non revelatum; quod in Christo vacatur, &c.* Ex quo loco postremo constat,

nec Iudæos ipsos promissiones intelligere, quas perfectè intelligent Christiani: dum vident impleta in Novo Testamento, quæ fuerant promissa in Veteri. Vnde ex S. Augustino, lib. 6. contra Faustum cap. II. *Lex vetus magis est propter eos, quibus manifestatur; quam propter illos in quibus figurabatur.* Quid clarius pro veritate sententia nostræ?

PROPOSITIO V.

Obijicitur tamen ab adversariis multa esse in Testamento Veteri, quæ nullatenus competunt Christianis; ut sunt Sacra menta illius legis; Præcepta saltem Cærimonialia, promissio terræ Canaan, & cæterorum temporalium honorum; cum Fidelibus Christianis promittatur solum hæreditas æterna, cœlestis & supernalis. Quibus videtur satis confirmari Testamentum hoc pro solis Iudæis fuisse; minimè autem pro Christianis.

Respondeo promissiones illas mox citatas non fuisse factas Christianis immediate, sed Iudæis, ut clarum est: benè tamen mediate & figurativè; ut patet de ipsis Sacramentis veteris Legis, quæ nostra figurabant. De præceptis cærimonialibus similiter, sicut de possessione terræ Canaan, & finitimarum Regionum, non negatur hæc cuncta fuisse Iudæis, primò & immediate à Deo proposita; & quidem illa præcepta cærimonialia; eo sensu, ut graviter peccaret Christianus, qui ea nunc observaret, post novæ legis promulgationem. Verum quia Fidelibus Christianis promissus est Christus, & possessio æternæ felicitatis, expugnatio

hostium, &c. quæ istis figurata sunt: omnino perperam contenditur illa nullatenus ad Christianos pertinere.

Vrget adversus nos Faustus Manichæus, non observari à Fidelibus Christianis eas conditiones, quæ debuerunt ab hæredibus Testamenti Veteris observari: cum nec circumcidantur, nec abstineant à cibis vetitis per illam legem; ex quo infert Testamentum hoc Christianis non competere. Verum quām male sic inferatur ab adversariis, ex eo ultrò convincitur; quod ab illis falso supponitur, prædictas fuisse conditiones pro hæredibus Testimenti Veteris: Erant certe leges latæ pro Iudæis, ac proinde ab his observandæ, non autem conditiones pro omnibus hujuscce Testimenti hæredibus: è quorum numero, nec possunt, nec debent excludi Christiani: quia ut dictum est ex Sancto Augustino, quæ in veteri lege figurabantur, reperiuntur impleta in hac nova lege: maximè Christi venturi promissio, ad quem cætera quæcumque ordinantur.

Instant Hæretici, non extare in Veteri Testamento hanc promissionem; quia, ut aiunt, si alicubi exstaret, maximè in illo vaticinio Moysi facto Deuteron. 18. *Prophetans suscitabo eis similem tibi;* quod de Christo, ut aiunt, nequit intelligi, qui nec Propheta fuit, nec Moysi similis. Etenim Moyses fuit homo solùm; Christus verò Deus & Homo: Christus sanctus & impeccabilis; Moyses peccator: Christus de Virgine natus & de Spiritu - Sancto conceptus, ut Fides docet; Moyses autem natus & genitus, ut cæteri hominum, &c. Sed quām levis & puerilis sit ista instantia, nemo non videt. Quis enim ferat promissionem Christi venturi non

extare in Veteri Testamento ; in quo nihil frequentius legitur, ut patebit expedenti. Verum, esto ; sit locus citatus unicus ; ubi fiat salutaris illa promissio. Vnde quæso habent adversarii, quod Christus non fuerit Propheta, de quo dicitur, *Luc. 24.* *Vir Propheta potens in opere & sermone :* docentque communiter Theologi in Christo fuisse lumen propheticum ; non utique obscurum, aut transiens, sicut in Prophetis aliis, sed clarum & permanens. Deinde cum similitudo Christi cum Moysè non debeat esse in omnibus, sed in aliquibus ; non seculis ac quandò dicitur leo, agnus, petra, &c. hoc est, istis aliqualiter similis : constat in hoc fuisse Moysèm Christo similem, quod sicut Moyses liberavit à captivitate Populum Israëliticum ; sic & quidem nobiliori modo, suos Christus liberat à jugo peccati & servitutis.

PROPOSITIO VI.

Falsum quoque est Vetus Testamentum, (*intellige verum & correctum,*) esse contaminatum falsis & fictis narrationibus Iudæorum, Ad quid enim misisset Christus *Ioan. 5.* Doctores & Legisperitos ad Vetus Testamentum, tamquam ad fontem veritatis ; si esset sic contaminatum ? Dicit illic namque *Scrutinii Scripturarum :* *quia ipse testimonium perhibent de me.* Adde quod genealogia Christi ex Veteri Testamento in Noyo contextitur, *Matth. 1.* & *Luc. 3.* Paulusque, cap. *11.* ad Hebr, brevissimo Veteris Testamenti compendio omnes ferè historias ejusdem Testamenti attingit à principio Geneseos usque ad finem libri secundi Machabæorum fidei effectus recensens.

PROPOSITIO VII.

Obijicitur ab adversariis in contrarium: Paulum Apostolum appellare prophanas & aniles fabulas, falsasque genealogias, quæ continentur in Testamento Veteri, 1. ad Tim. 4. 2. ad Timoth. 2. & ad Titum 3. Additurque præter colloquium Evæ cum serpente, & locutionem asinæ Balaam, fabula lignorum seu arborum, quæ convenerant simul, ut Rhamnum sibi Regem constituerent; ut habetur Iudic. 9.

Respondetur vero: Apostolum locis citatis non posse intelligi de ipsa Scriptura Veteris Testamenti; cum ibidem ejus doctrinam, & studium laudet & commendet maximè Timotheo. De colloquio Evæ cum serpente, & locutione asinæ Balaam, suprà ostensum est fabulosa non esse; nec incredibile aliquid continere Deo sic volente. De fabula seu apolojo descripto capite citato libri Iudicium, fateor fabulam fuisse; non quam Spiritus - Sanctus proposuerit, ut verum factum; sed usus est in scriptore hujus libri hoc modo tropico, quo narratur, quomodo Ioatan, de quo hic agitur, inducitur; volens hoc apolojo populum Sichem abducere à fratre suo Abimelech, qui Imperium urbis Sichem tyrannice usurpaverat, interfectis fratribus suis septuaginta.

Nunc si quæras de quibus fabulis & genealogiis Apostolus conqueratur, & damnat locis citatis: Respondeo esse Traditiones quasdam Indaicas, in quibus Iudæi multa effingebant: ut quod primo homini fuerint duæ uxores, v. g. harum autem Traditionum quatuor genera fuisse testatur Epiphan. lib. 2. hæresi 66. quem consulte.

PROPOSITIO VIII.

Falsum est præterea Scripturam Veteris Testamenti esse inutilem ad confirmationem Fidei, multominus bonis moribus adversam. Vtramque partem hujus propositionis probant ejusdem Scripturæ in Novo Testamento auctoritates expressæ. Nam 2. ad Tim. 3. Apost. horratur sic suum discipulum, quem sciebat, doctrinâ Scripturarum Veteris Testamenti apprimè imbutum. *Tu verò permane in his quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens à quo didiceris; & quia ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem.* Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, &c. Ex quibus simul vides utilitatem Scripturæ, & ad Fidei dogmata confirmanda, & ad mores instituendos. Primum istorum in specie testatur Christus ipse in Evangelio multis locis. Nam Ioan. 5. dicit. *Si Moysi crederetis, & mihi crederetis. De me enim ille scripsit.* Matth. 20. Consummabuntur quæ de me dicta sunt per Prophetas. Luc. 24. Incipiens à Moyse & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de seipso erant. Et infrà 43. *Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum: quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis, de me.* Quis enim dubitet post hæc Scripturam Veteris Testamenti inutilem esse ad confirmationem Fidei?

Sed nec minus utilis est ad mores Christianos instituendos; quæ est pars posterior, hic in specie confirmanda. Illam docet idem Christus

Matth. 11. & 24. Luc. 16. & 17. & Ioan. 8. excitans auditores suos ad vigilantiam exemplo eorum, qui in diebus Noë inopinatâ diluvii inundatione submersi sunt; monens exemplo uxoris Loth relapsum esse præcavendum: deterrens à malo obstinationis, & periculo luxuriae, exemplo Sodomorum: exprobans Pharisæis, quod se filios Abrahæ jactarent, cum tamen Abrahæ opera non facerent: revocans ad pœnitentiam peccatores propositâ pœna Divitis Epulonis: addensque, quod magis facit hic responsum Ahrahæ ad Epulonem, qui expetierat, ut mittetur Lazarus ad fratres suos: quod negans facere Abraham, addit: *Habent Moysen & Prophetas, audiunt illos.* Ex quibus omnibus manifestum est, quæ Moyses & Prophetæ prædicarunt, & scripsierunt utilia esse ad mores fidelium instituendos. Idem confirmat Paulus Apostolus 1. ad Cor. 10. ubi postquam asseruit Iudæis omnia contigisse in figuris, prosequitur deinde: *Ut non simus concupiscentes malorum, ut illi concupierunt: neque idololatriæ, neque fornicatores, neque edaces, neque murmuratores, &c.* Vbi alludit, ut patet, ad pœnas quibus Deus puniit peccatores prædictos in Veteri Testamento: & propter hoc solum recensentur peccata illorum, ut scilicet ea evitemus pœnis illorum conterriti. Sed contra.

PROPOSITIO IX.

Obijiciuntur nobis multa pessima exempla, quæ narrantur in Veteri Testamento; quibus contendunt adversarii probare Testamentum illud bonis moribus esse adversum. Nam, ut aiunt, legitur soceros cum suis nu-

ribus peccasse, ut Iudam; patres cum suis filiabus, ut Loth: Nazaræos cum scortis, ut Samsonem: aliquos plures habuisse uxores, ut Abraham, Iacob, Davidem, &c. qui tamen fuerunt viri sancti, & Dei amici. Narrantur adulteria aliorum, ut Davidis cum Bersabea; homicidia, ut Vriæ ab ipso Davide, odium fraternum, ut Caini adversus Abelem, Esaü adversus Iacob, mendacium in Abraham, qui Saræ auctor fuit, ut se uxorem ejus negaret, & sororem mentiretur, Iacob mentitum consilio Rebeccæ matris suæ; ebrietas Noë, &c. quæ satis ut per se notum est, moribus humanis adversantur. Respondetur hæc & similia exempla non hic recenseri, nisi ut veritas historiæ confirmetur; dum videmus defectibus non parcit tantorum virorum. Deinde ne quis presumat de se, cum videat viros sanctissimos suis vitiis non caruisse; sed unusquisque timeat, ne à tentatore supereretur, qui fortiores se devictos audit: denique ne quis gravissimus etiam peccator de venia desperet, dummodò ex Dei auxilio velit emendare delicta, & ad Dei misericordiam confugere, & pro peccatis diuinæ justitiæ facere satis suis operibus pœnitentiæ laboriosis, modis omnibus utens à Deo institutis.

Quod autem spectat ad singula illa exempla nobis opposita; constat, Iudam & Loth fuisse deceptos circa suam incestum, non scius ac Noë circa ebrietatem. De polygamia docent Theologi Deum super ea dispensasse cum antiquioribus Patriarchis, ob necessitatem multiplicandi Populum Israëliticum. De Davide, ejus pœnitentia non tacetur, ut dic-

tum est : De Abraham , negatur auctorem
fuisse mendacii in Sara , quæ potuit absque
mendacio se sororem ejus asserere , sic nam-
que appellabantur filii & filiæ fratrum ac so-
rorum . De Caino & Esaū nemo negat eos
à Scriptura vituperari : De Iacob & Reb-
eca matre docet S. Augustinus fuisse myste-
rium . Et certè cum constet , exempla illa , &
similia non proponi à scriptura ad nostram
institutionem , sed ad detestationem ; mani-
festum est , illa nequaquam adversari christia-
nis moribus .

PROPOSITIO X.

Falsum denique est Vetus & Novum Tes-
tamentum sibi invicem contrariari , ut fin-
gunt Hæretici supradieti . Et enim cum Scrip-
tura , ac proinde duo illa Testamenta sint à
Deo auctore principali , juxta illud 1. Petr. 1.
Non enim voluntate humana allata est aliquan-
dò Prophœtia : sed Spiritu-Sancto inspirati , locuti
sunt sancti Dei homines . Deus autem cum sit ve-
ritas summa ac veritas perfecta , sapientia in-
finita ; quomodo potuisset scriptoribus sacris
aliquid contrarium , aut repugnans suggerere ,
oppositum aut implicitorum ? Ad cuius con-
firmationem addit Augustin. lib. 18. de Civit.
cap. 41. *Si inter se pugnantes divina Scriptura fuisse*
nt , quandò umquam fieri potuisset , ut Scripturis inter se dissonis ac pugnantibus ,
tot tantique populi crediderint : non indocti
solum , & in agris assueti , sed in urribus
Scolis , Gymnasiis inter litigiosas disputatio-
nes detriti , qui cum semper garruli de Philo-
sophie dogmatibus dissentient , discipuli à ma-

gistris, & inter se condiscipuli; unanimes sub
harum Scripturarum concordia convenienter:
quod nullis umquam Philosophorum scriptis,
nec ante, nec post contigisse legitur.

PROPOSITIO XI.

Obiciuntur in contrarium multa quæ in
Novo Testamento habentur, & viden-
tur repugnare his quæ leguntur in Veteri.
Nam 1. dicitur Deus cap. 1. Genes. Cœlum
& terram creasse, & Ioan. 1. mundum fac-
tum fuisse per Christum. 2. cap. 2. Genes.
Deus scribitur requieuisse die septimo ab om-
ni opere. Et Ioannis 5. legitur, Pater meus
usque modo operatur: & ego operor. 3. Ge-
nes. 1. scriptum reperitur: Faciamus homi-
nem ad imaginem & similitudinem nostram:
Et Ioannis 8. Vos ex patre Diabolo estis. 4.
Genes. 2. habetur: Relinquet homo patrem
& matrem, & adhærebit uxori suæ: Et Luc. 1.
Nemo est qui relinquat uxorem & filios prop-
ter regnum cœlorum, qui non recipiat multa
plura. 5. Exod. 20. Honora patrem tuum &
matrem tuam. Et in Novo Testamento mul-
tis locis Christus promittit Regnum Cœlo-
rum iis qui patrem & matrem dimiserint,
nec patitur, ut adolescens, qui eum sequi
peroptabat, sepeliat suos parentes. 6. Genes.
31. dicitur Deus visus facie ad faciem à Ia-
cob & à Moysè: Et Ioannis 1. legitur Deum
nemo vidit umquam. 7. Exod. 20. Deus per-
hibetur odiſſe malos, & esse vindicta peccato-
rum, visitans iniurias patrum usque ad ter-
tiam & quartam generationem. Et Lucæ 6.
Qui est benignus super bonos & malos. ¶ Iubet-

~~¶~~ Christus fratri peccanti ignoscendum septuagies septies, Matt. 18. & tamen cap. 5. Dixerat; *Audistis quia dictum est antiquis, oculum pro oculo, dentem pro dente: Ego autem dico vobis, nolite resistere malo,* & si quis percusserit te in unam maxillam, præbe illi & alteram, &c.

Respondetur in his & similibus, nullam esse oppositionem aut repugnantiam. Nam in 1. instantia quando dicitur Deum creasse Cœlum & terram, non intelligitur de Patre solū, sed de tota Trinitate, cuius est una omnipotentia: Ideoque opera ad extra dicuntur à Theologis communia toti Trinitati, idèoque, ut vides, Verbum ab illa creatione non excluditur: immò, cùm Deus suo omnia creet imperio, rectè dicitur mundum esse factum per Verbum. In 2. habetur solū quod Deus requieverit ab omni opere quod patratur[intellige ratione termini, seu rerum productarum:] non autem ratione aliquus operationis divinæ, quæ desierit, cum ipse operans sit sua operatio, sed id nihil obstat, quominus Pater Filius & Spiritus-Sanctus semper operentur. In 3. dici peccatores Diaboli filios per imitationem, per quod non excluditur, quòd à Deo acceperint existentiam & conservationem. In 4. & 5. intelligitur, quòd nec viri debeant uxores deserre, nec filii parentes, nisi sint impedimenta salutis. In 6. nihil aliud importatur nisi quòd nec Iacob, nec Moyses Deum videre potuerint de via ordinaria, ut significatur per hæc verba, *Deum nemo vidit umquam*, in terris positus, intellige, nisi de via extraordinaria, non oculo utique corporeo, sed spirituali. In 7. nulla est implicantia quòd Deus aliquos pu-

niat ex rigore suæ Iustitiae , aliis parcat infinitâ misericordiâ suâ. In 8. & ultima, indicatur solum legem gratiæ constituere statum perfectionem , quam esset status legis scriptæ, in quo Deus aliqua permittebat Iudeis , quæ non permittuntur Christianis , quibus præcipitur dilectio inimicorum , quæ est lex à Christo verbo & exemplo instituta : ut habetur Matth. 5. *Ego autem dico vobis , diligite inimicos vestros.*

PROPOSITION XII.

Manifestum est ex his Vetus Testamentum non solum ad Scripturam pertinere , sed etiam esse partem essentialē ejus. Nam cum sit à Deo , qui illud dictavit Scriptoribus sacris , quos movit ad ea scribenda quæ in ipso continentur , ut infrā de tota scriptura ostendetur , & omnino à falsis illis & effictis contaminationibus liberum sit , quæ illi Hæretici , de quibus suprà , calumniosè & impie excogitarunt ; constat maximè utile esse ad Fidei confirmationem & morum institutionem , ac proinde non minus pertinens ad Christianos , quam ad Iudeos : nullaque est oppositio ejus cum Novo Testamento , ut hactenus probatum est , & objectionibus Hæreticorum satisfactum planè.



ARTICULUS IV.

Vtrum Novum Testamentum sit vera Scriptura Sacra, & pars ejus essentialis.

PROPOSITIO I.

Manichæorum Hæresis non quidem minùs præcipua, quam defendit Faustus Manichæus apud Augustinum fuit, Novum Testamentum non fuisse scriptum neque à Christo, neque ab ejus Apostolis & Evangelistis: sed ab aliquibus incerti nominis Auctoribus, longo post tempore,abusis Christi & Apostolorum nominibus: sicut testatur Augustinus, sententiam ejus referens in libris contra ipsum, ubi idem Augustinus refert, impium illum Hæreticum appellasse duo mendacia, tūm Vetus Testamentum, quod etiam non admittebat, ut diximus, seu testimonia ejus: tūm Novum, seu istius testimonia, quæ confirmant Christum esse verum Deum & hominem, qui humana passus sit, iis solū admissis, quæ spectant ad ejus divinitatem. Contendebat deinde Helvidius similiter Hæreticus, quem refutat S. Hieronymus ejus coævus, Græca exemplaria omnia fuisse falsata. Nostrisque temporibus Anabaptista & Servetiani hunc errorem toties profligatum ab Inferis revocarunt, asserentes libros quidem aliquos Novi Testamenti fuisse ab Apostolis scriptos, sed posteà omnino falsatos & contaminatos ab Hæreticis, ut sic

70. **N O T I T I A**

effugerent tela potentissima , quæ hinc eruuntur contra ipsos : ut satis hæc omnia manifesta sunt ex libris eorum. De Christo convenimus nihil scripsisse ipsum , ut dicetur infra , sed fuisse objectum Novi Testamenti , & finis utrinque , juxta illud Apostoli : *Finis legis Christus.*

P R O P O S I T I O . II.

Falsum est omnino , impium maximè , & prorsùs Hæreticum , Novum Testamentum non esse veram Scripturam Sacram , & partem ejus essentialē ab Apostolis scriptam & Evangelistis , ut de fide est post definitionem Ecclesiæ , maximè in Decreto Tridentini , de quo sèpè. Idque probat evidenter , & efficacissime sacra & divina Traditio , quā constat à temporibus Apostolorum & Evangelistarum , libros illos unanimi consensu fidelium ab Ecclesiæ fuisse suscep̄tos , & ut verè canonicos , traditosque nostris majoribus , & per illos suis posteris usque ad nos , sicut & per nos ipsos tradentur nostris posteris. Quod non minus credibile est de hoc libro sacro & divino , ratione Traditionis sacræ , quam de libris prophanicis ratione humanæ traditionis , ut de tota Scriptura supra observavimus. Maximè propter infallibilitatem Ecclesiæ , quæ à Spiritu Sancto regitur : & auctoritatem , quam nullus alius obtinet cœtus , aut humana Respublica. Istud autem Testamentum Ecclesia in illa traditione fundata definit ac determinavit , simul cum Veteri proponi debere omnibus fidelibus suscipiendum , ut verè Dei verbum scriptum sub pœna anathematis , ut dictum est.

PROPOSITIO III.

Obiciunt Manichæi multas esse dissonantias & contrarietates narrationum in libris Novi testamenti, qui suscipiuntur à nobis tamquam canonici, tūm inter Apostolos ipsos, tūm inter Evangelistas, ut cuilibet legenti patet.

Respondeo: dissonantias seu contrarietates esse solum apparentes, & non veras ac reales, ut ostendetur suis locis, ortas ex disproportione curiosi intellectus & profunditate rerum, quæ ibi tractantur, aut etiam ex modo tractandi. Ex quo male infertur Testamentum istud non esse veram Scripturam, & partem ejus essentialiem, cum verè sit à Scriptoribus sacris ex Dei inspiratione impulsu & motione, ut dictum est.

Vrgent: Si Novum Testamentum esset à sanctis Apostolis & Evangelistis conscriptum, ex motione & impulsu Spiritus - Sancti, frustra illi inserta fuissent testimonia legis veteris, ut tamen frequenter inseruntur: alioqui Christiani fateri viderentur ad ejus auctoritatem stabilendam, immò & Christi confirmandam, non fuisse satis, neque testimonia operum ejus nec miracula; cum ultrò necesse fuisset à Iudeis hostibus nostris infensissimis testimonia emendicare, utpotè Veteris Testamenti.

Respondetur: omnes has illationes nullas esse, eòquod testimonia illa Veteris Testimenti non citentur in Novo ad stabilendam & confirmandam auctoritatem Novi, aut Christi, aut operum ejus & miraculorum, quamvis faciliùs ita credantur facta, si constet fuisse ante in Ve-

teri Testamento prænunciata , ut facienda : sed ut invitentur Iudæi & Gentiles ad fidem Christi , & operum ejus , & dictorum : si quæ proponuntur ut facta vel dicta , tūm Iudæis , si reperiantur in Veteri Testamento , quod ipsi suscipiunt , aut etiam ut futura : tūm etiam Gentilibus , si isti remittantur ad illos hostes Fidei Christianæ infensissimos ; in quorum lege reperiatur prōmissum , quod videtur in lege nostra impletum.

Instant : Christiani & Catholici non credunt multa , quæ sunt in Veteri Testamento ; ut patet ex eo quod illa non obseruent : Ergo nec ulla ; nec consequenter testimonia hæc , quæ inseruntur in Novo saltem fide divinâ ; quæ non potest aliqua credere , & alia rejicere , in his quæ de fide sunt.

Respondetur : falsum esse Catholicos non credere illa , quæ non obseruant ; si sint de Fide solum speculativa & non practicâ : ut sunt illa omnia quæ nobis objiciuntur . Sunt enim multa , quæ Deus præcepit Iudæis facienda quæ tamē prohibentur Christianis ; ut lex Circumcisionis , &c. Ideoque illa erant credenda Iudæis practicè ; quæ à nobis non sic creduntur , sed merè speculativè.

PROPOSITIO IV.

Falsum est quoque , Novum Testamentum , quod ab Ecclesia suscipitur , esse sic falsatum corruptum & contaminatum omnino ; hoc est , in omnibus exemplaribus ; ut nullum sit non corruptum ; sicut contendunt Anabaptistæ , Servetiani , &c. Fateor equidem multa hujus Testamenti exemplaria sic esse corrupta & contami-

nata

nata; ut sunt in Bibliis Hæreticis, & aliis quæ Ecclesia non recipit ut authentica: sed id non impedit; ut evidens est, quantumvis renuant impii illi Hæretici, quod Novum Testamentum, quod Ecclesia Catholica declaravit verum esse Dei verbum; incorruptum ~~non~~ sit, veraque Scripturæ pars essentialis. Etenim S. Augustinus, lib. de util. cred. cap. 3. ex illo colligit manifestè, quod eadem sit, ut fuit hæc nùs lectio Novi Testamenti in Ecclesia. Eodem namque modo citant eam Iren. Tertullianus. Origenes, Cyprianus, &c. quod utique non esset; si libri omnes hujus Testamenti corrupti & falsati essent. Deinde id videtur exigere mentitum, & dignitas Ecclesiæ sponsæ Christi; cui ille promisit se perpetuò ad futurum. Quomodo enim verum erit nunc adesse illi, aut ante adfuisse; si Scripturas in quibus continetur fides; integras & inviolatas non servaverit? maximè cum suā providentiā id concesserit multis Gentilium Scripturis; numquid Ecclesiæ Christi denegabitur, numerosaque fidelium concordia; ut scripta sacra dictata à Spiritu-Sancto dicta & facta cœlestis Sponsi ejus continentia, illorumque quos elegit; ut essent Doctores nostri & magistri, ~~huius~~ fuerint asservata à Deo integræ & incorrupta; qui à tot sœculis libros Philosophorum ad suos discipulos usque ad hæc nostra tempora, suā providentiā custodivit invicta?

PROPOSITIO V.

INsuper quis credat, Scripturam vel in se tam; vel quantum ad unam ejus partem essentialiem & principalem potuisse permitti à Dō

D

sic corrumpi, aut contaminari; qui nec permettere in ea potuit vel leve mendacium, ut optimè S. August. observat epist. 8. ad Hieron. *Mibi videtur, inquit, exitiosissimè credi, aliquod in sanctis litteris haberi mendacium, quia admisso semel in tanta auctoritatis fastigio aliquo officioso mendacio, nulla illorum librorum particula remanebit, que non cuique videbitur vel ad mores difficilis, vel ad fidem incredibilis eadem perniciosissimè regula ad mentientis auctoris consilium, officiumque referetur.*

PROPOSITIO VI.

PRATEREA si sancti Codices nostri Evangelii, qui ad nos pervenerunt à temporibus praesentiæ Christi per dispensationes Apostolorum, & eorum, qui iis successere toto orbe terrarum, custoditi & clarificati, corrumpi & falsari potuerunt; quomodo potius furtivi, quos proferunt hæretici Codices, nuper ab ipsis excusi, omnibus ferè incogniti, fidem populorum poterunt obtinere, & auctoritatem, quas denegant ipsi saeculis Codicibus nostris? *Si falsatae sint, ait S. August. lib. 32. contra Faustum cap. 16. Evangelica nostræ Scripturæ: unde miseri & infelices, vestra dogmata probabitis: & unde asseretis, que dicitis? Respondebitis ex Evangelio vos probare, gisi non totum accipitis, quod falsatum esse vos dicitis. Quis enim testem suum prius ipse dicat, falsitate esse corruptum, & tunc producat ad testimonium? &c. Addit;* *Igitur aut cogimini codices illos veraces confiteri, si vultis Hæreses vestras de eorum auctoritate firmare: aut fallaces illos affirmare: & tunc omnes Hæreses vestras overtis.*

PROPOSITIO VII.


Denique quæri posset ab illis Hæreticis : unde habeant, quod pars ea, quam putant viciatam, talis sit, & non alia ? non quidem ab Ecclesiâ : quæ contrarium docet, ipsasque Scripturas fidelissimè servat, & tamquam verum Dei verbum veneratur, & excolit : Ergo à proprio quisque judicio Scripturas sibi subjiciens, dum in eis approbat vel improbat quidquid libet. Cum potius ipse eis subjici debeat, juxta illud Apostoli 2. ad Corinth. cap. 10. *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.*

PROPOSITIO VIII.

Obiciunt Anabaptistæ multos è sanctis Patribus asserere, codices Novi Testamenti, quibus tunc utebatur Ecclesia Catholica, tam Græcos, quam Latinos suis temporibus fuisse corruptos. Si quidem Ambros. lib. de Spiritu Sancto, adducens illud Pauli Apostoli ad Philip. cap. 3. *Spiritu Dei servimus*, ait, si quis de Latinorum Codicum varietate contendit: *quorum aliquos perfidi falsaverunt, Græcos inspiciant Codices*, &c. S. Hieronymus præfat. in quatuor Evangel. ad Damas. habet, *Summam varietatem in latinis exemplaribus inveniri*: ac tot esse latini exemplaria, quot Codices In tanta autem varietate, ut satis evidens est, non potest non esse corruptio & falsitas. Quomodo enim exemplaria inter se dissonantia, possent veritatem obtinere, quæ in indivisibili sita est ? Origenes loquens de Græcis Codicibus utriusque Testamen-

ti, homil. 8. in Matth. ait: *Multam differentiam inter exemplaria invenimus. In exemplaribus quidem Veteris Testamenti, quacumque fuerunt consonantia, Deo præstante coaptare potuimus utentes judicio ceterarum editionum, &c.* Addens, *in exemplaribus autem Novi Testamenti hoc ipsum me posse facere sine periculo non putari, tantum suspiciones, rationesque, & causas suspicionum me debere exponere existimavi non esse irrationabile.* Ex quibus manifestum est, si non, ut volunt adversarii, à temporibus Apostolorum, saltem à primis sæculis Novum Testamentum fuisse corruptum ac falsatum.

Respondetur hæc cuncta nihil prorsus facere contra veritatem nostræ propositionis: quæ solum statuit, ut patet, impossibile esse prorsus, omnia omnino exemplaria Novi Testamenti fuisse corrupta, ac falsata, absque eo quod ullum remanserit incorruptum: quia, vel uno solum remanente incorrupto absolutè verum est, Novum Testamentum esse in Ecclesia incorruptum, & non contaminatum. Verba autem illorum Sanctorum Patrum, & aliorum, si qui idem sentiant, & dicant, ut per se notum est, solum significant, aliqua Novi Testamenti exemplaria Latina & Græca, etiam ante sæculum quartum, fuisse falsata, de quo hic non ambigimus.



ARTICULUS V.

Comparantur inter se invicem duo Testamenta, Vetus scilicet & Novum.

PROPOSITIO I.

AMbo Testamenta, utpotè Vetus & Novum, quantum ad aliqua sunt æqualia. Etenim de Fide est, utrumque esse veram Scripturam sacram, immò & illam totam compонere, tamquam partes ejus essentiales, verbumque Dei scriptum; atque idcirco esse supremæ, & divinæ auctoritatis. Vnde quacumque in utroque proponuntur fidelibus ut per se credenda; de fide sunt & certiora infinites, his quæ habentur per quamcumque demonstrationem naturalis luminis. Dixi, si proponantur tamquam per se de fide credenda.

PROPOSITIO II.

FAtetur namque multa esse ibi, de quibus agitur solum obiter; & sunt tamquam circumstantiæ, quibus ad summum indicatur, vel divinus amor, ac providentia specialis de suis amicis; ut, v. g. quòd canis junioris Tobiz ad regressum in domum senioris caudam moverit in Veteri Testamento: & quòd Paulus Apostolus, v. g. epistolâ suâ 2. ad Timotheum commendet Discipulo, ut veniens ad ipsum asportet secum penulam & membranas; quo designatur affectus Apostoli erga Evangelicam paupertatem.

¶c. Hæc enim & similia sunt quidem omni veneratione digna , immò & fide credenda ; eo quod Deo inspirante ibi scripta sint ; & in libris sacris contineantur : nec possunt ab ullo sine impia temeritate negari : non tamen eo sensu proponuntur tamquam de fide credenda , neque sic sunt objectum Fidei nostræ ; ut per fidem eorum ordinemur ad salutem : ut sunt alia , quæ ad illud objectum principaliter pertinent , & tamquam articuli fidei proponuntur ; ut sunt creatio mundi , v. g. quod Deus in Adam spiraverit spiraculum vitae in Testamento Veteri : & in Novo , quod Verbum caro factum sit ; quod Christus nos suā morte redemerit : retributio justis æternæ gloriae , & malis supplicii æterni , &c.

P R O P O S I T I O III.

Ubi etiam observandum est , cum in utroque Testamento inducantur aliquando personæ , quæ juxta propriam sententiam & scientiam loquuntur , & aliqua decernunt , quæ ad rem inspiratam non faciunt ; verba illorum hominum quæ in ijs enarrantur , eo rigore fidem non facere ; ut suscipi debeant tamquam fidei determinationes . Sic quando in Veteri Testamento , unus amicorum Job asserit cœlos esse solidos , quasi ære fusos ; id quamvis cultu & veneratione dignum sit , de fide tamen non est eo sensu ; ut qui aliter sentiret , ex hoc esset Hæreticus . Idem asserendum de similibus ; si quæ pariter occurrant in Novo Testamento , ut quando , v.g. Ioan. 8. Iudæi Christo respondent : *Quinquaginta annos nondum habes* , &c. Ex quo male quis inferret de fide esse Christum ad illam ætatem tunc accessisse ; quia sic opinabantur Iudæi ex externa Chrif-

ti faciei specie. In quo adhuc, ut vides, æquiparantur ambo Testamenta.

PROPOSITIO IV.

Conveniunt demum ambo hæc Testamenta, quod in utroque sint narrationes & Historiæ Sacrae; ut potè à Deo inspiratae, & scriptæ à sanctis Scriptoribus: in utroque sint Leges & præcepta, prohibiciones, promissiones, combinationes, &c. quod in utroque virtus, probitas & vita sancta laudetur; vitium è contra damnetur; mores optimi comprobentur, & malii redarguantur: quod stylus in utroque sit simplex, humilis ac demissus; habens tamen vim quandam, energiam & efficaciam divinam, quæ non reperiuntur in libris prophanis. Denique etiam & in hoc æquiparantur; ut ubicanque auctores proximi utuntur figuris in hoc utroque Testamento, apologis, parabolis, &c. ita sit unicè, ut ostendatur voluisse Deum cum hominibus loqui, & per homines; ac proinde moreistorum humano, dum ex divina inspiratione Testamentum utrumque nobis scriptum tradiderunt.

PROPOSITIO V.

Testamenta hæc ambo sunt quoque in multis aliis è contra inæqualia: nam quæ in Veteri continentur, fuerunt figuræ eorum, quæ Novum complectitur: & ista illarum figurarum impletiva: juxta illud Apostoli loquentis de Iudæis & lege antiqua: *Omnia in figuris contingebant illis*; in quo, ut vides, magna utriusque inæqualitas est: & qualis umbræ & lucis, imaginis & prototypi. Totum istud patet in quinque subsequen-

tibus potissimum. 1. In ipsa manifestatione Dei attributorum: qui est finis universalis eorum, quæ Deus erga homines & Angelos maximè, immò & creaturas omnes operatur. Etenim quamvis illa, utpotè omnipotentia, sapientia, providentia, bonitas, justitia, &c. manifestentur in mundi creatione & gubernatione in lege veteri; clariùs certè eluent in nova, in qua mysterium sanctæ Trinitatis nobis expressè revealatum est; mysterium Incarnationis, Redemptionis omnium hominum æternæ retributionis justorum, & punitionis malorum, &c. quæ solùm aut verbis obscuris, aut solis promissionibus in Testamento Veteri continebantur.

2. Promissiones divinæ, quæ in Veteri Testamento sunt factæ Iudæis terrestribus, saltem primò per se & immediatè: [nam etiam & nobis mediatae, & secundariò quoque factæ sunt] terrestres sunt ut plurimum, ut verba sonant; & ad illos diriguntur, ut sunt, v.g. *Si dilexeritis me, bona terra comedetis: Dabo vobis terram fluentem lac & mel, &c.* Quæ utique quoad rem significatam, & prout ad nos diriguntur mediatae bona spiritualia significant. Quæ vero sunt in Novo Testamento, de bonis solùm spiritualibus factæ sunt; utpotè fidelibus spiritualioribus.

3. Quia sacrificia, de quib us in lege antiqua, sacrificium Crucis nobis promittebant; & ad ipsum significandum fuerunt omnia ordinata. In quo implerae sunt illorum significationes eminentissimo modo. Vnde ab inæqualitate sacrificiorum illorum satis deducitur inæqualitas Scripturarum quæ ea continent. Nec minus si comparentur cum sacrificio Missæ, seu oblatione munda, quæ promissa nobis fuerat Malach. 1. nempè Agnì

sine macula, qui ibi eodem sacrificio pro nobis immolatur modo utique incruento, cūm patri se in ara Crucis voluerit modo cruento immolari pro redemptione omnium hominum.

4. In Sacramentis inæqualibus, quæ nobis proponunt hæc duo Testamenta, clare manifestatur inæqualitas amborum. Etenim præterquām quodd antiquiora præfigurarunt quædam nostrorum; ut Circumcisio, Baptismum, Agnus Paschalis venerabilem Eucharistiam, &c. Dixi quædam, & non omnia: quia nec Confirmatio, nec Extrema-Vnctio potuerunt per illa figurari, ut docent Theologi; quia prior est Sacramentum perfectionis: *Lex autem illa nihil ad perfectum deducebat.* Et posterior est ultima dispositio ad introitum gloriæ cœlestis, quam ingredi non potuerunt Iudæi, donec per Christum cœlum nobis aperiretur: unde fit, quod vetera sacramenta Apostolus vocet *vacua & egena elementa*: cum nostra è contra legis hujuscē novæ vim & efficaciam passionis Christi contineant; sintque singula ex se; & ut dicunt Theologi, productiva gratiæ sanctificantis ex opere operato, ut instrumenta Christi principalis agentis, & eorum institutoris.

5. In præceptis divinis, quæ in utroque Testamento importantur: in illo ad regendum Synagogam Iudæorum; in isto ad gubernandam Ecclesiam Christianorum. Quæ quantùm habent inæqualitatis inter se, tantum est inter præcepta tradita ipsis; ac proinde inter Testamenta, quæ illa præcepta includunt. Fuerunt autem in Testamento Veteri præcepta triplicis generis, nimirum cœrimonialia in primis, quæ ad Religionem, seu Dei cultum spectabant, & nostra figurabant: quæ sunt numero pauciora, sed re-

ipsa spiritualiora : *eo quod venerit hora, & nunc est*, ut respondit Christus, Ioan. 4. ad Mulierem Samaritanam ; *in qua veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate*. Per quod non excluduntur cæremoniæ externæ, quas in Dei cultum deduxit ad nos divina Traditio ab initio nascentis Ecclesiæ : cum antiquæ illæ cessarint cum lege veteri ; sintque pro nobis penitus abrogatae, immò & prohibitæ. Deinde judicia, quæ eò erant severiora, quò Iudæos coercabant ; qui timore magis, quam amore ducebantur : cum è contra in Christianis perfecta charitas foras miserit hunc timorem Iudæorum servilem : nobisque præcipiat Spiritus - *Sanctus per Apostolum, Omnia vestra in charitate fiant*. Erant demùm & moralia, è quibus, quæ perfecta sunt, ut sunt præcepta Decalogi, quæ idcirco dicuntur etiam naturalia ; quatenus sunt juri naturali maximè conformia, & juxta lumen naturalis singulis hominibus inditum ; ut dicitur Ps.

4. *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine* : quamvis simul divina sint, & positiva Moysi tradita; non solum pro Iudæis, sed etiam pro nobis & omnibus : unde & nos & omnes obligant. Verùm quia in nova lege abrogatae sunt promissiones quæ ad duritiam cordis Iudæis concessæ fuerant, ut sunt libellus repudii, ultiones inimicorum, ut quando dicitur, *oculum pro oculo, dentem pro dente* : in lege nova præcipiuntur contraria ; ut indissolubilitas matrimonii, v. g. Matth. 19. ubi habetur, *quod Deus conjunxit, homo non separet* : dilectio inimicorum, Matth. 5. ubi Christus sic præcipit. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros*, &c. Addunturque consilia Evangelica plura ; ut status virginitatis & cælibatus ; paupertatis voluntaria, deside-

rium martyrii, quæ clare manifestant adhuc hanc utriusque Testamenti inæqualitatem. Verum quia inæqualitas hac maximè sita est in Novi Testamenti supra vetus præminentia.

PROPOSITIO VI.

Aditur Testamentum Novum esse absolute perfectius Veteri; ut testatur evidenter ipsa Scriptura testimonio expresso: Ierem. cap. 31. quod citat Apostolus ad Hebraeos 8. ex quo patet in hoc utrumque testamentum comparari. Sic loquitur Prophetæ loco citato. Ecce dies venient, dicit Dominus; & feriam domui Israël, & domui Juda fædus novum: non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum; in die quam apprehendi manum eorum; ut educerem eos de terra Ægypti: pactum, quod irritum fecerunt: & ego dominatus sum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israël, post diem illam, dicit Dominus: dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum, &c. Quæ nemo negare potest, intelligi debere de utroque Testamento; & Novum præferri Veteri; ut testis est Apostolus, Epist. ad Heb. cap. 8. citato, ubi postquam dixit. Nunc autem melius sortitus est ministerium, quanto & melioris Testamenti mediator est, &c. Post pauca addit etiam ex Ierem. cap. 31. citato. Ecce, dies venient, dicit Dominus, & consummabo super domum Israël, & super domum Juda Testamentum novum: non secundum Testamentum, quod feci patribus eorum, &c.

Confirmant sancti Patres, August. maximè multis locis. Nam in Psalm. 73. distinguens ho-

minis vitam in eam quæ est corporis ac naturæ
lis ; & in eam , quæ est animæ & supernaturalis ;
asserit voluisse Deum ostendere se esse utriusque
dominum : atque adeò duo testamenta fecisse :
alterum, quo promittuntur bona terrestria, quod
est Vetus : alterum, quo fit promissio bonorum
cœlestium ; ut est Novum. Vnde fit, ut quanto
cœlestia excedunt terrestria, tantò Novum supe-
ret Vetus. Idemque quæst. 73. in Exod. ait ; *In
Veteri Testamento Novum latet : in Novo Vetus
patet.* Libro de Spir. & Litt. cap. 20. rationem
reddens, cur unum appellatur novum , & aliud
vetus : præterquām quòd , ut ait , vetus novum
præcessit mille quingentis annis ; addit adhuc :
*Propter veteris hominis noxam , quæ per litté-
ram jubentem & minantem minimè sanabatur ,
dicitur illud Testamentum Vetus : hoc autem no-
vum , propter novitatem spiritus , quæ hominem
novum sanat à vitio vetustatis , & alibi : Sicut
unius hominis , inquit , ita generis humani ;
quod ad Dei populum pertinet ; rectè eruditio
per quosdam articulos temporum , tamquam età-
tum profecit accessibus. Ex quo patet esse in Novo
perfectionem , quæ non reperitur in Veteri. Ex-
plicatur istud per ea quæ idem dixit in cap. 5. Ep.
ad Galat. ubi distinguens quatuor ætates , asse-
rit primam numerari à creatione mundi usque ad
Moysen , bis mille quingentis annis ; in qua , ut
ait , nulla nequitia prohibetur : [intellige scrip-
to ,] & in ea , ut ipse observat , homo sine certa-
mine à concupiscentia vincebatur : secundam ,
à Moysè ad Christum per annos mille quingen-
tos : in qua homo præliabatur , sed à concupis-
centia vincebatur : tertiam à Christo ad mundi
finem ; in qua sub lege gratiæ homo pugnat &
vincit per gratiam : quartam demum in æternitatē*

beata, ubi homo nec pugnat nec vincit nec vindicatur, sed summi fructus pace. Ex quibus etiam colligitur eadem præminentia Novi Testamenti supra Vetus: quod in isto lex Moysis; & in illo lex Christi fuit.



QUÆSTIO III.

De Sacra Traditione.



A C R A M hic Traditionem perstratumus: Tum, quia cum Dei Verbum non scriptum sit, ejus notitia non parum conferet ad Verbi divini scripti notitiam, quam unicè in toto hoc opere intendimus: Tum etiam, quia per eam Verbi Dei seu Scripturæ Sacræ existentia probatur, ut supra ostensum est; quæ idcirco debet à nobis præcognosci. De ejus quidditate seu essentia investigabitur in 1. articulo: simulque de variis ejus divisionibus. In 2. de ejus existentia & convenientia. In 3. denique de ejusdem auctoritate, & regulis quibusdam scitu dignissimis. Sit igitur



ARTICULUS I.

*De Sacra Traditione, ejusque variis
divisionibus.*

PROPOSITIO I.

TRADITIO in abstracto, seu in genere sumpta nihil aliud est, quam doctrina ab uno alteri communicata, sive scripto aliquo, sive vivâ voce; ut satis probatur ex illo Exodi 17. *Scribe hoc monumentum; & trade in auribus Iosuë*, &c. Quod satiis indicat posse scripto aliquo non canonico, nec divinæ auctoritatis, traditionem aliquam conservari: ut multa nobis conservata sunt in scriptis Sanctorum Patrum, quæ magis propriè traditiones appellatæ sunt, quam ea de qua loco mox citato, loquitur Scriptura: cum sit propriè Scriptura, & solum Traditio latè sumpto nomine Traditionis. Tum etiam, & quidem clarius, ex illo 2. ad Thessl. cap. 2. *Tenete Traditiones, quas didicistis, sive per epistolam nostram.*

PROPOSITIO II.

Traditio stricta in specie sumpta, prout hîc intelligitur, est doctrina aliqua ad Religionem pertinens, non scripto, sed vivâ voce successivè tradita: vel si quando scripto tradatur, obscurè in eo continetur. Hæc enim

est constans & perpetua ipsius definitio , quam tradunt quicunque eam admittunt : ut nec dif-
fidentur Hæretici , quibuscum contendimus seu
disputamus. Dicitur in primis , *doctrina* ; quia
per illam docemur aliquid credendum vel fa-
ciendum , &c. Deinde , *ad Religionem perti-
nens*. Non enim hic agitur de Traditionibus
popularibus ad Fidem nihil spectantibus ; qua-
les sunt , fuisse urbem Troiam , Æneam , Ro-
mulum , Augustum , Ciceronem , &c. sed quæ
respiciunt fidem , quæ Christiani sumus , quæve
aliquid ad ipsam pertinens expressè , & explicitè
proponunt nobis credendum vel faciendum ;
quod in Scriptura Sacra , nec expressè , nec
explicitè importatur. Denique *vivâ voce* , non
scripto tradita : quatenus per illam instruuntur ,
ac instituuntur posteri per suos maiores seu de-
cessores ascendentes per ipsos usque ad eos ,
quibus eam doctrinam primò Deus revelavit , si
Traditio divina sit , vel ad Apostolos , si aposto-
lica , &c.

Circa mox dicta observandum est , potuisse
quidem doctrinam Traditionis à Sanctis Patri-
bus scribi in suis operibus , ut à plerisque factum
est : qui hinc appellantur testes sacrae Traditio-
nis : non autem in libris scripturarum potuit
aut debuit esse expressè ; licet potuerit in his
obscure , vel implicitè contineri , ut dictum est :
dummodo ex ipso Scriptura evidenter & infalli-
biliter colligi nequeat : alioqui ab ipsa non
differret , cum , ut patet , esset verbum Dei
scriptum. Traditio autem est verbum Dei non
scriptum , ut dictum est ; (intellige utique per
exclusionem Scripturæ Sacræ & canonicæ ;) non
autem per exclusionem scriptorum Sanctorum
Patrum Ecclesiæ : ut satis ostendit Traditio-

Baptismi parvolorum, quæ idcirco vera & proprie dicta Traditio est; quia scripta non est in ullo libro Apostolico vel canonico; quamvis scripta sit in libris multorum e Sanctis Patribus. Sed adhuc magis Traditionis quidditas aperietur; recensendo & exponendo divisiones ejus præcipuas: Sit igitur

PROPOSITIO III.

Multiplex est divisio Traditionis, ut satis constabit enumeratione præcipuarum. Prima itaque divisio ejus fit in traditiones legitimas, sic dictas, quod introductæ sint ab habentibus auctoritatem eas instituendi; fueruntque ab ipsis, ut leges institutæ: & illegitimas, quæ e contra sic vocantur; quatenus in quacumque Religionis materia, & quocumque Ecclesia statu, vel sunt à non habentibus auctoritatem, vel Scripturæ Sacrae repugnant, aut Dei præceptis: vel saltem si eis non repugnant, inutilies tamen sunt, aut impertinentes in materia Religionis: ut sunt, quas gratis effinxere in hac lege nova quidam Hæretici, & in lege antiqua Pharisæi; quorum traditiones illegitimas taxat Christus ac redarguit in Evangelio: v. g. quod non liceret in Sabbato curare infirmos; quod posset denegari parentibus sustentatio filiis, etiam in necessitate illorum; illique officio præferri posset eleemosinarum oblatio Sacerdotibus legis: quod manus lavandæ essent; & multis utendum purificationibus ante co mestionem, quod gerendæ essent chartæ in fronte & brachiis, &c. De quibus Christus conqueritur sic Pharisæis exprobans, Matth. 15. *Vos irritum fecistis mandatum Dei propter trag.*

ditionem vestram, &c. Secunda divisio fit ratione diversi statūs Ecclesiæ in Traditiones Legis naturæ, quibus regebatur congregatio fidelium, quando lex Moysis seu scripta nondum erat posita: in traditiones legis scriptæ, quales fuerunt multæ, quæ non exstabant in libris canoniciis: pertinentes tamen ad fidem, ac mores Iudeorum (intellige si erant legitimæ:) nam illegitimæ non erant, nec dicebantur Iudeorum, bene autem Scribarum aut Pharisæorum traditiones: & in traditiones legis gratiæ, in qua versamur, & in qua multas esse hic ostendetur.

Tertia, quæ fit ratione materiae est in Traditiones Fidei, quæ sunt Fidei doctrinæ aliquæ in posteros transfusæ: quales sunt, v. g. quæ probat existentiam Scripturæ, nobisque testificatur illam verum esse Verbum Dei: quod numerus Sacramentorum sit septenarius: quod parvuli sint etiam baptizandi in infantia, & quando nondum obtinuerunt usum rationis: quod baptizati ab Hæreticis rebaptizandi non sint: quod fuerit in beatissima Virgine Maria Deipara virginitas perpetua: & utique qualis nec fuit umquam in aliqua pura creatura. Aliaque fidei mysteria, quæ in scripturis canoniciis scripta expressè non sunt; sed solum implicitè & obscurè in ea continentur: in Traditiones Rituum, qualis est doctrina cæmoniarum, quæ servantur in sanctissimo Missæ sacrificio, Sacramentorum administratione, usu Sacramentalium, &c. ut sunt, v. g. quod aqua vino sic admiscenda in calice: quod in baptismo debeat fieri, vel ut olim fiebat, immersio; vel aspersio, ut aliquandò factum est: vel effusio, ut nunc fit. Idem dic de insufflatione baptizati,

unctione, &c. Et in traditiones morum; qualis est doctrina Festorum transfusa ad nos; celebratio Paschæ die Dominicæ post 14. Lunam Martii, transfacto Æquinoctio verno: Quadragesimalē Iejunium: cessatio ab opere servili in Die Dominicæ, & in diebus Festis, &c.

Quarta divisio sit ab aliquibus, in divinas & humanas traditiones; eo quidem sensu, ut humanae appellantur: non quod humano spiritu sint instituta, ut perperam nobis affingunt Hæretici, maximè nostri temporis: sed quatenus sub humanis includuntur Apostolicæ & Ecclesiasticae; prout à divinis distinguntur.

Sed certè melius & aptius fit divisio hæc in Divinas, Apostolicas & Ecclesiasticas: non quod ulla istarum divina non sit, tamquam à Deo auctore, cum illæ, quæ Apostolicæ & Ecclesiasticae dicuntur, ex divina inspiratione aut revelatione sint: sed ita vocantur, vel quia ab Apostolis sunt sic à Deo inspiratae: vel deinde post Apostolorum tempora ab ipsa Ecclesia à Spiritu - Sancto gubernata. Explicantur singulae.

Divinæ sunt, quæ ut verba sonant, fuerunt divinitus revelatae, & à majoribus ad posteros transfusa sine scripto auctoris canonici in quo-cumque Ecclesiae statu: ut fuit olim in lege naturæ remedium contra originale peccatum pro omnibus; & pro feminis, ac Gentilibus credentibus in lege scripta: cumque illa Dei revelatione fieri potuerit, vel interius solum Deo inspirante doctrinam Traditionis; vel etiam exterius, ut innuit Concilium Trident. sess. 4. hinc sit Traditionem divinam subdividi in internam; quæ est Fidei doctrina interius Apostolis inspirata, & ab illis ad nos transmissa per

eos qui medii fuerunt inter eos & nos : ut est ,
 v. g. quæ de perpetua virginitate Deiparæ , de
 qua mox suprà : de invocatione Sanctorum : de
 cultu sacrarum Imaginum ; de Purgatorio , &c.
 Et externam , quæ est etiam Fidei doctrina ex-
 teriùs à Deo revelata , & ad nos transmissa vivâ
 voce , non scripto canonico : qualis est doctrina
 de numero septenario Saeramentorum ; de ma-
 teria & forma quorumdam illorum , quas Scrip-
 tura non exprimit : de dissolutione matrimonii
 rati , sed non consummati per solemnum pro-
 fessionem Religionis : de Baptismo parvulo-
 rum , &c.

Apostolicæ sunt observantiae sacræ ab Aposto-
 lis primum institutæ ; non utique sine divina
 inspiratione , ut dictum est , vivâ voce fideli-
 bus transfusæ ad ritus religiosos , moresque fide-
 lium efformandos. Duxi institutas ; quia , cum
 in Apostolis fuerit duplex ministerium ; ut potè
 præconum Evangelii ac Traditionum quas ac-
 ceperunt à Christo : & Pastorum Ecclesiæ , seu
 Episcoporum : quibus hoc posteriori modo
 spectatis , concessa fuerat à Deo potestas ordi-
 nandi , quæ ipsi Ecclesiæ necessaria erant , vel
 utilia. Illæ , ut patet , quas ut præcones ad
 nos transmiserunt , fuerunt potius divinæ , quam
 Apostolicæ ; nisi latè sumptâ denominatione.
 Siquidem ab ipso Christo institutæ sunt ; vel co-
 tempore , quo cum illis conversatus est ante pas-
 sionem ; vel etiam quando post resurrectio-
 nem illas eis commendavit : ut refertur ,
Actœr. 1. ipsis apparuisse , per dies quadragin-
 ta loquens de Regno Dei. Et de his intelli-
 gendus est Apostolus 2. ad Thess. 2. ubi ait , *Cum*
accepistis à nobis verbum auditūs Dei ; *accep-*
pistis illud ; non ut verbum hominum : sed sicut

est verè, Verbum Dei. At illæ certè solæ verè sunt Traditiones Apostolicæ propriè dictæ, quas ut Pastores instituerunt; eo modo, de quo mox supra; quales fuerunt multæ cæremoniæ Sacramentorum; observatio diei Domini-
cæ loco Sabbati Iudeorum: Iejunium Quadragesimæ, & Quatuor-Temporum, &c.

Ecclesiasticæ demùm vocantur, quæ post tempora Apostolorum à Conciliis & Summis Pontificibus sanctitæ sunt, & fidelibus traditæ, vel per modum legis; ut sunt observatio Festorum: abstinentia à carnibus, ovis, lacticiniis certis diebus, &c. Vel per modum spontaneæ & laudabilis consuetudinis; ut mos formandæ crucis frequenter; aspersionis aquæ benedictæ; suscipiendi cineres, &c.

Quinta fit ratione durationis, in traditiones perpetuas & temporales. Perpetuæ dicuntur, quæ nullâ auctoritate creatâ mutari possunt in Ecclesia: quales sunt divinæ, & quas Christus instituit, & saos Apostolos edocuit, nobisque per eos promulgavit: ut sunt, quæ respiciunt aliqua Fidei mysteria, & Sacramentorum administrationem: sive sint de necessitate essentiæ Iсторіум; ut sunt eorum materia & forma: sive de necessitate præcepti; ut est mixtio aquæ cum vino in Missæ sacrificio: eò quod hæc & similia sint de jure divino, cuius dispensatio solius Dei est.

Temporales è contra denominantur, quæ sive ad certum tempus, sive absque limitatione institutæ fuerunt; absolutè tamen mutari possunt, ut sunt, quæ ab Apostolis traditæ; & propriè Apostolicæ vocantur, ut diximus: potuerunt enim ab eorum successoribus, & à Conciliis Oecumenicis mutari, spectatis circumstan-

tiis temporum & rerum, pro Ecclesiæ utilitate; vel etiam à Summis Pontificibus extra Concilia propter plenitudinem potestatis; ut mutata est communio quotidiana fidelium: communio Laicorum aliquandò sub utraque specie: trina immersio in Baptismo, &c. Idem dic de Ecclesiasticis à fortiori, quod solum quantum ad usum, seu proxim, intelligendum est: non autem quantum ad Fidem; eo sensu, ut quis credere possit, male, aut omnino gratis fuisse institutas. Hanc autem potestatem definit Trident. sess. 21. cap. 2, fuisse in Ecclesia ~~parochorum~~ in Sacramentorum dispensatione, salvâ illorum substanciali; quæ posset ea statuere vel mutare, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi pro rerum temporum & locorum varietate magis expedire judicarit.

Sexta fit ratione loci in traditiones generales seu universales & particulares. Piores sunt quæ ad Ecclesiam universam diriguntur & in ea observantur: ut sunt benedictio aquæ, exorcismus, anniversaria observatio præcipuum Festorum, ut Paschæ, Pentecostes, Nativitatis Domini, &c. quod Divinis competet, Apostolicis & Ecclesiasticis. Postiores verò sunt, quæ pro Ecclesiis particularibus instituuntur, & in his observantur; ut olim jejunium Sabbati Romæ ex institutione Sancti Petri: ut S. August. insinuat Ep. 86. ad Casulan. & istud non potest divinis competere, quæ sunt pro omnibus & singulis fidelibus: bene autem aliquibus Ecclesiasticis & Apostolicis strictè sumptis; de quibus suprà.

Septima denique in traditiones necessarias, quæ traduntur in forma præcepti, ut est Paschæ

celebratio Dominicā post Lunam 14. Martii ; quibus quicumque renunt animo hæretico Hæretici censemur : ut patet de Asiaticis , qui Decreto Concil. Nicæni damnati , Quarto - decimani Hæretici dicti sunt ; quod Pascha celebrare vellent die Lunæ decima - quarta in quamcumque diem Pascha incidisset : & in liberas , quæ per modum consilii solum prescribuntur ; ut est aspersio aquæ benedictæ ; quando quis intrat in Ecclesiam , &c. quæ sine peccato pretermittuntur ; nisi quis omitteret animo hæretico , aut ex contemptu . Istudque ut patet , non potest divinis competere , quæ necessaria sunt , ut dictum est ; sed tantum verè Apostolicis & Ecclesiasticis .

ARTICULUS II.

Utrum admittendæ sint sacrae Fidei Traditiones.

PROPOSITIO I.

DE fide est admittendas esse sacras Traditiones Fidei præter Scripturas Sacras ; contra Hæreticos præcipue Lutheranos & Calvinistas : quibus principium erroneum , quod sibi effingunt ; nempè , quod Scriptura sit unica Fidei norma ; fuit , sicut & aliis , occasio Apostasie & Schismatis : inter quos Calvinus eo processit dementiae & impietatis , ut asserere non dubitaverit , lib. 4. instit. cap. 8. Christum sic omnia discipulos docuisse ; ut nihil docen-

dum Spiritui - Sancto reliquerit : contra illud Christi Domini loquentis de Spiritu - Sancto ; Ille nos docebit omnia.

Hanc propositionem nostram , cui subscribunt Catholici omnes , definit Concilium Tridentinum , sess. 4. Decreto de Canon. script. dicens : *Sacra - Sancta œcuménica & generalis Tridentina Synodus perspiciens veritatem Fidei , & disciplinam merum contineri in libris scriptis , & sine scripto in traditionibus ; que ipsius Christi ore ab Apostolis accepte , aut ab ipsis Apostolis Spiritu - Sancto dictante , quasi per manus traditæ , ad nos pervenerent : orthodoxorum Patrum exempla secuta omnes libros tam Veteris , quam Novi Testamenti : cum utriusque unus Deus sit auctor ; necnon traditiones , tūm ad Fidem , tūm ad mores pertinentes ; tamquam ore tenus à Christo , vel à Spiritu - Sancto dictatas ; & continua successione in Ecclesia Catholica conservatas pari pietatis affectu & reverentia suscipit & veneratur.*

PROPOSITIO II.

Fuit hæc sententia fides omnium sacerdorum : maximè primorum quatuor , quorum nec ipsi Hæretici respuunt testimonia. Etenim in primo S. Ignatius Martyr loquitur in suis Epistolis de jejunio Quadragesimæ , de minoribus Ordinibus , & de die Dominico. Sanctus Dionysius , lib. de Eccles. Hier. loquens de Apostolis & virtutis Apostolicis , asserit eos nobis ea tradidisse , quæ ad fidem & mores pertinent ; partim scriptis , partim non scriptis suis institutionibus. De Ægesippo , quem multi referunt ad primum sacerdolum , testatur Eusebius , lib. 4.

Histor. Eccles. sinceram & minimè fucatam Apostolicæ prædicationis traditionem quinque libris fuisse prosecutum. De Polycarpo refert idem Eusebius ex Iren. ipsum perpetuo docuisse, quæ ab Apostolis didicerat, quæ Ecclesia tradidit; quæ denique sola vera sunt. In secundo sæculo S. Iustin. Martyr. *Apolog.* pro Christian. multa testatur illos fuisse executores, quæ non præcipiuntur in Scripturis, v. g. quod convenirent Fideles in Ecclesia diebus Dominicis, ibique offerretur & consecraretur panis & vinum aquâ temperatum. Sanctus Iren. Episcopus Lugdun. & Martyr lib. 3. advers. heres. cap. 2. de Hæreticis, ait, Cùm ad eam iterum Traditionem, quæ ab Apostolis; quæ per successiones Presbyterorum custoditur in Ecclesiis; provocamus eos, adversantur traditioni.

In tertio sæculo, Tertullianus, lib. de præstr. cap. 19. & 21. docet, non esse agendum cum Hæreticis ex Scripturis solum, sed insuper ex traditionibus, quæ, ut addit, in Ecclesiis Apostolicis retinentur. Clemens Alexand. teste Eusebio, lib. 6. hist. cap. 11. fatetur se, à familiaribus suis compulsum, ut traditiones, quas à veteribus Presbyteris accepisset, litteris traduceret ad posteritatem. Origenes ejus discipulus, tract. 29. in Matth. Quoties, inquit, proferrant scripturas, videntur dicere ecce in dominibus est veritatis: sed nos illis credere non debemus, neque exire à prima & Ecclesiastica traditione; neque aliter credere, nisi quemadmodum per successionem Ecclesiæ Dei tradiderunt nobis. Sanctus Cyprianus, lib. 2. epist. 3. testis est esse Traditionem Dominicam, quod vino calicis admisceatur aqua.

In quarto sæculo, Sanctus Athanasius, lib. 1. de

a. de Decreti. Synod. Nicen. nos quidem, ait, ex patribus ad patres, per manus traditam suisse hanc sententiam demonstravimus. Sanctus Basilius, lib. de Spiritu - Sancto, cap. 27. scribit: Dogmata, quæ in Ecclesia prædicantur, quedam habemus è doctrinâ Scripturarum tradita: quedam rursus ex Apostolorum traditione in mysterio: hoc est, in oculo tradita recipimus; quorum uiraque parem vim habent ad pietatem, &c. Sanctus Gregorius Nazian. orat. in Julian. de doctrina loquens dicit: Majorem esse atque insigniorē ob eas Ecclesia figurās, quas traditione acceptas, in hunc usque diem servamus. S. Epiphan. Hæres. 61. Oportet, inquit, traditione uti: non enim omnia à divina scriptura accipi possunt. Sanctus Ambrosius serm. 25. 34. & 36. assertit, Quadragesimam à Christo preceptam. Et serm. 38, Symbolum Apostolorum esse Traditionem Apostolicam non scriptam. Sanctus Hier. ep. ad Marcel. de errore Montani, ait, Nos unam Quadragesimam ex Apostolica Traditione jejunamus. S. Chrys. Homil. in Act. Apostolorum affirmit Apostolos, Non parum multa etiam absque scripto tradidisse. Denique S. August. loquens de consuetudine Ecclesiæ lib. 2. contr. Donat. cap. 7. addit: Quam credo ex Apostolica Traditione venientem; sicut multa non inveniuntur in litteris eorum, neque in Conciliis posteriorum & tamen quia custodiuntur per universam Ecclesiam; non nisi ab ipsis tradita & commendata creduntur. De cæteris Patribus sæculorum subsequentium taceo: de quibus nec ipsi dubitant Hæretici traditiones admissile.

PROPOSITIO III.

EX illis manifestum est , quām concors sit & unanimis consensus Sanctorum Patrum de fide traditionum sacrarum . Verūm , quia testimoniūm Dei majus est , ut loquitur Ioan . Apost . hæ sunt scripturæ autoritates , quæ probant efficacissimè hanc nostram de illis sententiam & propositionem . Deuter . 32 . dicitur : Interrogā patrem tuum , & annuntiabit tibi : majores tuos , & dicent tibi . Psalm . 77 . Quanta mandavit patribus nostris nota facere filiis suis : ut cognoscat generatio altera . Ecclesiastici 8 . Ne despicias narrationem Presbyterorum sapientium : & in proverbīis eorum conversare . Ab ipsis enim disces sapientiam . Et infrā versu 8 . Non te prætereat narratio seniorum : ipsi enim didicērunt à patribus suis , &c . Ioan . 16 . Adhuc habeo multa vobis dicere ; sed non potestis portare modò . Cum autem venerit spiritus , docebit vos omnem veritatem . Et cap . ultimo . Sunt alia multa quæ fecit Iesus : quæ si scribantur per singula , nec ipsum arbitror mundum capere posse eos , qui scribendi sunt , libros . Act . 1 . Præbuit seipsum vivum in multis argumentis , apparetis eis , & loquens de regno Dei . 1 . ad Cor . 11 . Laudo vos ; quod per omnia memores es̄tis mei , sicut & tradidi vobis , & v . 34 . Cetera cum venero , disponam . 2 . ad Thessal . 2 . Itaque tenete traditiones , quas didicistis : sive per sermonem : sive per epistolam nostram . 2 . ad Tim . 1 . Formam habe sanorum verborum , que ante audisti à me , in fide & dilectione in Christo Iesu . Et cap . 2 . Que audisti à me per multos

testes; haec commenda fidelibus hominibus , qui
idonei sunt alios docere.

PROPOSITIO IV.

Adiciuntur his testimoniis omni exceptione majoribus , subsequentes rationes prouersis efficaces , & in his maximè fundatae. 1. est : Quia cum illud secundum fidem admitti debeat , ut nemo refragabitur ; quod docet expressè Scriptura , quod definit Ecclesia , quod confirmat unanimis consensu Sanctorum Patrum , ac demùm quod fuit semper à fidelibus creditum : & constet id sacris Traditionibus competere , ex his quæ hactenùs de illis dicta sunt : Consequens est evidentissimè ; ut sint admittendæ traditiones secundum fidem. 2. Quia ex mox dictis etiam manifestum est , omnem doctrinam divinitùs revelatam non contineri in Sacris Scripturis ; nec posse ex illis elici per expressam & evidentem illationem : Ergo debuit esse in Ecclesia præter Verbum Dei scriptum , aliud non scriptum , quod esset etiam Fidei norma & regula ; pro his quæ non habentur sic in Scriptura. Talis autem est ut patet existentiæ Scripturæ Sacra traditio. Siquidem manifestum est , scripturam non continere ; nec ab ea clare & expressè deduci , quod detur ipsa Scriptura : quod sit apud nos salva & integra ; quod nos verum ejus ac legitimum sensum habeamus : quæ tamen de fide sunt ; ut nec ipsi adversarii diffitentur: Saltem per ordinem ad ea quæ ipsi credunt & ad Scripturam , quam habent. 3. Quia cum necessariò tamquam de fide admitti debeat , quidquid novimus in Ecclesia creditum , & observatum pro omni statu.

E ij



quem habuit hæc ex illa speciali prouidentia, qua Deus regit eam & rexit ac reget perpetuò: constetque in lege naturæ; in qua tot viri sancti floruerunt, ut Abraham, Isaac, Iacob, &c. multa sine scriptura fuisse credita: v. g. creationem mundi, futurum adventum Messiae, &c. ex sola Traditione. In legē scriptā fuisse remedium aliquod pro sc̄minis contra originale peccatum, de quo nihil in scriptura; sed solum in traditione: & in lege gratiæ seu evangelica, de Baptismo parvulorum, v. g. de quo nihil habet Scriptura, sed sola Traditio; Sequitur evidenter de fide esse admittendas traditiones. 4. demum; Quia èd certius est admittendas esse secundum fidem sacras traditiones, quō noviinus omnes ferè hæreticos obstinatos fuisse a illas rejiciendas.

PROPOSITIO V.

REJECERUNT autem eas in primis Arriani, qui vocem homousion recipere noluerunt, eo quod non extaret in Scriptura; negarunt Macedoniani & Eunomiani, qui versiculum hunc, quo Psalmi Davidici terminantur, utpote, *Gloria Patri & Filio & Spiritui - Sancto*, non abjecerunt, nisi quia in Scripturis non legebatur. Pelagiani qui teste August. lib. de grat. cap. 39. uno ore effutiebant dicentes: *Credamus quod legimus, & quod non legimus nefas credamus adstruere.* Nestoriani, qui vocem *Theotoco* hoc est Deiparam, non alio titulo respuebant, nisi quod in Scripturis non haberetur. His adde Lollardos, Abailardum, Vilelephum, Calvinum, &c. qui propter idem Traditiones non sucepere: quamvis Kemnitius



S C R I P T U R A E S A C R A E. IOI
in suo examine Concilii Tridentini , non sit
ausus omnes traditiones rejicere. Sic enim ait :
Traditionem quā nobis in manum dantur Scripturæ libri, reverenter accepimus.

P R O P O S I T I O VI.

Plura respondent Hæretici ad infringendam
vim nostrorum argumentorum : duo potissimum 1. Scripturam esse Fidei principium ;
ideoque non indigere Traditione , per quam
probetur ejus existentia : cum , ut docent Philosophi , principia non probentur , sed præsupponantur. Vnde male probari dicunt Traditiones à nobis auctoritate Scripturæ : alioqui
committetur circulus vitiosus , ut patet : Scriptura enim probabit Traditiones ; & ipsa traditio
scripturam. 2. Contra auctoritates Sanctorum
Patrum eos alicubi errasse ; quod Deus permisit suā providentiā , ut nemo diffitebitur : id
circò potuisse etiam hīc errasse. Ex quo putant
se non multum urgeri à nobis , his præcitatissimis
illorum testimoniis.

Sed contra utrumque replicamus : Contra
primum , falsum esse quòd aliqua principia non
probentur ; ut patet de principiis scientiæ subal-
ternatæ , v. g. unde falsum est Philosophos in-
telligi posse de omnibus absolutè principiis ,
sed solum de primis , & per se notis : qualia non
sunt quòd detur Scriptura ; quòd apud nos sit
integra & incorrupta , &c. licet Scriptura verè
dicatur principium Fidei , supposito quòd exstet ,
sitque vera & legitima ; quod probari nequit à
fidelibus , nisi per Traditionem. In qua proba-
tione non magis putandus est circulus , quàm in
eo quòd Christus Ioannem Præcursum suum

commendarit: ut ejus testimonium facilius recipetur, asserens: *Inter natos mulierum non surrexisse majorem.* Et quod Ioannes Christi Præcursor eum populis indicavit pro suo officio, dicens, illum esse Agnum Dei, his verbis: *Ecce Agnus Dei; ecce qui tollit peccatum mundi.* Ad secundum verò fateor, plures Sanctorum Patrum in aliquibus errasse; quia homines erant: sed nullus admittet eos in hoc errasse; quod omnes unanimi consensu docuerunt, aut testificati sunt; ut hinc factum est.

PROPOSITIO VII.

Obiciunt iidem Hæretici multa; tūm ex Scriptura, & Sanctis Patribus; tūm ex ratione petita, quibus hic satisfaciendum est. Inprimis opponunt nobis ex Scripturis testimonia octo. Primum habetur Deuteronom. 4. v. 2. *Non addetis ad verbum, quod ego vobis loquor: nec auferetis ex eo.* Et cap. 12. v. 32. *ne addes quidquam, aut minues.* Secundum Isai. 29. *In vanum colunt me, docentes mandata, & doctrinas hominum.* Tertium Matth. 35. *Irritum fecistis mandatum Dei, propter traditionem vestram.* Quartum ad Colos. 2. *Videte ne quis vos decipiatur per philosophiam & vanam fallaciam, secundum traditionem hominum.* Quintum ad Galat. 1. *Licet nos aut Angelus de caelo evangelizet vobis, præterquam quod evangeliavimus vobis: anathema sit.* Sextum 2. ad Tim. cap. 3. postquam dixit Apostol. *Omnis doctrina divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, &c. addit;* Ut perfectius sit homo Dei ad omne opus bonum instrutus, &c. Septimum ad Romanos 16.

SCRIPTURÆ SACRÆ. 103

Rogo vos fratres, ut observetis eos, qui dissen-
tiones & offendicula prater doctrinam quam
vos didicistis, faciunt, &c. Octavum denique
1. Petr. 1. Redempti estis de vana vestra conver-
satione paternæ Traditionis.

Hæc certè quām leviter objecta sint, ostendent
ad singula responsiones. Ad 1. enim citatum ex
Deuteron. respondetur intelligendum esse de
Verbo Dei, tam scripto, quām non scripto.
Fuisse enim diximus Verbum Dei non scrip-
tum; ac proinde Traditionem divinam apud
Iudeos multiplicem, illis autem simul sumptis,
addi à nobis non licet. Ad 2. verba Isaiae esse
explicanda de traditionibus Iudæorum & Gentium,
quæ cum Scriptura pugnabant, quas fa-
bulas Iudaicas Apostolus vocat, loco supra ci-
tato: non autem de Traditionibus Fidei; quibus
simul cum Verbo Dei Populus Iudaicus regeba-
tur: ut nunc suis traditionibus cum scriptura,
populus fidelis. Et sic exponenda sunt, quæ
ex Matthæo, cap. 15. ex Epist. ad Coloss. 3. &
4. loco. Ad 5. & 7. testimonium Apostoli di-
co particulam propter, idem significare ac
contra; ut interpretantur Sancti Ambros. Chry-
stost. cum Theoph. &c. Vnde in his rejiciuntur
solum Traditiones, quæ contra Scripturana
sunt; quas non defendimus. Ad 6. utile hic
sumi pro sufficiente: vel si in rigore sumatur,
ut vox sonat; cum illud quod est utile ad ali-
quid non excludat aliud utile ad hoc ipsum:
ut quando asseritur, quodd eleemosina sit utilis
ad satisfaciendum pro pœna peccatorum, non
excluditur quodd etiam oratio & jejunium ha-
bent ad hoc ipsum utilitatem. Vel adhuc ad-
jici posset, hoc intelligi de doctrina scripta, &
non scripta; hoc est, simul de Scriptura & Tra-

ditione. Ad 8. denique, Petrum nomine paternæ traditionis exponi debere, de Traditione Iudeorum ac Gentilium superstitiosa; quam ibi damnat, ut deber Princeps Apostolorum.

PROPOSITIO VII.

Deinde ex Sanctis Patribus nobis oppo-
nunt, 1. Tertullianum qui libro adversus
Herm. ait. *Adoro plenitudinem Scripturæ.* 2. Ori-
genem *Homil.* 1. in *Ierem.* ubi afferit, neceſſe
eſſe nobis Scripturas Sanctas in testimonium vo-
care. 3. Hier. in cap. 23. Matth. dicentem quod
de Scripturis auctoritatem non habet, eadem
facilitate contemni debere, qua probatur. 4. Cy-
rillum, lib. 12. in *Ioan.* cap. ultimo, ubi ait,
non omnia, que Dominus fecit, conscripta sunt;
sed que scripta sunt; tam ad mores, quam ad
dogmata sufficere potuerunt. 5. Sanctum Chry-
ſost. *Hom.* 3. in 2. ad *Theſſ.* qui habet quecum-
que neceſſaria sunt, manifesta sunt ex divinis
Scripturis. 6. August. locis innumeris: ut
in primis contra litteras Petilianis; ubi approbans
dictum Basilii, ait: *Si quis sive de Christo, sive*
de ejus Ecclesia, sive de quacumque re alia, que
pertinet ad fidem, vitamque nostram; non di-
cam, si nos, sed quod Paulus adjecit: si Angelus
de caelo vobis annuntiabit, præter quam quod
in Scripturis legalibus, & Evangelicis accepisti;
anathema sit. Et lib. 2. de Doctr. Christ. cap. 9.
Quæ apertè posita sunt in Scriptura; inveniun-
tur eſſe omnia, que continent fidem, moresque
vivendi, &c. De reliquis taceo.

Verum hæc singula non magis contra nos fa-
ciunt, quam præcitata ex Scripturis. Manifestum
est enim ad 1. Tertull. non loqui de plenitudine

SCRIPTURÆ SACRÆ. 105

omnimoda & absolute in omni materia ; cum constet plura credenda esse , quæ non continentur in Scripturis : sed de plenitudine in certa materia ; ut potè de rerum creatione , de qua illuc agit. Ad 2. Origen. per verba citata , voluisse solùm libros apocryphos excludere , qui tunc circumferebantur : vel etiam traditiones illas , quæ non erant receptæ ab Ecclesia universa. Ad 3. Hierony. similiter loqui de illis traditionibus quæ nec suscipiuntur ab Ecclesia , nec fundantur in Scriptura. Ad 4. 5. & 6. Santos illos Patres explicari debere de sufficientia Scripturæ , quantum ad testimonia eorum dogmatum , quæ pertinent ad fidem Christi divinitatis , v. g. de qua planè & plenè per Scripturam instrui possumus : non autem de sufficientia totali & absoluta , quantum ad omnia credenda : pro qua sacra Traditio adhuc requiritur ; ut satis colligitur , tūm ex eo quod sancti Patres , isti præcipue , sacras traditiones nobis tantoperè commendarunt , ut ostensum est. Vel solùm ex eo quod refert Theod. de Constantino Imperatore , l. b. 1. cap. 7. ubi asserit , quod cum Ariani scripturis non planè convincerentur ; ipsas scripturas pro suo libito interpretantes ; damnatos fuisse ex sermonibus mox scriptis ; pie tamen intellectis in Concilio Nicæno , quorum damnationi subscriptis ipse Constantinus.

PROPOSITIO IX.

DEnique instant adhuc illi Hæretici tribus argumentis ex ratione petitis. Primùm est , quia , ut aiunt , inutiles prorsùs sunt traditiones illæ , quæ dicuntur fiduci : eò quod Scriptores

sacri, præsertim Novi Testamenti, omnia quæ ad fidem & mores pertinent, scriptis consignarint. Ad quid enim omisissent aliqua? non certè ex negligentia, vel invidia. Secundum, quia si præter scripturas Traditio sacra Fidei admittenda sit; aperietur ostium erroribus plurimis. Qui enim sentiet se auctoritate Scripturæ destitutum, effinget traditionem aliquam. Tertium, quia nisi Deus quæcumque ad fidem & mores pertinent inclusisset, maximè in Novo Testamento; minus quam par est, humanæ infirmitati providisset. Etenim Traditio de qua hic, difficilius in Ecclesia conservaretur, quam Scriptura: tūm propter oblivionem hominum, tūm propter malitiam aliorum.

Verum neque istæ rationes aliquid probant, neque movent instantiæ. Nam respondeatur ad 1. falsum esse, quod Scriptores Novi Testamenti omnia absolutè ad Fidem, vel mores pertinencia scriptis consignarint, ut patet ex prædictis; sed solum omnia necessaria, vel utilia singulis fidelibus in particulari: non autem Ecclesiæ universali, ut ex dictis notum est: ubi ostensum est, præter scripturas, Traditionem esse admittendam: quæ idecirco inutilis non est; nec dici potest, quæ in scripturis non traduntur, ex malitia vel negligentia omissa fuisse; sed ex Dei providentia, qui sic voluit nobis providere. Nec nobis opponatur Iren. lib. 3. cap. 1. quem contendunt adversarii, docuisse hanc scriptis consignationem, de qua mox; cum ibi sibi solum testificetur, Apostolos scripsisse Evangelium, quod ante prædicaverant. Ad 2. falsum etiam est: nostram sententiam aperire ostium multis erroribus. Non enim hic quaestio est de efficiis singulis quibuscumque traditionibus; sed de

his tantum, quas suscipit Ecclesia. Vnde qui scriptura destituitur, non potest sibi traditionem hujusmodi effingere. Adde quod non minus scriptura depravari potuit, quam traditio: ut patet ex illo Petri, ubi conqueritur Scripturas a malis hominibus depravari, dum eas detorquent ad falsos sensus. Ad 3. falsum denique est, sequi ex nostra sententia, quod Deus humana infirmitati minus quam necesse est, providisset: cum non minus malitia hominum Scripturas potuerit, corrumpere additione vel detractione aliquorum; quam longa temporum intervalla oblivionem inducere traditionis alius: cuius si potuit esse oblivio, Traditione non est; quæ debet sine ulla interrupcione à primis Ecclesiæ sacerulis ad nostra tempora deduci. Non addam, nihil posse, vel oblivionem, vel malitiam hominum contra providentiam divinam, quæ satis invigilat traditionum conservationi; supposito, quod per eas, simul ac per scripturam, intendat homines de fide ac moribus instruere. Sed his quæ hactenùs dicta sunt de necessitate admittendi sacras traditiones.

PROPOSITIO X.

Aditur, conveniens maximè fuisse illas admittere in hac Lege nostra Evangelica. Id manifeste patet in primis ex parte Dei, cui aliquid dicitur convenire externâ convenientiâ; quando constat eum istud voluisse, & statuisse: ut ex dictis notum est; per eas simul ac per scripturam voluisse suam regi Ecclesiam. Nec minus evidens est de convenientia interna, quæ in eo sita est; ut res quæ alicui conveniens dicatur; id habeat ratione sua bonitatis. Cum

igitur traditionibus Deus contulerit bonitatem quam habent ; quis negabit traditiones Deo conuenire etiam internā convenientiā ?

PROPOSITIO XI.

Deinde ex parte illorum , per quos Deus eas tradidit : de quibus hic . Nam eas quarum ipse immediatè auctor fuit ad omne tempus deduxit : Tùm , quia cum gratia non destruat naturam , sed illam perficiat ; conveniens fuit , ut Apostoli eorumque successores , in regenda Ecclesia modum tenerent , qui observatur communiter in aliis Rebus publicis ; ubi præter leges sunt etiam consuetudines , quæ non minus obligant : Tùm etiam , quia cum plebs fidelium debeat ad suos Pastores configere , qui eam pascant pabulo doctrinæ ; scripturas interpretando ; ut servetur subordinatio discipulorum ad suos magistros ; conveniens fuit , ut per sacras Fidei Traditiones , ab illis docerentur fideles ea fidei vel morum dogmata , quæ in scripturis non continentur explicitè : ut certum est , plura non contineri .

PROPOSITIO XII.

Insuper ex parte ipsarum Traditionum adhuc conveniens fuisse convincitur . 1. Propter mysteriorum Fidei dignitatem : decebat enim , ut aliqua non exprimerentur in ipsis scripturis , sed vivâ voce docerentur in Ecclesia , quod non sit nisi per sacras Fidei Traditiones ; ut nemo non videt . Idcirco Euseb . lib . 1 . de Demonstratione Evangel . cap . 6 . dixit , sublimiora sapientib[us] sine scripto tradita fuisse ; ut videtur innuere

Apost. 1. ad Corin. 2. dicens; *Sapientiam loquimur inter perfectos* 2. Quia per ipsas traditiones Deus qui voluit media hominibus tradere, quibus docerentur fidei & morum dogmata; melius se illis accommodavit, scriptis tradendo aliqua; & alia sine scripto: quatenus viliores pluris aestimant, quæ apud superiores & Doctores, quasi quidam thesauri doctrinæ asservantur. Cujus figuram fuisse assertit Origenes & Basil. in facto Moyfis, qui in designando Dei templo, noluit cuncta ejus loca patere omnibus. Cui nihil obstat quod Philosophi Gentiles, & quidam Hæretici, simile præstiterint de suis dogmatibus, & mysteriis seu arcanis: quatenus isti eā methodo usi sunt, vel ob vanam gloriam, vel ob invidiam exterorum, ut sibi solum hanc famam asservarent, vel ob turpitudinem suorum mysteriorum: atque etiam, ut monet Cypr. Epist. ad Iubai. in quantum à Dæmone ad hoc ipsum impulsi sunt, qui eos voluit simias esse fidelium.

PROPOSITIO XIII.

Denique clara est hæc convenientia ex parte illorum, quibus datæ sunt Fidei traditiones; ut satis declarant aliqua scripturæ testimonia, maximè Novi Testamenti: quatenus de his solum hic agitur, quæ sunt in hac lege gratiæ: & Sanctorum Patrum. Nam Christus ipse suos alloquens Apostolos, *Luc. 8.* dicit *Vobis datum est nosse mysteria Regni Dei.* Cæteris autem in parabolis. 2. *Tim. 2.* habetur; *Quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt alios docere &c.* Super quæ Tertullian. lib. de præscr. cap. 26. ait. Com-

sequens autem erat, ut cui demandabat Evangelij administrationem; non passim, non inconvenienter administrandam adjiceret, secundum dominicam vocem, nec margaritam porcis & sanctum canibus jactaret. Idem non minus expressè habet S. Dionys. explicans illud Pauli: Depositum custodi; ubi dicit, observa diligenter, ne efferas sancta Sanctorum; neve prophanicis hominibus violanda permittas. Verum revereberis magis occulta Dei mysteria, spirituibus invisibilibusque notionibus honorabis, atque intemerata servabis: nequaquam ea passim rudiibus tradens; sed sanctis solis, sanctorum rerum intelligentias sacrariis pandens.

PROPOSITIO XIV.

Contendunt Hæretici convenientius fuisse; si ab Apostolis fuissent singula scriptis tradita in libris biblicis Novi Testamenti, propter duo. 1. Propter certiorem memorie usum. Et 2. Ne traditionibus immutaretur doctrina, ac corrumperetur. Verum quām vana & futile sit utraque illa probatio, satis notum est. Etenim cum nemo nesciat salutem Christianæ Republicæ non esse reliquam humanæ curæ ac vigilie; sed Spiritui-Sancto, qui regit Ecclesiam, ut Fides docet: quis aestimabit recurrentum ad naturale medium; ne oblitterentur aut immutentur, ac corrumpantur, quæ nos docemur per sacras Fidei traditiones? Deus est qui curat, qui invigilat; nihil certè ultrà addendum: qui etiam voluit traditiones ipsas in scriptis sanctorum Patrum conservare. Ex quo testes sacrarum Traditionum appellantur, ut dictum est. Et ne illud ipsum à nobis putaretur impossibile; placuit ip-

SCRIPTURÆ SACRÆ III

si nos exemplo Linguae Hebraicæ penitus convinceré , quam sine scripto , ab Adamo ad Moysem asservavit , sine scripturæ alicujus ope & auxilio .

ARTICULUS III.

De auctoritate sacrarum Traditionum.

PROPOSITIO I.

Traditiones divinæ , quas Apostoli à Christo acceptas Ecclesiæ consignarunt , infallibilis auctoritatis sunt ad veram Fidem & Religionis doctrinam comparandam & confirmandam . Demonstratur hæc nostra propositio ex duobus portissimum : alterum est ; quia non ideo dogma aliquod fide credendum est , quod scriptum sit , aut non scriptum ; sed quia est divinitus revelatum . Idemque dicendum cum proportione de his , quæ ad mores , ac ritus Sacramentorum spectant : quorum præcepta non obligant , quia scripta sunt , aut non scripta ; sed quia sunt ex institutione Dei aut Ecclesiæ . Igitur cum Traditiones sacrae à Deo revelatae sint suo modo , non secūs ac verbum Dei scriptum ; & illud sit divinæ , & consequenter infallibilis auctoritatis ; quatenus verbum Dei est ; debent Traditiones divinæ sic esse , quæ Verbum Dei non scriptum sunt , ut à Deo institutæ , & Ecclesiæ revelatae . Alterum est quod constet Hæreticorum errores non solum scripturæ testimoniis ; sed etiam sèpè sola traditione fuisse confutatos à

sanctis Patribus: ubi scilicet, clarum & expressum Scripturæ testimonium non habebatur. Quod fieri minimè potuisse; nisi traditiones essent infallibilis auctoritatis.

P R O P O S I T I O II.

Traditiones sacræ & divinæ paris auctoritatis sunt, ac scriptura ipsa, ut ex dictis mox sequitur; quatenus tam illæ, quam istæ sunt verè Dei verbum; nec in ea ratione differunt, nisi accidentaliter tantum: ut potè, quod Scriptura sit verbum Dei scriptum; & Traditio verbum Dei non scriptum; sed vivâ voce transmissum. Id definit Concilium Tridentinum *sess. 4.* ubi postquam asseruit Deum esse auctorem utriusque Testamenti; ac proinde utrumque esse supremæ, hoc est, divinæ auctoritatis, addit; Nec non traditiones, tūm ad Fidem, tūm ad mores pertinentes; tamquām ore tenus, vel à Christo, vel à Spiritu-Sancto dictatas, & continuâ successione in Ecclesia Catholica conservatas pari pietatis affectu ac reverentia suscepit & veneratur. Idem antè sancti Patres docuerant. Basil. lib. de Sp. S. cap. 27. dicens, *Utraque dogma scripta & non scripta, eandem ad pietatem vim habent.* Sanctus Chrys. loquens de Scriptura & Traditione, ait; *eadem fide digna sunt, quam illa quam ista. Traditio est; nihil queras amplius.* Adde quod ex utrâque illâ fit ac resultat adæquata regula & norma fidei; quæ ex consensu omnium, est doctrina divinitus revelata. Qualis est tam Traditione, quam Scriptura. Et hinc est, quod judex controversiarum, tam circa agenda, quam circa fide credenda, definitivam sententiam non pronuptiat; nisi in alte-

PRPOSITIO III.

Ed advertendum hic est; parem illam auctoritatem divinarum Traditionum cum Scripturis esse sic intelligendam, tam in esse credibilis, quam in esse entis: si comparentur invicem totum corpus Traditionum, & totum corpus Scripturarum, vel graves & notabiles Traditionum species, cum specialibus partibus scripturæ: & quæ levia videntur in Traditionibus, cum iis quæ levia videntur in Scripturis; quamvis objecta materialia Fidei quæ continent, inæqualia sint in esse entis; omnia tamen in esse credibilis, sive contingentia, sive necessaria æquè ad fidem pertinere; & æquali certitudine & firmitate esse credenda: quia æquè participant rationem Fidei formalem, hoc est motivum credendi; quod est divina veracitas; ratione cuius Deus nec falli potest, nec fallere. Ita dicendum omnino de Traditionibus Fidei, quæ ejusdem Fidei dogmata respiciunt, & quæ nos docent credenda; cum in scripturis non contineantur explicitè. Denique quia tam in scripturis, quam in traditionibus aliqua ad fidem speculativam pertinent, ut sunt, quæ sunt simpliciter credenda: & alia ad fidem practicam, ut sunt quæ ad mores spectant; ac proinde quæ à nobis agenda sunt; ut ex eo deducitur, quod fidei finis sit cognitio, & amor Dei supernaturalis, & consequenter observatio mandatorum: cum omnia quæ nobis, sive in Scripturis, sive in Traditionibus propoununtur, non sint ejusdem perfectionis ac necessitatis, ut speculative credantur; immo aliqua sunt quæ ex se ad fidem non pertinent; nec id-

circò scripta sint vel tradita ; quòd sint necessariò credenda : verùm idcircò necessariò credantur ; vel quia scripta sunt , vel traditione nobis proposita , ut sunt in Scripturis multæ historiæ v. g. Salutationes Pauli in suis Epist. multa quoque in ipsis Traditionibus sacris passim occurunt : ut est jejunium quadragesimale , v. g. &c. Observandum est circa agenda , & ea quæ de fide practica sunt ; reperiri præcepta majora in Scripturis in esse entis ; ut est v. g. præceptum diligendi Deum & proximum : Et in Traditionibus , quòd parvuli v. g. sint baptizandi : & aliqua minora , ut in iisdem Scripturis prohibitio verbi otiosi , v. g. & in Traditionibus , quòd Laici , v. g. non debeant sub utraque specie communicari ; inter hæc esse inæqualitatem in esse entis , cum tamen in esse credibilis æquilia sint. Vnde illa æqualiter obligant nos ad venerationem : & quidem eo sensu , ut non minus Hæreticus esset , qui minora non crederet ; quam qui non crederet majora : inæqualiter vero quantum ad observationem ; ut ex eo patet ; quòd quis non æquè peccaret , qui minora præcepta non observaret , ac qui non observaret majora ; ut nemo Catholicus inficiabitur.

P R O P O S I T I O IV.

Non minus certum est , Traditiones esse aliquiliter majoris auctoritatis , quam sit ipsa Scriptura : non utique quoad se , sed quoad nos : ut evidenter probat quod ante dictum est , & in quo convenienter communiter qui eas admittunt ; nec dissentient omnes Hæretici , qui sicut & nos convincuntur ; non posse proba-

ri existentiam ipsius Scripturæ, ejusque integritatem, ipsiusque sensum legitimum; quam per ipsam Traditionem divinam; quā Deus sic revelavit veteribus fidelibus; ut & ipsi suis posteris, juxta tritum illud & commune effatum Philosophorum. Propter quod unumquodque tale; & illud magis. Et hinc est quod S. August. Epist. Fund. cap. 2. ait. *Evangelio non crederem, nisi Ecclesia me commoveret auctoritas.* Hoc est, ut patet per divinas Traditiones, quas ceu de Fide suscipit illa. Vnde Ecclesia & Scriptura se habent, ut Ioannes Præcursor & Christus, ut dictum est; sed dixi quoad nos, & non quoad se: quia ut ostensum est, Scriptura & Traditio sacra pars auctoritatis sunt, & utique infallibilis omnimode.

PROPOSITIO V.

Traditiones Ecclesiæ, hoc est, quæ non sunt ex Dei aut Christi institutione; sed vel ab Apostolis, ut fuerunt Pastores Ecclesiæ; vel à Pastoribus, qui illis successere, non habent auctoritatem fidei, sicut habent illæ de quibus haecenū dictum est: ut ex eo manifestum est, quod licet Ecclesia in condendis legibus ad Religionem spectantibus errare non possit, saltem quantum ad substantiam, & moralitatem legis; eò quod sanctitas Ecclesiæ ac rectitudo moralis prorsùs indefectibiles sint: quia tamen non potest Ecclesia definire aliquid esse de fide, nisi istud contineatur in Scriptura aut Traditione. [Etenim nec Summus Pontifex, nec Concilia, immò nec ipsi Apostoli novam fidem tradere potuerunt; benè autem à Deo institutam nobis proponere, explicare, docere, ac determinare.]

Consequens est Traditiones Ecclesiasticas non habere Fidei auctoritatem; hoc est, non faciunt illam fidem, quam faciunt Scripturæ & Traditiones divinae, quibus non potest absque errore, immo & hæresi contradici.

PROPOSITIO VI.

Traditiones Ecclesiasticae habent auctoritatem firmissimam, & inconcussam in rebus pertinentibus, tam ad fidem, quam ad cœremonias. Quod satis probatur ex illa infallibilitate Ecclesiæ; quæ sit, ut habeant quantum ad veritatem, robur firmissimum, firmissimamque auctoritatem. Idecò debent quæ per eas præcipiuntur observari sub pœna peccati mortalis, aut venialis; pro gravitate, aut levitate materiæ, aut damni communis: non tamen Hæreseos aut erroris in fide; nisi quis animo hæretico hæc præcepta violaret. Nec potest negari, Traditiones istas ad firmitatem fidei indirectè pertinere; inquantum credimus in rebus ab Ecclesia statutis, sive ad tempus, sive in perpetuum, nihil esse contra fidem ob infallibilitatis privilegium Ecclesiæ à Christo concessum; ut de fide est, in qua nulla est contradiçcio: aliud enim est, aliquid de fide esse; quod directè sumptum negatur Traditionibus Ecclesiasticis; aliud esse contra fidem, si quid contra eas peccetur animo hæretico; cum aliter contra fidem non peccetur, ut dictum est.

PROPOSITIO VII.

Circa hæc autem duo observanda sunt: alterum diversam esse rationem Ecclesiæ gu-

bernationis, & veritatis ab Ecclesia propositæ. Gubernatio namque variari solet; ac proinde leges vel traditiones ordinatæ ad ipsam; pro varietate temporum ac circumstantiarum, non autem veritas illarum. De perpetuis constat, eas hinc habere, quod sint immutabiles; & quod pertineant reductivè ad veritatem fidei immutabilem. Nec de temporalibus quoque dubium esse potest: quia quantumvis cessatum esset jam ab observatione illarum: cum verum ac rectum sit, quod per eas representabatur, & ad cuius finem referebantur: inde immutabiles dicuntur, & verè sunt ad fidei immutabilitatem pertinentes. Alterum, non idcirco Leges Ecclesiasticas & Traditiones universos fideles obligare aliquando sub pena erroris, vel hereticos, quod eas Ecclesia de fide statuerit: sed solum quod quis contemnat aut rejiciat, denegans Ecclesiae potestatem leges condendi, quæ obligent in conscientia; vel ejus indefectibilitatem respiciunt in rebus pertinentibus ad religionem.

PROPOSITIO VIII.

EX quibus omnibus, cum multa colligi possent; haec tria potissimum inferuntur. In primis, juxta traditionum varietatem, diversam his auctoritatem attribui; non autem omnibus eandem. Deinde circa Traditiones sacras multa nobis imponi ab Hæreticis nostri temporis, & quidem falso efficta: 1. Doceri à nobis, in Ecclesia Catholica Scripturam sine humanis traditionibus esse imperfectam & insufficientem. 2. Promereri nos per humanas traditiones, & gratiam justificationis, & remissionem peccatorum. 3. Omnes Traditiones nostras esse Aposto-

licas. 4. Demum totam nostram contentionem
cam ipsis esse in hac parte; quod ipsi solam scrip-
turam; nos vero solas traditiones admittamus:
quorum falsitas singulorum evidenter patet ex his
quaes haec tenus de sacris traditionibus hic diximus
in toto quæst. Denique Traditionem sacram
sicut & Scripturam, esse quidem simul sumptas,
regulam seu normam Fidei, non autem judicem
fidei controversiarum: siquidem index est, qui
 fert sententiam inter partes litigantes, qualis est
potestas Ecclesiae suprema.

PROPOSITIO IX.

JAm si queratur, an sicut datur regula certis-
simæ ad discernendos libros Scripturæ cano-
nicos à non canonicis; nempè definitionem Ec-
clesiae, quæ in Decreto Tridentini nobis propo-
suit, qui sint à nobis suscipiendi, tamquam de
fide: ita dentur regulæ aliquæ ad discernendas
traditiones legitimas ab illegitimis?

Respondetur dari plures & quidem infallibiles.
Nam in primis illæ veræ & legitimæ sunt, quæ
vel sunt à Deo auctore, aut Christo, aut Aposto-
lis, aliisque habentibus potestatem illas insti-
tuendi. Deinde si sint susceptæ ab Ecclesia, quæ
errare non potest. Insuper si successione perpe-
tuâ à tempore immemorabili ad tempora poste-
riora pervenerint. Præterea si Sancti Patres illa-
rum testes sint in suis scriptis voluminibus;
maximè autem si obscurè continebantur in scrip-
turis. Denique si de his sit communis consensus
Ecclesiae, ut videtur Apostolus innuere 1. ad
Corinth. 11. ubi traditionem statuens, seu formu-
lam orandi pro multis, nempè, velato ca-
pite; addit de his quæ contra faciunt: Nas ta-

lem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia & Dei. Signa vero hujus consensus communis sunt; tum universalitas; de qua idem Apostolus ad Rom. 1. Quod annuntiaretur in universo mundo, &c. Tum antiquitas de qua idem 2. ad Tim. 3. Devitata prophanas vocum novitates, &c. Legitimæ & veræ sunt, quibus haec singula convenient: illegitimæ quæ contra has regulas peccant. Cum vero ex predicationis satis intelligatur distinctio traditionum divinarum ab humanis, universalium à particularibus, nihil ultra adjicimus, ut suscepimus à nobis argumentum sumamus: ideoque sit.



QUÆSTIO IV.

De causa efficiente Scripturarum.

A V S A efficiens duplex est, ut docent Philosophi: altera principalis, quæ effectum suum propriâ virtute producit: instrumentalis altera, quæ non propriâ virtute influit in effectum; sed ut mota & applicata ad agendum à principali. De utraque simul agitur in hac questione: & quidem in art. 1. inquiritur, quis sit Auctor Scripturarum, tam principalis, quam instrumentarius. In 2. statuto illo utroque agente; an Deus, qui est principalis ille Auctor, singula dictaverit scriptoribus sacris, qui sunt ejus instrumenta. In 3. an isti cognoverint quæ fac-

runt ipsis à Deo dictata; & Deus illorum non solum intellectum illustraverit, sed etiam voluntatem moverit, manumque adscribendum applicuerit, & quomodo. In 4. denique, quia Moyses fuit scriptor primorum librorum Scripturæ: an fuerit illi primum concessa ars scriptoria, & revelata lingua aliqua nova ad libros illos conscribendos, quos edidit.

ARTICULUS I.

*Quis sit Auctor Scripturæ Sacrae, tūm
principalis, tūm instrumentalis.*

PROPOSITIO I.

Deus est Auctor, seu causa principalis Scripturæ Sacrae, seu Librorum Bibliorum, in quibus verbum Dei scriptum continetur. Hæc propositio est per se nota, ut nemo inficias ibit. Nam si verbum Dei est, debuit à Deo proferri, tamquam ab auctore suo, & quidem principali. Implicat enim primum auctorem, & primam causam rerum omnium creatarum non esse principalem verbi sui, quod voluit ab hominibus scribi, nobisque in perpetuum tradi, & Ecclesiæ sponsæ suæ relinqui. Nec minus repugnat quod verbum Dei sit, & ab alio sit principaliter, quam à Deo solo. Per ipsum enim nobiscum loquitur, mentemque suam aperit de his, quæ ad Fidem pertinent & mores; ac proinde ad Religionem & cultum, quem Deo exhiberi necesse est. Vnde sit, quod plures Sanctorum Patrum Scripturam Sacram vocent Epistolas.

SCRIPTURÆ SACRÆ. 121

volam seu litteras ad nos à Deo missas. Quo etiam nomine donantur libri alii agiographi ; licet non ita propriè , quatenus Deus per utrosque nos dirigit in viam salutis : & voluntatem suam nobis significat , quæ est *sanctificatio nostra* : ut asserit Apostolus. Ex quo colligitur quòd sicut epistolæ alicujus auctor principalis non censetur qui illam scripsit , sed qui dictavit : ita neque Scripturæ sacræ illi scriptores ; sed Deus , qui ipsam eis dictavit.

PROPOSITIO II.

Quod asseritur Spiritum - Sanctum esse illum auctorem principalem Scripturæ ; non eo Iesu debet intelligi ; ut sola persona Spiritus - Sancti illa omnia , quæ in libris sacris continentur , scriptoribus sacris suggesserit ; duabus aliis personis Patre scilicet & Filio exclusis : rum , quia , ut docent Theologi , omnia opera ad extra , ut est istud , sunt communia tribus personis sanctissimæ Trinitatis : eo quòd producantur per eandem numero omnipotentiam , sapientiam , &c. quæ eadem est in tribus illis Personis. Tum etiam , quia cum Spiritus - Sanctus sit amor Patris & Filii , & primum donum , solaque persona divina , quæ nihil producit ad intra , ipse attribuuntur productiones ad extra ; maximè quæ spectant ad nostram sanctificationem ; quæ fit per dona gratiæ supernaturalis , & ex illo amore infinito , quo Deus nos diligit : rectè dicitur productio Scripturarum opus Spiritus - Sancti per attributionem ; quamvis etiam à Patre quoque & Filio , ut sunt cum Spiritu Santo unus verus Deus , qui illas dictavit sacris scriptoribus ; sit illa Scripturarum absolu-

ac productio principalis, ratione unius divinæ sapientiæ, quæ tribus illis personis divinis communis est; quantumvis Spiritui - Sancto attribuatur communiter, ut dictam est, & habetur in Symbolo Niceno: in quo, ubi inter ea quæ de Spiritu - Sancto nos credere profitemur; habetur, qui locutus est per Prophetas: hoc est, qui sacras dictavit Scripturas sacris scriptoribus.

PROPOSITIO III.

Cum extra controversiam sit, Deum scripturas suas per seipsum immediatè non tradidisse; nec per manus Angelorum, sicut tradidit Moysi duas tabulas Decalogi; certum est usum fuisse ministerio hominum, qui libros sacros nobis conscriperunt tamquam instrumenta Dei Auctoris principalis; qui idcirco auctores proximi & instrumentales dici possunt, latè sumpto Auctoris nomine. Hæc singula vix probatione indigent: singulis enim sunt manifesta. Etenim præterquam quod, neque Scriptura ipsa, neque Traditio ulla testificantur Deum per seipsum, vel per Angelos suos, sacra volumina nobis tradidisse: istæ è contra expressè docent, ipsum ea per illos Scriptores sanctos nobis reliquisse. Siquidem Luc. 1. in Canticō Zach. de Deo, seu Spiritu - Sancto, ut est auctor Scripturarum, dicitur: *Sicut locutus est per eos Sanctorum, qui à seculo sunt, Prophetarum eius.* Vbi particula *per*, ut nemo dubitat, designat causam efficientem, non utique principalem, ut testimonium illud satis exprimit: Ergo instrumentalem: ut etiam observat S. Tho. 1. p. q. 36. art. 3. De traditione verò quis da-

bitet fideles hactenùs per eam didicisse , & infra adhuc docendos esse libros sacros , seu biblicos , ab his plerumque fuisse conscriptos , quorum nominibus insigniuntur ; putà à Moysè , Davide , Salomone , &c. in lege veteri , qui dicuntur Moysis , Davidis , Salomonis , &c. & in lege nova Evangelium secundum Matthæum , Marcum , Lucam & Ioannem dici ; quòd à quolibet illorum scriptum est : Epistolas Pauli , Iacobi , &c. quæ ab illis scriptæ sunt : ac proinde illos & ceteros , esse Auctores proximos sub Deo , & instrumenta ejus ; ut potè , qui non propria virtute , nam ea scripsérunt , quæ vires superant eujuscumque intellectus creati ;] sed prout elevati sunt moti & applicati à Spiritu Sancto . In quo ratio instrumenti sita est , ut decent Philosophi .

PROPOSITIO IV.

Quod autem illi dici possint Auctores , hoc est factores proximi , seu causæ instrumentales ; quibus Deus usus est , [nomine auctoris latè sumpto ,] quod strictè & propriè convenit solùm principali agenti : [qui est usus communis loquendi hominum ,] satis patet : tum ex titulis singulorum Librorum Biblicorum , qui suis Scriptoribus attribuuntur , v.g. dicuntur Prophetæ Daniëlis , Ezechiëlis , Isaïæ , &c. in Veteri Testamento ; & in Novo , Epistolæ Pauli Apostoli , Petri , Iacobi , Ioannis , &c. tum quia Sancti Patres sic eos appellant . August. maximè lib. 2. de consensu Evangelist. cap. 12. & lib. 18. de Civit. Dei cap. 41. [intellige semper latè sumpto nomine Auctoris :] quo solùm modò erit intelligendum ; quoties à nobis auctor

tores dicentur librorum, quos ex Dei revelatione ediderunt.

PROPOSITIO V.

Nec ullum moveat, quod S. Gregorius Magnus in proæm. Moral. cap. 5. ut supra tetigimus, dicit: *Frustra à nobis sollicitè investigari in sacris litteris, quis fuerit earum Auctor peculiaris: non secùs ac, si quis accipiens à Rege litteras, sollicitus esset quo calamo conscriptæ essent. Idecirco vana prorsus videtur hæc à nobis quæstio agitata. Etenim Sanctus ille Doctor non negat loco citato, Scribam Regis; qui ejus litteras scripsisset, dici posse auctorem proximum & immediatum, simulque causam effectivam instrumentalem litterarum illarum, quarum Rex esset Auctor principalis: quatenus eas vel dictasset, vel jussisset scribendas. In quo valet nostra paritas: & de quo solum fuit hæc instituta quæstio. Adde quod idem ibidem eos intendit solum reprimere, qui vellent eo dampnataxat animo investigare, à quibus Libri Canonici, vel Agiographi proximè scripti fuissent, ad aliquam eorum commendationem, atque ad conciliandam ipsis auctoritatem. Quod ex eo frustra intendi demonstrat; quod libri illi summa à Deo habeant, qui est Auctor eorundem principalis. Igitur cum à nobis alio sensu tradetur, quod hic proposuimus, consequenter ad nostrum institutum; constat hunc locum Gregorii nihil contra nos facere: Nec proinde nos his verbis, nec qui nobiscum sentiunt, debere aliter modo moveri.*

PROPOSITIO VI.

SI autem quis quærat à nobis ; cur Deus , qui suas Scripturas potuit per seipsum tradere Ecclesiæ ; aut ministerio Angelorum , ut constat traditas fuisse duas tabulas Decalogi : de quibus mox ante , Moysi in monte Sina , non sine prodigiis multis. Cur inquam , Deus Scripturas suas voluerit per Scriptores Sacros & Canonicos communicare ? Responsio satis in promptu est. Non enim hujus potest reddi alia ratio certa , quam voluntas facientis ; sicut respondetur communiter de factis omnibus , quæ pendent à Dei voluntate & libertate ; *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis sue* , ut monet Apostol. ideo ipsum sic fecisse ; ut sese magis hominibus accommodaret , quos voluit iuis Scripturis in Fide & moribus instituere ; eo quidem sensu , ut homines iussa Dei ab aliis hominibus acciperent : quod est illis magis proprieatum.

PROPOSITIO VII.

Quod autem spectat ad illos Scriptores seu Autores proximos librorum sacrorum ; hoc est , Scripturæ sacræ ; constat , non fuisse necesse illos fuisse necessariò & indispensabiliter viros sanctitate conspicuos. Etenim cum certum sit Regem Salomonem fuisse usum ex illis sacris Scriptoribus : incertum tamen est ; an quando libros sacros conscripsit , gratiam Dei recuperasset , quam per tot peccata gravissima notum est amisisse. Imò quamvis aliqui affirment , ipsum egisse penitentiam in fine vita , & in Dei gra-

tia mortem obiisse, ut Genebr. in sua Chron. Maldon, in cap. 1. Marsh. Soto Major, pref. in Cant. Negant absolute, & probabilius, Lyran. in cap. 11. lib. 3. Reg. Bellarmin. lib. 1. de verb. Dei scripto, &c. de quo infra suo loco. Ratio à priori est, quia hæc electio virorum hujusmodi fuit in ipsis gratia gratis data; quæ non conceditur: [ut docent Theologi] in bonum privatum & sanctificationem ejus, cui conceditur; sed in bonum commune, & publicum Ecclesiæ commodum, ejusque sanctificationem universalem; quæ provenit ex doctrina & instructione ipsius Scripturæ Sacræ. Idcirco fuit absolute indifferens, an Deus in conscribendis his libris, usus fuerit viris sanctis, aut peccatoribus: non secùs ac voluit aliquandò per viros etiam impios prophetare; ut per Balaam Iudei prædictum ortum stellæ, quæ Magos perduceret ad Christum recenter natum in Betleem Iudei; & per Caïpham convenientiam & necessitatem mortis Christi Salvatoris, ut redimeretur universum genus humanum, &c.

PROPOSITIO VIII.

Nec certè facit aliquid contra nostram sententiam, quod habetur Psal. 49. ut potest. Peccatori autem dixit Deus; quare tu enarras justicias meas: & assumis Testamentum meum per os tuum, &c. Tum quia ibi, ut verba sonant; sermo Dei non dirigitur ad sacros & canonicos Scriptores; sed ad eos qui Scripturis sacratis abutuntur in suis concionibus; volentes alios de his admonere, quæ ipsi non faciunt; aliisque suadere, quod pro seipsis negligunt; maximè si absque divina missione ministerium

illud sacram usurpent : tūm etiam , quia non diffiteor magis congruum videri , & quidem nostro respectu ; ut illi , quibus Deus ad hoc opus usus est , fuerint viri sancti , donisq[ue] supernaturalibus illustres ; ut fuerunt Moyses , David , Prophetæ , &c. ad ingerendam nobis majorem scripturarum venerationem . Et forte hinc sit , quod sanctos plerumque , & ut plurimum Deus elegerit ad id muneris . Si autem in aliquo non facit : certe quia absolute & indispensabiliter necessarium non fuit : sicut prædictimus ; & Deus humanis judiciis non alligetur .

ARTICULUS II.

An illis Scriptoribus sacris Deus dictaverit singula.

PROPOSITIO I.

DEUS , seu Spiritus - Sanctus [que duo idem sonant , ut ostensum est :] revelavit seu dictavit Scriptoribus sacris omnia & singula ; non solum sententias , sed etiam verba Scripturæ sacræ . Hoc habet ipsa Scriptura multis locis : vel saltem hæc propositio nostra evidenter ex illa deducitur , tam in Veteri , quam in Novo Testamento . Isaïæ 5. dicitur : *Hec dicit Dominus exercituum , &c. Ionæ 1.
Factum est verbum Domini ad Jonam. Ieremijæ 36.* Baruch interrogatus à Primatibus Iudeorum quomodo scripsisset sermones Ieremijæ respondit ; *Ex ore suo loquebatur , quasi le-*

quens ad me, omnes sermones istos : & ego scri-
bebam in volumine attramento. Acto. 4. Domi-
ne tu es qui fecisti cælum & terram, mare &
omnia que in eis sunt : qui Spiritu - Sancto per
os Parris nostri David pueri tui, dixisti , &c.
2. Ad Timoth. 3. Omnis Scriptura divinitus ins-
pirata , &c. 2. Petr. 1. Non enim voluntate hu-
manâ allata est aliquando Prophetia, sed Spi-
ritu - Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei ho-
mines. Ex quibus vides , & verba , & quæ per ea
significantur , esse à Spiritu - Sancto revelan-
te : & quidem sine ulla restrictione ; ac proin-
de , omnia ac singula esse à Spiritu - Sancto dic-
tata illis Scriptoribus.

PROPOSITIO II.

I Dem docent Sancti Patres , qui omnes uno
ore vocant , & citant sententias & verba Scrip-
turæ , ut sententias & verba Spiritus - Sancti.
Siquidem Origen. in Epist. ad Roman. cap. 3.
& S. Basil. Pref. in Psal. circâ illud quod habe-
tur Matth. 5. iota unum , aut unus apex non
præteribit à lege ; observat , non solùm verba,
istorumque ordinem & seriem ; sed etiam syllabas ,
& minimos apices esse sensibus reconditissimis
plenos ; ac proinde singula à Spiritu - Sancto
fuisse dictata. Sanctus Chrys. hom. 21. in Genes.
ait ; Nihil hic scriptum est , quod non multas
sensuum habeat divitias : quandâquidem divino
Spiritu afflati Prophetæ locuti sunt : neque
enim vel syllaba vel apiculus est in sacris litter-
ris ; in cuius profundo , non sit quidam grandis
thesaurus. Sanctus Hieronymus in cap. 6. Mathe-
& in cap. 3. ad Ephes. ait. Singuli sermones ,
syllabæ , apices , puncta , in divinis Scripturis

plena sunt sensibus. Sanctus Ambros. in Proœm. Luc. de sacris Scriptoribus afferit, eos divino Spiritu, ubertatem dictorum, rerumque omnium ministrante, sine ullo molimine cœpta complevisse. Sanctus Gregor. in Proœm. Moral. Ipse ergo hæc scripsit, qui hæc scribenda dictavit, &c.

PROPOSITIO III.

Ratio nostræ sententia omnino suffragatur. Nam cum verbum alicujus instantum ejus verbum sit; inquantum ab illo dictum est; ac per ipsum mentem suam expressit; & quidem mentale, si in sola mente exprimatur; vocale, si voce proferatur; & scriptum, si litteris exaretur; constetque ex dictis hactenùs, Scripturam esse Dei verbum scriptum: consequens est; ut Deo distante scriptum sit; ac proinde non solum Deum sententias voluisse hominibus innotescere; sed etiam verba, quæ illas significarent, atque adeò puncta, apices, &c. Quibus variatis, variaretur sensus verbi hujus; ideoque necesse fuit, ut Spiritus - Sanctus illis Scriptoribus & res, & verba singula dictaverit.

Nec dicas ad infringendam vim hujuscæ rationis; litteras dici Regis, licet ipse scriptori non dictaverit verba singula; dum modo Rex subscriperit idemque de verbo Dei scripto afferi posse. Etenim paritas hæc nulla omnino est. Nam litteræ illæ, quamvis Regis dicantur; non tamen sunt propriæ ipsius; sed appropriatæ solum: hoc autem Dei verbum, Dei maximè proprium est, ut nemo est qui negare præsumat.

PROPOSITIO IV.

Quæ nobis in hac parte adversantur ; ut sunt, Sixtus Senens. Vega. Duvall. Bellarm. Gravin. &c. opponunt nobis plura, quæ nostram sententiam everttere videntur. 1. Multas fuisse res, & verba multa in Scripturis, quæ erant naturaliter nota scriptoribus sacris: id est fructuariae fructuariae Deus illis dictasset, aut revelasset. Dicit, v. g. Paulus in suis Epist. *Lucas est mecum solus : Trophimum reliqui Miletii infirmum : salutant vos, &c.* 2. Lucas, ut aiunt, initio sua Narrationis Evangelicæ profitetur se scripturum esse, sicut tradiderunt ipsi qui ab initio videbunt. Quæ verba exponens S. Hieron. ait: *Sicut audierat ab ipsis, qui testes actorum & verborum Christi fuerant, scriptit : Acta vero Apostolorum, sicut viderat ipse, composuit.* Quæ sati probant Spiritum - Sanctum ipsi res & verba singula non dictasse. 3. Addunt; Auctor Ecclesiastici veniam postulat, si alicubi in verborum compositione deficiat; quod certè minimè fecisset; si res & verba singula à Deo sibi dictata putasset. 4. Objiciunt non esse unum librorum omnium sanctorum stylum; ut omni legenti Sacras Scripturas patet. Vnus enim est alio elegantior, argutior & subtilior: quod satis arguit quemlibet scriptorem res expressissime reuelatas per sua verba propria. 5. Addunt; si Deus verba etiam dictasset; cur quando aliqua Veteris Testamenti in Novo citantur; non servantur eadem verba: quod tamen communiter non sit, ut omnibus est manifestum. 6. Instant non potuit Deus multa inutilia dictasse; quæ tamen in Scripturis leguntur: ut quæ de cane Tobiae,

v. g. supra citavimus: de sollicitudine Pauli de Penula & membranis. 7. Denique opponunt: cum multum inter se differant, quæ captum humanum superant, & quæ non superant; videri probabilius, illa diversissimè fuisse à sacris Scriptoribus scripta; ut potè, prior per illam revelationem specialem; posterior verò per solam excitationem & assistentiam Spiritus - Sancti; eo sensu, ut verborum, apicum, &c. structura, ordo, &c. in scribendo libros illos sacros relicta fuerint ingenio & industriæ scriptorum.

Verū minùs urgent nos singulæ illæ instantiæ; ut discedamus à nostra sententia jam statuta in prima propositione. Etenim facile refluntur. Ad 1. namque fatemur prædictos Scriptores potuisse aliqua naturaliter cognoscere, ut sunt in seipsis: non autem ut elevata, & determinata à Spiritu - Sancto, ad ea significanda quæ Deus statuit per ipsam scripturam significari. Tales sunt auctoritates Apostol. citatæ & similes. Ad 2. Dicimus nihil obstare nostræ propositioni, quæ de Luca ex Hieronymo citantur; tūm propter mox dicta: tūm etiam, quia fieri potuit; ut quæ ab aliis recensentur visa, audita, &c. non fuissent ab his præcipue auditæ aut visa. Vnde speciāli indigebant revelatione Spiritus - Sancti; ut à Luca certò traderentur: non secūs ac videmus, nos indigere aliquandò; ut quæ à nobis visa, auditæ aut alio modo cognita, in memoriam nostram revocentur; si deinde fuerunt oblivione obscurata. Ad 3. Respondeatur dupliciter. 1. Retorquendo argumentum in adversarios nostros. Nam ex occasione verborum Ecclesiast. quæ citantur; idem dici potest de assistentia Spiritus - Sancti, quam illi requirunt, ac de nostra sententia, quæ exigit specialem Dei

revelationem. 2. Quia ut dicetur artic. sequenti, Scriptores sacri non se habuerunt mere spontaneè in libris sacris conscribendis; sed etiam liberè: & idcirco proprii laboris, propriæque industriae potuit veniam petere Auctor Ecclesiastici, qui nobis objicitur. Ad 4. nihil concludi contendō ex illa styli diversitate: eò quod Deus dictando singula, se singulorum genio, & dispositioni attemperavit: ne viderentur ab eo violenter arripi, qui singulis & genium & dispositionem operatus est: & ultra ea quæ ipsis scriptoribus naturaliter indidit; eos supernaturaliter elevavit. Ad 5. additur, idē quando aliqua Veteris Testamenti in Novo citantur; non semper eadem verba servari: quia istud est ad gravitatem & majestatem Dei loquentis: non secus ac plerumque sit apud homines; ut idem auctor eandem rem pluries enarrans; non tamen verbis iisdem exprimat. Ad 6. negatur, quæ ibi adducuntur esse inutilia; ut ostensum est. 1. Enim commendant singularem providentiam, ut diximus, quam Deus habet iustorum: & 2. Zelum evangelicæ paupertatis, qui fuit in Apostolo. Ad 7. denique falsum esse, quod omnia quæ in sacris Scripturis inseruntur, non excedant captum humanum: non utique in seipsis spectata: sed inquantum à Deo elevantur: ut in sacris Scripturis nobis ea significant, quæ Spiritus - Sanctus intendit. Vnde divisio, quæ hic ab adversariis proponitur, nihil penitus contra nos facit.

PROPOSITIO V.

QVæ diximus de verbis singulis Scripturæ à Deo dictatis sacris Scriptoribus; couti-

que idiomate, quo primum ab illis scripti sunt Libri Biblici, ut per se notum est, intelligenda non sunt de verbis sumptis formaliter, hoc est, quatenus sunt Hebraica aut Græca, &c. alioquin, quia Hebraicum idioma multorum huiusmodi librorum jamdudum excidit; ut nemō negabit; libri illi non essent sacri & canonici, nec proinde Scriptura divina: cum tamen contrarium à Trid. definitum sit, tamquam de fide in decreto, de quo supra: immo sequeretur evidenter contra idem decretum; atque ideo contra id quod fides docet de editione latina Vulgata; sequeretur inquit, ipsam non esse Scripturam Sacram; cum tamen de ea sola statutum sit, hunc habere auctoritatem authenticam; ut infra dicetur. Constat enim quod libri Veteris Testamenti, immo & Novi, excepto Marci Evangelio, non fuerunt latino idiomate scripti à suis auctoribus proximis.

PROPOSITIO VI.

DE verbis Scripturæ materialiter acceptis intelligendum est; hoc est, quatenus res eisdem in quocumque idiomate significant: ut ex eo colligitur, quod res illæ non debent hic spectari præcisè, nec verba illas significantia: sed ut elevata à Deo ad verbum ejus scriptum constituendum, seu componendum. Alioqui, ut per se patet, Verbum Dei pure non diceretur; sed partim divinum, partim humanum: nec ipsi Scriptores essent omnimodi causæ instrumentales ejus; sed quodammodo principales; si verba hæc acciperentur, ut significant ex institutione hominum; & res illæ ibi ponerentur, ut sunt nota naturaliter illis scriptoribus. Quod

insuper manifestè confirmatur ex eo quod obseruat S. Thomas ; scilicet , istud esse divinæ Scripturæ proprium , ut non solum verba significant res , (quod commune est aliis libris quibuscumque :) sed etiam res illæ immediate significatæ per verba significant res alias proprie. Quod propriè potest solus rerum creator , id est , Deus. Sic ait , Angelicus Doctor , 3. part. q. 60. art. 5. ad 1. *Judicio Spiritus-Sancti determinatum est , quibus similitudinibus in certis Scriptura locis res spirituales significantur.*

Nec minùs certum est Spiritum - Sanctum , ut res & verba , de quibus mox , dictavit : sic etiam & elegisse idioma , quo quisque librorum sacrorum conscriptus est à sacris Scriptoribus : & utique , propter eandem rationem. Non autem èâ mente , ut solo illo idiomate Scriptura conservaretur , ut ex eo satis est manifestum ; quod vellere suam Scripturam ad omnes omnino nationes , & pro omnibus infrà temporibus pervenire. Idcirco quandò diximus de verbis materialiter esse solum intelligendum , quod Deus ea dictaverit , non formaliter prout talis , vel talis idiomatis , assertum est ; attendimus ad verba præcisè sumpta , propter rationem allatam : non tamen exclusimus illorum idioma librorum sensu explicato mox.

PROPOSITIO VII.

EX quibus manifestè colligitur discrimen quod inter Sacram Scripturam , & definitiones , Decreta , atque Canones Conciliorum generalium intercedit ; quæ nec Scripturæ Sacrae sunt , nec dici possunt : quod in eo situm est ; quod illa licet à Spiritu - Sancto sint , usq;

favente & assistente Conciliis & summis Pontificibus, ne errore decepti labantur, aut decipiantur; non tamen sunt ab illo, ut dicente, & nobis verbum exprimente, ac propalante; quasi Deus per illa homines alloqueretur; ut per Scripturam eos alloquitur: sed est ipsa Ecclesia, quæ per has definitiones, Decreta & Canones, nos alloquitur, ut est Spiritu-Sancto fulta & illustrata.

ARTICULUS III.

*An Scriptores sacri ea cognoverint, quæ
Deo inspirante & dictante, conscrip-
serunt in Libris Biblicis: Deusque il-
lorum moverit voluntatem, & manum
in scribendo applicuerit.*

PROPOSITIO I.

EXTRA controversiam esse debet, potuisse Deum Scriptoribus sacris uti ad conscribendos libros saeros absque eo quod illis aperiret mentem suam; ipsique intelligerent, quæ scribebant: cum indubitatum sit, permultos plura sèpè prædixisse; quæ isti non intelligebant, ut patet exemplis Balaam & Caiphæ, de quibus suprà.

PROPOSITIO II.

Certum est Deum sic movisse Scriptores sacros, ut eorum mentes illustraverit; dando eis illorum intelligentiam, quæ in libris sacris conscripsere. Ad cujus probationem præsupponenda est egregia doctrina Sancti Thomæ, quest. 12. de veritate, art. 7. & 12. ubi docet in primis, ad intellectu[m] duo requiri; nimirum acceptio[n]em cognitorum, & judicium de acceptis. Deinde, quia aliquando acceptio est naturalis, & judicium supernaturale: & aliquando acceptio supernaturalis absque judicio ullo: & aliquando, tam acceptio quam judicium sunt ordinis supernaturalis: hinc fit, quod illustratio divina potuit ipsis Scriptoribus Biblicis contingere tripliciter. 1. quantum ad lumen solum ad judicandum. 2. quantum ad species solum. Et 3. quantum ad utrumque. Prima fit communiter; quoties speciebus naturalibus præexistentibus, vel in potentia imaginativa, vel etiam intellectiva, addit solum Deus instinctum divinum, aut ad componendum species illas ad significandum, quod Spiritus - Sanctus intendit; aut ad confortandum & corroborandum intellectum ejus, cui fit revelatio, & quem vult Deus illustrare; ut de rebus sibi alias cognitis delectum habeat, illas esse veras, & hic & nunc dicendas, vel scribendas. Secunda; si species supernaturaliter infundantur, nullumque detur supernaturale judicium de rebus per illas representatis: & haec imperfecta est; sed perfecta erit, si ultra illuminetur intellectus, ad ea judicanda quæ ab aliis imaginari; vel intellectualiter visa sunt; ut

judicavit Ioseph de somnio Pharaonis, Daniel de somnio Nabuchodonozoris, &c. Tertia demum, quando species supernaturaliter infunduntur; & habetur de illis supernaturale judicium: & ista est omnium perfectissima per quam hic etiam Dei essentia via est à Moysè & Sancto Paulo in transitu, ut asserit Sanctus Thomas post Sanctum Augustinum, eò quod alter esset magister Iudeorum, & alter Doctor Gentium; quo major utriusque auctoritas tribueretur ad instruendos populos.

Ex quibus sic probatur nostra propositio. Talis debuit certè esse illustratio scriptorum canonicorum; ex qua haberet scriptura quod esset respectu hominum certissima, & maximè indubitata; supremæque ac divinæ auctoritatis. Igitur quia solum hujusmodi est, si infusæ fuerint illis scriptoribus species supernaturales, & supernaturale judicium de rebus ab illis scribendis; & elevatis ac determinatis à Deo ad significandas nobis veritates illas supernaturales, quæ in Scripturis continentur. Quod fieri minimè potuit sine illa revelatione perfectissima, quæ fieri in ipsis non potuit, nisi cognoscerent quæ erant scripturi: Consequens est; ut cognoverint quæ ab his erant scribenda, revelatione, seu illustratione illa perfectissimam.

PROPOSITIO III.

Nec solum intellectus scriptorum hujusmodi debuit à Deo illustrari: sed etiam eorum voluntas ab ipso moveri; ut habetur expressè 2. Petri 1. loco supra citato, ubi dicitur: Non enim voluntate humana allata est aliquando Propheetia: sed à Deo inspirati locuti sunt

138 NOTITIA

sanceti Dei homines. Intellige non solum in suo intellectu , sed etiam in sua voluntate moti à Spiritu - Sancto. Quod probat etiam ratio multiplex. 1. Namque certum est , istos fuisse Dei instrumenta , ut ostensum est ; & confirmat illud Psal. 44. *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis :* ut profert de sua lingua Regius Psalteres in canendo Psalmos : nec minus de manu in scribendo , ac proinde de voluntate , quæ illas potentias movet ad suos actus. 2. Quia nisi voluntas hujusmodi scriptorum à Deo mota fuisset ; sed isti ex seipsis , & ex sua propria voluntate à Deo independente ; Spiritus - Sanctus non esset causa principalis scripturarum , et patet : contra prædicta. 3. Quia cum omnes Apostoli , & fere omnes discipuli vitam Christi , & verba ejus , & facta perfectè cognoverint ; non tamen omnes scriperunt libros biblicos Novi Testamenti , sed solum Evangelistæ quatuor , & Paulus , Iacobus , Petrus , Ioannes & Iudas , ut nemo refragatur. Quod cum casu factum non sit ; consequens est ; ut referatur ad motionem specialem , quæ Deus movit voluntatem istorum , & non aliorum. Idem dic de scriptoribus Testamenti Veteris , qui similiter debuerunt in sua voluntate moveri , ad illos scribendos præ multis aliis ; quos satis probabile est , eadem cognovisse , quæ illi conscripsere. 4. Denique quia eadem ratio quæ probat necessitatem illustrationis ex parte intellectus illorum scriptorum , probat adhuc necessitatem motionis voluntatis in iisdem ; quæ suadetur iisdem prorsus argumentis.

PROPOSITIO IV.

Deus debuit adhuc manum eorum scriptorum afficere, & illam dirigere in libris biblicis conscribendis. Etenim præter quād sic evidenter est Deum esse Auctorem principalem librorum hujusmodi, & scriptores solum instrumenta ejus, ab ipso elevata, mota & applicata; non solum in voluntate, sed etiam in manu, seu potentia scriptiva: constat sic esse factum; quia potuisse poni verbum pro verbo, littera pro littera, res pro re, punctuatio omnino diversa, &c. si manu sua ex se operante & defectibili in se spectata scripissent illi: ergo ne hæc contingerent, debuerunt ipsi scribere per applicationem divinam ac directionem: eo quod solus Deus sit omnimodè indefectibilis; ex quo potuit periculum illud evitari. Deinde necesse fuit ut Deus manum illorum scriptorum afficeret ac dirigeret; ne vel ex ignorantia, vel malitia eorum, defectus aliqui irrepererent in ipsis originalibus codicibus: & consequenter in omnibus transumptis & versionibus: atque ita nutaret scripturæ auctoritas. Quod solum evitari potuit, Deo isto modo manum scriptorum dirigente.

PROPOSITIO V.

Hæc autem manus affectio, seu applicatio non debet materialiter, & in rigore hic accipi, eo sensu; ut Spiritus-Sanctus dexteram suam dexteram moverit singulorum scriptorum hujusmodi; non secus ac solent iudi-magistri movere manus puerorum in scribendo. Id enim

non solum repugnat ex parte Spiritus - Sancti; cuius non est alia dextera , quām virtus ejus omnino indefectibilis , efficacissima , & in se infinita. Est enim omnino incorporeus & purissimus spiritus ; verum etiam ex parte scriptorum , cum manus eorum corporeæ sint incapaces habituum , ex Sancto Thoma 1. 2. q. 30. art. 1. qui tamen viderentur requiri in potentia illorum scriptiva ab ipso Spiritu - Sancto accepti ; si sic materialiter istud posset intelligi. Magis spiritualiter , (& metaphoricè quidem,) hæc explicanda sunt ; quatenus Spiritus - Sanctus , seu Deus agentia omnia physicè movet , ac realiter omnia agentia creata , seu causas secundas applicat ad agendum actu motione aliquā reali quidem & determinativa agentiam ad suas operationes ; ratione subordinationis , quām habent omnes causæ secundæ ad primam ; cui non minus subordinantur in operando quām in essendo. Sicut enim implicat illas esse entia creata , nisi per participationem entis ipereati : ita & esse causas actu causantes , nisi per participationem primæ causæ. Quod non sit , ut patet , nisi per influxum causæ primæ in secundas : qui influxus , seu motio in priori naturæ & causalitatis , & simul tempore cum causalitate causæ secundæ , dicitur à S. Thoma , q. 3. de potent. art. 3. ad 7. motio virtuosa per modum quo colores sunt in aëre , & virtus artis in instrumento : de qua fuse à nobis disputatum est in nostra summa Angelicæ Philosophiæ , part. 3. sectio. 2. q. 1. hic autem obiter ad explicandam causalitatem , tum Dei Auctoris principalis Scripturarum , tum scriptorum proximorum.

PROPOSITIO VI.

EX his evidens est, motionem, quâ Deus movit Scriptores sacros ad conscribendas scripturas, fuisse Physicam; non autem Moralem solum: ratio est omnino manifesta; scilicet, quia cum moralis sita sit in sola persuasione, excitatione, & propositione objecti absque ulla determinatione agentis, quod ita movetur; sed ipso relictâ in indifferentia pure potentiali, & in quodam æquilibrio: Physica è contra in eo influxu primi agentis causam secundam determinantis ad unam partem, per modum naturæ & necessarii in agentibus necessariis solum; & per modum liberi in liberis; ut docet Sanctus Thomas 1. p. q. 83. art. 1. ad 3. ubi dicit; Deum operari in unoquoque secundum ejus proprietatem: Consequens est, quod Deus movere debuit scriptores illos physicè, & non moraliter solum: alioqui si solum moraliter, indeterminati fuissent illi scriptores ad scribendum, vel non scribendum; ad scribendum hoc, vel illud propriâ cujusque determinatione, ab omni alio independente: quod de physica motione dici nequit; quâ positâ à Deo determinati sunt ad unam partem, scilicet ad scribendum quod illis Spiritus - Sanctus dictavit; non per modum naturæ aut necessarii; sed per modum liberi, in priori naturæ rationis & causalitatis; non autem reali aut temporis: ex quibus manet ferè probata

PROPOSITIO VII.

QUæ est, quod prædicti Scriptores sacri, sic à Deo illustrati, moti & applicati, non tantum spontaneè, sed etiam verè liberè libros sacros conscriperint. De spontanè operatione extra omne dubium est; cum constet, eos à nullo fuisse coactos, in quo spontaneitas ipsa consistit. Verùm quia libertas, non solum coactionem excludit, sed etiam omnem necessitatem absolutam, & simpliciter dictam, ut docent Thomistæ cum suo Angelico Præceptore; qui, *quest. 24. de ver. art. 1.* opponit necessitatì libertatem arbitrii: &, *quest. 6. de malo art. unico*, idcirco opinionem illorum vocat hæreticam, qui ad libertatem voluntatis requiebant solum non coactionem; quia, inquit, hæc opinio tollit rationem meriti & demeriti. Propter quod etiam damnavit nuper Ecclesia tertiam propositionem Iansenii; cum certò constet, Deum scriptores illos non sic necessariâ illâ motione determinasse, ac per modum naturæ seu necessarii: sed per modum liberi, eos determinando in priori solum rationis, naturæ & causalitatis, ipsis se determinantibus in eodem instanti reali, & in posteriori solum rationis, naturæ & causalitatis; servantib[us]que potentiam ad oppositum absolutè, ac in sensu diviso: in quo sita est indifferentia voluntatis actualis activa, quæ est essentia libertatis. Evidens est, ipsos liberè sic motos & applicatos ad scribendum; vel ex eo quod isti verè meruerunt apud Deum, sic scribendo & obsequendo divinæ voluntati & præceptioni saltem ut plurimam. Id autem fieri non potuit, nisi liberè scrip-

tint ; quia libertas est , ut docent Theologi , una è conditionibus necessariò requisitis ad meritum & demeritum . Dixi autem ut plurimum ; quatenus non constat , an in singulis scriptoribus illis fuerit alia conditio ad meritum requisita ; utpotè , status gratiæ , de quo dubitatur in Salomone . Nec manifestum est de quibusdam aliis scriptoribus Veteris Testamenti : de quibus infrà .

Dices : Docent aliqui , scriptores illos uno tractu absque ulla mora interposita , sic afflatos , motos & applicatos libros sacros conscripsisse nullis interim servientes necessitatibus corporis , eo planè modo , quo Moyses à Deo Decalogum accepit in Monte Sina . Ex quo colligi potest illos liberè non scripsisse .

Respondeo illud gratis dictum ab his auctori- bus ; cum nec Scriptura nec traditio nec ullus sanctorum Patrum testis afferatur : nec videtur ad quid fuerit miraculum hoc absque necessitate : ad quod nihil facit exemplum Moysis , qui tunc Decalogum non scripsit ; sed scriptum accepit de manu Angeli mediatoris .

Vrget Abulensis , quest . 3. in Num . dicens , si Moyses ~~fuisse~~ suæ libertati relittus ; non scrip- sisset de se ipso , quod scripsit : nempè , erat enim Moyses vir mitissimus .

Resp . nomen libertatis non sumi ab Abulensi eo sensu , de quo hic agitur : sed quatenus signifi- cat aliquam indifferentiam propriæ laudis & gloriæ , quam habent viri sapientes : imò & in- clinationem fugiendi hanc vanam jactantiam ; contra quam Deus voluit Moysem hæc de se scripsisse ; si tamen de se ipse scripsit , non autem Esdras : sicut præcepit deinde Paulo Apostolo , etiam in Novo Testamento ; in quo major ad-

huc requiritur perfectio; dona & gratias enumere, quibus à Dō sublimatus fuerat; non utique ex propria electione, sed ex speciali Dei inspiratione; qui judicavit id tunc fuisse necessarium pro sui Evangelii promulgatione, & propter rationes quas ipse novit.

PROPOSITIO VIII.

EX quibus omnibus sequitur aliqualem auctoritatem extrinsecam Scripturæ posse decumi ab ipsis Scriptoribus suis, qui fuere viri sancti ut plurimum: omnesque & singuli scripere per donum gratiæ gratis datæ sibi concessum ad istud opus eximium. Dixi extrinsecam; nam intrinseca auctoritas librorum factorum à solo Deo est, qui est eorum Auctor principalis, ut dictum est.

ARTICULUS IV.

An fuerit ars scriptoria Moysè primū concessa; & revelata ipsi aliqua lingua nova ad conscribendos libros sacros, quos edidit?

PROPOSITIO I.

QUAMVIS Moyses non sit solus Scrip-
tor Biblicus, ut patebit ex dicendis;
quia tamen fuit auctor primorum libro-
rum Scripturæ Sacré; de illo possunt investiga-
ri,

ti, quæ frustra inquirerentur de cæteris. Idcirco
resolvenda hic sunt, quæ in titulo hujus articuli
præfiguntur, & quæ ad ipsa consequuntur.

PROPOSITIO II.

Dicit non potest artem scribendi seu scrip-
toriam fuisse Moysi primū concessam,
& ante quoscumque alios. Constat namque
Deum infudisse Adamo omnem scientiam &
omnem artem quibus posset posteros suos im-
buere: ut ex eo clarè demonstrat Sanctus Tho-
mas; quod cum ex ipsa Scriptura primus om-
nium parens sit à Deo in eo statu corporeo
creatus, in quo posset filios gignere; debuit
propter idem ejus intellectus, in animæ crea-
tione, omnibus scientiis & artibus exornari,
quibus posset illos instituere & erudire. Inter
artes autem recensetur grammatica, quæ par-
tim scriptoria est, ut nemo negabit. Igitur &
illa ipsi infusa fuit cum cæteris: ac proinde
falsum esse convincitur, Moysen ~~hunc~~ fuisse pri-
mum, cui hæc ars concessa sit. Confirmat istud
divina Scriptura: Stephanus enim Act. cap. 7.
in ea oratione quam habuit ad fidem suam testi-
ficandam, de Moysè loquens aperte testatur
ipsum fuisse imbutum omni sapientiâ Ægypti-
orum: apud quos satis constat, & quidem ex
omnium consensu, fuisse scriptiōnem quandam
hieroglyphicā; quæ cum paulò obscurior sit,
non est improbabile, istam fuisse propriam sa-
pientiorum. Sed præter hanc fuisse & aliam
communem; quā clariū verbis quā signis
conceptus suos cæteri quicunque exprimerent;
ut inferri ex eo potest, quod ars difficilior ipsis
non denegetur. Sed quidquid sit; ex hoc habetur

fuisse saltem illam artem scribendi ante aduersum Moysis : imò de Enoc testis est S. August. Iongo tempore ante Ægyptios , scripsisse nonnulla divina , ut dicit lib. 15. de civit. Dei cap. 25. non quidem quæ ad Sacram Scripturam nostram pertinerent ; ut satis patet ex pra^{dictis}.

PROPOSITIO III.

NE tamen quis putet , nos penitus contra triæ sententiæ adversari ; fatemur Moysem hujusce artis posse dici reparatorem ex Dei inspiratione , & auxilio. Quoniam solùm probant rationes adversariorum ; & planè confirmat paritas ejus cum Aristotele. Nam si posterior iste ex viribus naturæ potuit dialeticam reparare ; cur non potuit Moyses divino subsidio , reparasse artem scriptoriam ? Hoc autem nihil præjudicat veritati eorum , quæ ante diximus : nimirum , Moysem primum fuisse auctorem librorum ; tūm quia id intelligitur de libris qui extant , vel extare sciuntur : tūm , quia hæc ars scribendi potuit in iis fuisse , qui tamen nihil scripsere ; ut certum est ex dictis , fuisse in Adamo ; de quo tamen non legitur , quod aliquid scriperit.

PROPOSITIO IV.

Nee facit adhuc contra prædicta , sed potius ea confirmat ; quod recenset Joseph , lib. 1. Antiq. Iud. videlicet , posteros Seth syderalem & cœlestem scientiam excogitasse : hoc est renovasse jam deperditam aut obscuratam ; quæ perfecta fuerat infusa Adamo , addi- que eos , ne sua inventa perirent , scientes Ada-

mem prædixisse duplicem futurum esse orbis interitum : unum diluvio , incendio alium : duas columnas excitasse in quibus sua inventa scripscrunt : latitudinem alteram, & alteram lapideam : & hanc postremam afferit suâ aetate , in Syria adhuc extitisse. Ex his namque habetue solum fuisse scripturam ante Moysis tempora : quod ea quæ dicimus , confirmat : nempe artem illam fuisse ante in aliis , utpotè in Adamo , & in aliquibus posteris ejus : ac proinde non fuisse primum in Moyse. Verum , quia illa ars scribendi potuit ab his temporibus obliterari , aut saltem valde obscurari : id sane non impedit , Moysem fuisse ejus reparatorem.

PROPOSITIO V.

Hic advertendum est ; cum Iosephus non res ferat , an scriptio prædicta suis temporibus perseveraret adhuc , sed solum columna lapidea : velle eos , qui contendunt primum Moysi concessam artem scriptoriam ; scriptiōnem illam fuisse hyeroglificam : non autem communem . Sed contrarium ex eo manifeste probatur , quod scriptiōne illâ hyeroglificâ & minimè communis posteri Seth suo instituto nequaquam satisfecerint propter gravissimas difficultates , quas affert stylus ille hyeroglificus . Iste enim triplex assignatur ; Primus appellatur imitativus in quæres aliqua per aliquid simile designatur , v. g. sol per circulum , &c. Secundus tropicus seu translatius , quo per animalium formas , figuræque repræsentabant Deorum , (quos sic vocabant Ethnici :) aliorumque Heroū dignitates , mores , virtutes , vitia , &c. v. g. fortitudo per leonem . &c. Et tertius Ænigmaticus .

qui ex coniunctione rerum multarum resultabat; ut quando, v. g. per sceptrum, cuius vertice praesigebatur vel oculus vel auris; Deus significabatur Rex universorum, qui cuncta videt & audit, cognoscit, & regit per suam providentiam omnino indefectibilem. Ex his manifestum est, quam frustra putassent scriptores illi, hoc genere scriptiorum se posse sua inventa docere posteros; quorum paucissimi, nedum nihil in ea scriptione intellexissent, sed nec legere potuerint.

PROPOSITIO VI.

Non minus falsum est revelatam fuisse Moysi linguam aliquam novam, quam libros ~~hunc~~ biblicos conscriberet: sed certum est ad hoc usum fuisse Hebraica hominibus a Deo primitus infusa. Totum hoc evidenter colligitur ex eo quod Lingua Hebraica, ut docent plerique, fuit mundocoæva; ut satis probabile est: vel saltem, ut vult sententia multorum, originem duxit ab ipsa linguarum divisione, in ipsa erectione Turris Babel. Et aliunde constat, libros a Moysè eà lingua & non aliâ scriptos fuisse. Non enim alicubi visa unquam fuere aliqua exemplaria originalia librorum Moysis alio idiomate scripta, ex quo Hebraicè fuerint deinde traducti. Idecò frustra effingeretur lingua aliqua nova; cum nec Hebræa potuerit dici nova tempore Moysis; nec ulla aptior fuit ad hos libros scribendos; tūm respectu ipsius, qui Hebræus erat: & cui proinde fuit hæc lingua connaturalis; quam probabilius est Deum ad hoc opus elevarisse: Tūm respectu Hebræorum,

pro quibus illi libri sacri primitus, & immedia-
te conscripti sunt.

PROPOSITIO VII.

AD horum confirmationem tria hæc sequen-
tia observanda sunt. Primum, esse extra
omnem dubitationem Deum dedisse Adamo &
Evæ in creatione ipsorum linguam aliquam seu
idioma, quo suos conceptus per locutionem ex-
primerent, ut possent invicem colloqui, suos
que filios & nepotes instruere; quæ deinde lin-
guæ ad posteros transivit propter eandem ratio-
nem. Quod satis manifestum est, vel ex eo so-
lum, quod nisi primi parentes linguam aliquam,
seu idioma commune à Deo cum cæteris donis
aceperissent; imperfeci fuisse in illo perfectio-
nis statu: in quo tamen certum est ipsa Scrip-
tura sic attestante, Adamum appellasse proprio
nomine cuncta animantia, quæ Deus ad ipsum
adduxit, ut videret, quomodo vocaret ea. Quæ
nomina Moyses ipse testatur 2. Genes. adhuc
suâ ætate perdurasse: *Omne*, ait, *quod vocavit*
Adam anime viventis; *ipsum est nomen eius*.
In quo videtur voluisse nobis significare ac
demonstrare, sapientiam primi nostri paren-
tis, quam iste ab illo acceperat per infusio-
nem. Secundum, indubitatum etiam esse ex
eadem Scriptura, Deum confusisse linguas il-
lorum Noë posteriorum, qui post humani gene-
ris multiplicationem, voluerunt antequam à se
invicem sejungerentur; mox discessuri ad di-
versas terræ partes incolendas, Turrim Babel
ædificare, quæ cœlum pertingeret ad celebran-
dum posteris nomen suum; ut habetur Genes.
4. *Tunc*, sicut illuc dicitur, *erat terra babilonie*.

unius, & sermonum eorundem. Cujus causam seu rationem assignat Eusebius, longissimam scilicet vitam hominum illius ætatis. Sed cum Deus illâ linguarum confusione, quæ unus non intelligebat alium; evertisset humanum istud consilium turris ædificandæ; hinc certè orta est diversitas linguarum & idiomatum, quæ magis accrevit deinceps; pro majori hominum multiplicatione.

Contra quæ nihil facit; quod legitur ibidem, fuisse filios Iaphet & Sem tunc divisos, secundum cognationes, linguas, & nationes: istud enim dictum est per anticipationem; enjus figuræ usus satis frequens est in Scriptura, ut observat S. August. lib. 16. de civit. cap. 14. hoc est, non, quod ante essent diversæ illæ cognationes, linguae, & nationes; sed quatenus ex illa hominum separatione subsequentæ sunt; sicut linguarum confusio: è qua originem duxit, ut clarum est, diversitas idiomatum, quæ non fuit ad extinguendam penitus Hebræam linguam seu idioma: sed solùm ad illi plures alias linguas superaddendas, & multiplicandas pro diversitate nationum & populorum. Nam quomodo, & quo fine Deus extinxisset linguam primam, quam primis parentibus ipse infuderat? Et potius non conservasset in aliquibus Adæ posteris? Certum profectò est, illam fuisse in Abrahamo conservatam & posteris ejus; eamque, ut diximus ad Moysèm pervenisse, qui asserit nomina ab Adam animantibus imposita, immutata permanuisse, quandò Genesim ipse scribebat; ut jam dictum est. De Abrahamo quis dubitet! à quo dicitur hæc lingua primigenia, (quam Sancti Hier. & August. testantur fuisse appellatam humanam simpliciter;) denominata Hebræz.

SCRIPTURÆ SACRÆ. 151

Siquidem Abraham *Hebreus* vocatur, *Genes.* 14. quasi *Trans-Euphraticus*; vel à voce *Hebra*, quæ *Euphratem* significat linguâ *Syriacâ*; vel à voce *Heber*, quæ significat trans; quatenus ipse ex *Chaldæa* trajecit *Euphratem*; habitavitque *Canaan*: unde ab *Aquila Transitor* appellatur, & à *S. August.* *Transfluvialis*; sicut nos vocamus *Transmarinos*, qui trans Mare degunt. Quamvis aliqui *Hebreum* dicant nomen accepisse ab *Heber*, qui fuit inter majores Abraham.

Tertiū denique; falsam esse, & sine fundamento gratisque efficiam opinionem illorum, qui Lingua *Hebraicam* cum *Chaldæa* confundunt. Illas prorsus distinctas fuisse, manifestat quod habetur. 2. *Danielis*, ut potè, Regem *Nabuchodonozor* elegisse pueros *Israël* decoros formâ, & eruditos omni sapientiâ, quos doceret Lingua *Babilonicam*, hoc est, *Chaldæam*; quod, ut patet, frustra fecisset; si linguae illæ non fuissent distinctæ. Non enim negari potest, quod illi Lingua *Hebraicam* penitus callerent; quæ erat ipsis paterna & naturalis: illiquæ dicuntur erudi omni sapientiâ. Fateor quidem *Chaldæam* aliquando dictam fuisse *Hebream*; sed, vel quia populus *Hebreorum* aliquando illâ usus est: vel quatenus posteri *Heber*, inter quos fuit Abraham inhabitantes *Chaldæam*, hebraicè loquebantur, hoc est, linguâ sibi connaturali, degentes inter *Chaldæos*: sumptâ denominatio: non à confusione utriusque linguae. sed ab illa terræ plaga, in qua aliqui loquebantur hebraicè. Nec mirum ulli videri debet; nam sicut *Chaldæa* pro diversitate locorum diversis est donata nominibus; ut nemo potest inficiari: nimirum *Babylonica* à *Babilone*, *Aramea* seu *Syriaca*, aliquando *Assyriaca*, &c. propter pa-

pulos apud quos erat usus linguae ejus: Cur hebraica non potuit appellari ipsa Chaldaea; quatenus fuerunt aliqui Hebrei, qui apud Chaldaem Lingua Hebreæ utebantur tamquam sibi connaturali. Tales fuerunt Abraham maximè, & Sara uxor ejus: ut colligitur ex mutatione nominis Abræ & Sarai juxta Hebreum idiomam. Addo Linguam Hebraicam, non utique ante tempora Moysis, sed longo post intervallo temporis, sic obsoleuisse; dum Iudei per annos septuaginta apud Chaldaeos exularunt; ut populus Iudaicus linguæ hebraicæ ita oblitus fuerit, ut verba Hebraica non caperet, nisi syriacè ipsi ab Esdra explicarentur. Sed hæc, ut vides, corruptio linguae hebreæ hinc facta nihil ad Moysem pertinet: qui longo tempore ante hebraicè suos jam scripserat libros: præter quam quod, quæ de populo Iudeorum hic recensentur, nihil obstant; quod sapientes Hebrei linguam suam asseveravit.

Nec certè audiendi sunt, qui putantes Linguam Hebream penitus excidisse in Captivitate Ægyptiaca; Deum asserunt in exitu Israël ex Ægypto, Moysi linguam illam & toti populo infudisse; fundati præcipue in eo quod habetur, *Psal. 80.* in quo legitur; *Linguam, quam non noverat, audivit.* A quibus si queratur, cur Moses in Pentateucho mirabile illud portentum tacuerit; respondent ipsum non enarrasse singula, sed præcipua. Verum nec testimonium istud probat adversariorum intentum; ut potè, quia neque de Moysi, neque de Populo Israëlico ex Ægypto exeuntibus intelligi potest; sed de Joseph in ipsam Ægyptum intrante, ut ex contextu habetur. Nec magis ratio, seu responsio adversariorum urget; quâ possent figmenta

SCRIPTURÆ SACRÆ 153

quæcumque confirmari. Ex his enim verum remanet ; Moysem in conscribendis hebraicè libris sacris quos edidit, usum esse non lingua aliquâ de novo sibi infusâ, sed veteri illa quam potuit ipse reformasse. Circa eam sunt adhuc aliqua hic resolvenda : de quibus triplici nostrâ responsione ad tria quæsita subsequentia, agetur.

Queritur itaque 1. an characteres Hebræc fuerint olim iidem, tempore Moysis potissimum, ac illi quibus nunc utuntur Iudæi.

Respondetur istud negari à S. Hieron. Præf. in lib. Regum : ubi, ait, Samaritani Pentateuchum Moysis totidem litteris scriptitant, figuris tantum in apicibus discrepantes : certumque est, Esdras Scribam legisque doctorem post captam Hierosolymam & instaurationem Templi, sub Zerobabele, alias litteras reperisse, quibus nunc utimur. Cùm ad illud usque tempus, iidem Samaritanorum & Hebræorum characteres fuerint. Hieronymo subscribunt Euseb. Bed. Rupert. Ex quibus habetur jure dividi characteres hebræos, in antiquos, qui Samaritani dicuntur ; & recentiores, qui appellantur Assyrii.

Queritur 2. Cur Esdras deferuerit Mosaicos characteres, seu Samaritanos, in reparacione Scripturæ ; & usus sit Assyriis.

Huic quæstioni respondetur varias à variis assignari rationes. Putant enim aliqui 1. factum istud ob reverentiam Angeli, qui sententiam Baltazaris, Dei jussu & nomine, litteris Assyriis tulit & scripsit. Mane Techel Phares. Docent alii 2. quia amissum, ut dicitant, tunc erat antiquum scribendi genus : quod falsum omnino esse supra demonstratum est ; sicut fal-

sum etiam, Scripturam antè totaliter periisse, ut
malè arbitrantur quidem. 3. Idcirco præelectos
fuisse ab Esdra hos characteres, quia visi sunt
pulchriores: ac proinde sic dictos à pulchritu-
dine seu venustate: non autem quòd ab Assur
venerint. Sed certè reliqui melius, plura asse-
runt fuisse Esdræ motiva consilii hujus: ut potè
in primis, quòd tunc fuerit desuetudo, & com-
munis ignorantia antiqui characteris. Deinde
ut sic Iudæos dissociaret à Samaritanis. Insuper,
ut esset Iudæis monumentum perpetuum, &
priscæ captivitatis, ac divinæ liberationis. De-
mùm, quia ut sapienter Rupertus, lib. 3. de
verb. Dei cap. 24. Nulli mirum videri debuit,
quòd in restauratione civitatis, vel Templi, &
Scripturæ reparatione litteras quas digitus Dei
scripsit, manum ipsius Esdræ dirigens, per homi-
nem immutari placuerit; cum in constructione
Tabernaculi, quandoque destruendi, tabulas,
quas ipse Deus præparaverat, homo frègerit, &
alias iussu Dei præciderit.

Queritur 3. An libri Veteris Testamenti
scripti olim fuerint hebraicè sine punctis, quæ
in Lingua Hebraica tenent locum vocalium.

Respondetur à Sixto Senensi Genebr. Bel-
larm. cum multis Rabbinis, fuisse antiquitus
in Lingua Hebraica vocales ad pronunciatio-
nem necessarias; non tamen notas, ut nunc
sunt, quibus denotarentur; ut ex multis colli-
gitur. 1. Ex eo quòd characteres Hebræi, qui
adhuc in Siclis, & Monetis comprehendantur, ca-
rent punctis hujusmodi. 2. Quia constat etiam
nunc, non licere Iudæis habere libros sacros
in suis Synagogis cum illis punctis; ut cernitur
ab omnibus, dum legem hebraicè scriptam,
solemniter ostentant. 3. Quia cum per appo-

sitionem punctorum multa componi & illustrari potuissent in Scriptura: nulla tamen sit mentio illorum, neque apud Talmudistas, neque apud S. Hieron. aut vetustiorem auctorem. 4. Denique; quia hinc procul dubio orta est illa diversitas versionum, etiam à sanctis Patribus approbatarum; quæ certè non fuisset, si singula fuissent suis notata punctis. Quamvis ingenuè fateor, majestatem Scripturæ nequaquam dedecere, quod eadem vox plura significet. Quod minimum accidisset, si singula suis punctis notata fuissent, cum distinctione versuum. Istud autem Dei providentia factum est; ad illam de qua mox, Scripturæ majestatem.


Quo autem tempore, loco, & à quibus punctis inventa sint, pro Hebraicis characteribus, valde incertum est. Putant aliqui probabilius quam ceteri, qui de hoc argumento pertractarunt, Auctores punctorum fuisse Iudeos, cum Babylonis in urbe Tyberiade in Palæstina: qui hinc *Maßoreth* sunt appellati; quod essent magistri traditionis acceptæ per manus Esdræ, Gamaliælis, &c. Idque contigisse imperantibus, in Oriente Leone Isauro, & in Occidente Augustulo; Simplicio summo Pontifice, circa annum Christi 476. annis 54. post mortem Hieron. quæ contigit anno Christi 422. Nec dicant qui contra sentiunt, idcirco puncta seu vocales debuisse ab initio fuisse; sine quibus non potest esse pronuntiatio. Etenim quamvis sine vocalibus pronuntiatio esse nequeat; bene tamen scriptio Hebraica; de qua solum hinc agitur. Siquidem sic concinnata est Lingua Hebræa; ut depictis tantum consonantibus Scriptura ejus confici, & legi possit. Quod non habent alii characteres ceterarum linguarum.

Nec instent adversarii prædicti, quæ sub Hebræo charaktere continebantur, non tantum scribi debuisse, sed etiam legi, ac voce exprimi & pronunciari; ad quod vocales omnino erant necessariae: quatenus sunt de integritate & perfectione idiomatis cujuscumque.

Respondetur namque Deum hac arte, seu providentiâ, voluisse ad majestatem Scriptoræ suæ, eo modo celare verbum, quod Domini gloria est: ut habetur Proverb. 25. ita ut Scriptura remaneret scripta illo idiomate, quod non caperent omnes, sed ii solum qui poterant ac debebant aliis explicare, juxta datam sibi sapientiam; quæ supplere noverant vocales & puncta: quæ ex prædicto tempore instituta sunt.

Nec certè audiatur in contrarium filius Chaïm, qui asserit Deum dedisse hominibus Scripturam compunctam. Siquidem hujus auctoritas non prævalet testimonio auctorum, de quibus supra. Si autem quis addat. S. Hieron. Epist. ad Evagr. dixisse; Non resert, utrum salēm, vel salim nominetur; cum vocalibus in medio litteris perraro utantur Hebrei: quo videtur significare fuisse vocales aliquas in hebræo idiomate, si non in medio, saltem in principio, vel in fine: immo & aliquando etiam in media. Respondendum enim est: sanctum vi- rum doctoremque maximum hoc loco nomine vocalium litterarum intellectissime accentus, ut ex contextu illius epistolæ satis manifestum est.





QUÆSTIO V.

*De causa materiali Scripturæ, veluti
in genere.*

 V M ad causam materialem Scripturæ plura pertineant, quæ à nobis hic pertractanda sunt; in primis agendum est in hac quæstione de causa materiali ejus; sed dixi, veluti in genere, quatenus hinc abstrahitur ab omnibus editionibus ac versionibus singulis; de quibus investigabitur: ubi tractatum fuerit quæst. 6. sequenti, de Vulgata Latina; quæ sola habet nunc auctoritatem in Ecclesia authenticam, cum sola talis declarata sit, ex ipsa Ecclesiæ definitione: estque sic norma & regula cæterarum editionum, eo sensu, ut quæ cum ea concordant; perfectissimæ veræ ac legitimæ sint: quæ vero ab ea discordant; illegitimæ sint & judicentur. Inquiretur igitur hinc in 1. artic. de triplici materia Scripturæ Sacræ. In 2. de editione Scripturæ, seu librorum Biblicorum, sive sit prima & originalis, sive translatitia, hoc est, versio originalium in linguam alienam: de multiplicitate & diversitate versionum ejusdem Scripturæ, ac in specie de versionibus hæreticis. In 3. de auctoritate editionum ac versionum, usu illarum in Ecclesia, sive in precibus publicis, sive in lectiōne earum. In 4. demum, utrum Ec-

clesia prohibuerit, & quomodo, lectionem
hujusmodi versionum in lingua vulgari & ver-
nacula.

ARTICULUS I.

De triplici materia Scripturæ Sacrae.

PROPOSITIO I.

MATERIA Scripturæ Sacrae in qua primaria, hoc est, primarium ejus subiectum est cor Ecclesiæ. Id videtur docuisse S. Hieron. super illud ad Galat. *Nostum vobis facio Evangelium*, dicens: *non putamus in verbis scripturarum esse Evangelium, sed in sensu: non in superficie, sed in medulla: non in sermonum foliis; sed in radice rationis*: intellige tamquam in subiecto primario. Ex quibus manifesta est veritas propositionis. Nam si suboriatur, ut sœpè suborta est controversia; quinam sint libri Canonici, qui apocryphi: quæ translationes veræ sint, fideles, & legitimæ: quæ vero illegitimæ: solius est Ecclesiæ id determinare ac definire propter specialem Spiritus-Sancti assistentiam perpetuam, quam habet: ideoque ad ipsam solum recurrentum est; ut recursum est, & ab ea definitum in Decreto Trident. Hoc autem est, quod hic significatur; quando à nobis proponitur, scripturam esse in corde Ecclesiæ, tamquam in subiecto primario, seu materia in qua primaria & principali.

PROPOSITIO II.

SVbjectum secundarium , seu materia *in qua* minus principalis Scripturæ sunt omnes libri sacri , omnesque fideles ejus editiones & versiones ; ut nemo ambigere potest . Quis enim non judicet , & dicat libros illos sacros & editiones ac versiones quas Ecclesia verè approbat , esse veram scripturam , Deique verbum scriptum ; quatenus in his illa continetur , & conservatur ? Vnde jure appellantur , ut clarum est , materia *in qua* minus principalis , seu subjectum secundarium ; cum Ecclesiæ cor , seu illa potestas quam habet hæc determinandi libros illos canonicos ex assistentia speciali , & perpetua Spiritus - Sancti , sit subjectum primarium scripturæ , ut dictum est .

PROPOSITIO III.

Materia *circa quam* ejusdem Scripturæ , seu objectum , est res omnis contenta & significata per illam ; ac proinde quidquid Deo placuit nobis in ea scripto revelare in ordine ad fruendum ipso clare viso : sicut manifestè infertur ex eo quod Fides , Scriptura & Theologia obtineant idem objectum materiale , inquantum principia Theologiæ sunt dogmata Fidei ; & ipsa Scriptura est Dux sacrorum cloquiorum continens Fidei dogmata : ac proinde Theologiæ principia . Constat autem aliunde Fidem & Theologiam habere idem materiale objectum ; ideoque & Scriptura Sacra . Quod idem in re prorsus ab aliis assertur , qui alio modo assignant idem objectum , contendentes

esse simus & Regnum Dei in generali spectatum, ut importat Deum, qui est Rex gubernans, & regnum gubernatum; quod est mundus: istudque in regna quatuor distribuentes ut potè, naturæ, justitiae, gratiae, & gloriae. Vnde sequitur Deum ipsum esse objectum attributionis ejusdem Scripturæ magis principale: Christum vero ut hominem, minus principale. Etenim docent Theologi, Deum esse objectum attributionis Fidei & Theologiæ magis principale sub ratione Deitatis; & Christum ut hominem, esse minus principale. Ex quo consequens est, de utroque illo Scripturæ objecto attributionis idem omnino concludendum. In quorum claram confirmationem additur, quæcumque in scripturis continetur esse, vel Deum Creatorem, vel creaturas ejus; Deum reparatorem, & hominem reparatum; media reparacionis seu redempcionis; ut sunt Sacra menta, actus virtutum, quibus promeremur ex gratia, quæ est principium aetuum ipsorum: dicta vel facta particularium personarum, quæ afferuntur in exemplum virtutum, & fugam vitiorum. Igitur cum hæc cuncta à Deo sint, & in Christo perfectissimè recapitulentur, isteque ad Deum ordinetur ut homo est; satis manet confirmationum quod de utroque illo objecto mox dictum est. Sed Christum dixi, ut hominem; qui ut sic ad Deum ordinatur. Idem autem patet afferendum de Christo ut Deus est, quod de Deo absolute asseritur, cum sit unus Deus cum Pare & Spiritu - Sancto.

PROPOSITIO IV.

Materia ex qua Scripturæ Sacræ sunt res ipsæ in ea contentæ, libri, capitula, sententiæ, voces, syllabæ, litteræ, &c. ex quibus resultat. Sic enim appellantur hæc singula communiter: & re ipsa ex ipsis componitur & constituitur Scriptura Sacra. Hæc autem universalem mundi historiam complectitur à creatione mundi ad finem hujus, & ultra, per septem ejus ætates, quæ vulgo enumerantur sic. Prima est à mundi creatione ad universale diluvium; quæ includit annos 1656. Secunda à diluvio illo ad exitum filiorum Istræl ex Ægypto per annos 1013. & dies 10. Tertia hinc ad annum quartum Salomonis, quo Rex iste pacificus Templi Ierosolymitani fundamenta jecit, includens annos 480. Quarta à Templi hujus unctione usque ad captivitatem Iudeorum Babyloniam per annos 419. & menses 6. Quinta ab illa captivitate ad Christi adventum, quæ annos continet 520. qui omnes hactenùs anni constituant ter mille nongentos septuaginta annos, menses sex & dies viginti; à mundi exordio usque ad hunc adventum quo reparatus est. Sexta durabit à Christo ad finem mundi hujus. Septima denique à mundi consummatione durabit per æterna sæcula; de qua habentur multa in Apocalypsí; cum gesta ante in aliis ætatis continguntur; ut potè in Novo Testamento quæcumque pertinent ad sextam: & in Veteri quæ gesta sunt in quinque prioribus ætatis. Sed dixi Scripturam complecti sic Historiam mundi universalem: non quod ipsa intendat in specie, aut in particulari describere

nobis historias prophanas , diversos status regnorum , facta vel dicta Philosophorum antiquorum . Ipsa solum per se , & directe illas enarrat Historias , quae possunt nos vel in Fide instruere , vel mores nostros informare : tum ad virtutes alliciendo ; tum deterrendo à vitiis ; mescede bonorum operum , & punitione malorum : quamvis non negetur ; aliqua in ea enarrari , quae ad prophanas historias pertinent ; sed solum ex occasione ; & solum aliudendo : quorum cognitio connectitur cum his quae spectant ad fidem & mores : ac proinde ad salutem hominum . De regno solum Ecclesie in diversis hujus partibus , seu de divina ejus gubernatione per se & directe tractat : de aliis autem Monarchiis , vel quae ante fuerunt , habetur in libris Veteris Testamenti in Pentateucho , in quatuor libris Regum , &c. immò & in Novo Testamento in Evangelio & Actibus Apostolorum , quae spectant ad Christum & Ecclesiam , quæve jam facta sunt ; & solum ex occasione de statibus prophanis , qui fuerunt tunc , & de futuris in Apocalypsi .

Gubernatio autem mundi sacra , quae in Scriptura per se tractatur ; fuit primo per Patriarchas ab Adam usque ad Moysem ; ita ut à mundi creatione ad diluvium isto ordine numerentur . Post Adam , Seth , Enos , Caïnam , Malalaël , Jared , Henoc , Mathussala , Lamech , Noë : à diluvio ad Davidem ; post Noë , Sem , Arphaxad , Caïnam , Sale , Heber , Phalec , Ragau , seu Rhei , Saruch , Nachor , Thare , Abraham , Isaac , Jacob , Iuda , Phares , Efron , Aram , Aminadab , Naasson , Salmon , Booz , Obed , Iesse pater Davidis . Ita tamen , ut post Jacob , qui mortuus est in Ægypto , Ioseph & filii ejus

præfuerint, donec ab Ægyptiis filii Israël captivitate oppressi sunt: quo tempore prædicti jure præesse debabant; sed in re, ut vides, non præfuerunt, sicut nec post Aminadab, qui ipsum consequuntur; quia circa illud tempus, constituit Deus Moysem populi sui ductorem, & post Moysem Iosue; post quem, per judices rexit Deus rempublicam Iudeorum. Hi reconsentur quindecim, utpotè, 1. Othoniel.
 2. Aod. 3. Sanigar. 4. Debora simul cum Barac. 5. Gedeon. 6. Abimelech. 7. Tola.
 8. Iair. 9. Iephé. 10. Abessan. 11. Abialon.
 12. Abdon. 13. Samson. 14. Heli. 15. Samuël
 quorum gesta enarrantur in libro judicum. Rexit Deus deinde populum suum per Reges. Primus fuit Saül filius Cis de Tribu Benjamin: secundus David: tertius Salomon: quartus Roboam, à quo cum decem Tribus defecissent, propter onera durissima, quæ noluit populo remittere: initium cœpit pèr Ieroboam regnum Israël, cuius Reges post regni Iudea numerabuntur: quintus igitur fuit Abia, qui successit Roboam; post quos sequuntur Asa, Iosaphat, Ioram, Ochosias, Athalia, Ioas, Amasias, sive Azarias, Ioatan, Achas, Ezechias, Manasses, Amon, Iosias, Ioachas, Ioachin, seu Iechonias: & ultimus Sedecias: ex quibus resultat, Reges Iudea illos fuisse 23. è quibus tres priores regnarunt supra universos Israëlitas: sed viginti posteriores, qui dicuntur solum Reges Iuda, supra duas tantum Tribus regnarunt. Reges Israël fuerunt novemdecim. 1. ipsorum fuit Ieroboam. 2. Nadab. 3. Baasa. 4. Hela,
 5. Zamri. 6. Amri. 7. Achab. 8. Ochosias.
 9. Ioram. 10. Iehu, 11. Ioachas. 12. Ioas.
 13. Ieroboam alter. 14. Zacharias. 15. Sellum.

16. Manahem. 17. Phaceas. 18. Phacee & 19. Oseas. Quorum omnium vita, mores, & regna describuntur in libris Regum; sicut & ea, quæ contigere sub illorum imperio.

Post Reges qui defecerunt, quando captivus deductus est Iechonias in Babylonem, successor regni fuit Sedecias, quem Nabucodonosor pro illo præfecerat regno Iuda: sed qui ab eodem deinde excæcatus, & occisus est: Oseasque Rex Israël ductus cum suis subditis in urbem Ninivem: Zorobabel missus est in urbem Ierusalem à Rege Persarum Cyro, post mortem Darii Regis Medorum cum quo simul devicerat Baltazarem, & ulti fuerant ambo profanationem vasorum ab illo factam. Zorobabel autem missus non tamquam Rex; sed Dux solum Hebraici populi; quamvis esset filius Saliel, & nepos Iechoniæ Regis. Hinc cœpit aristocraticè regi populus Iudæorum per Duces, & summos Pontifices; (Machabæis succedentibus; ubi defecerunt illi qui ex Zorobabele descenderant, qui erat de familia Davidis) usque ad Christi adventum, qui statim accidit; ubi defecit penitus sceptrum de domo Iuda, aut Dux, qui regeret Israëlitas juxta Prophetiam Iacob. Primus igitur Pontifex supremus, qui cum Zorobabele populum rexerit, dictus est Iosuë filius Iosedech post 28. Sacerdotes, qui eum præcesserant: qui sunt Aaron, Eleazar, Phinees, Abisuc & Boëti, simul & Ozi, Heli, Achitob, Achaias, Abimelech. Tres isti occisi sunt iussu Saulis: atque ita sufficetus est in eorum locum Abiatar; qui à Rege Salomone depositus est; & loco ejus evectus Sadoc ad summum Sacerdotium, quod tunc in familiam Aaronis restitutum est. Iste

successere Achimas; Azarias 1. Ioram 1. Axioram, Phideas, Azarias 2. Amarias, Achitob 2. Sadoc 2. Sellum, Sobna, Eliacim, Helcias, Azarias 3. Saraias capite truncatus jussu Nabucodonosor, & Iosedec. Illis successit Iosuē de quo supra, post Babilonicam captivitatem, regens cum Zorobabele Duce populum Iudaicum; post quem Sacerdotio functi sunt, Ioachim, Eliasib, Iosca, Ionathan, Iaddus, qui Alexander magno obviam venit eumque Iudeis conciliavit: deinde Onias, Eleazar 2. qui 72... interpres misit ad Ptolæmæum Philadelphum, Regem Ægypti; Manasses, Onias 2. dictus avarus, Simon 2. Onias 3. vocatus sanctus, qui curavit Heliodorum Dei judicio percussum, ut habetur 2. Mach. cap. 3. Iason frater ejus, qui emit Sacerdotium ab Antiocho Epiphane Rege Syriæ: Menelaüs, qui etiam emit Sacerdotium ab eodem; quo tempore Ioannes, qui fuit ultimus familiae Ieconiaæ; ac proinde posteriorum Zorobabelis sibi violentas manus intulit; videns hanc Sacerdotii, & rerum omnium sacrarum prophanationem, suamque familiam illâ tyrannide oppressam. Ex quo factum est, ut spoliati rebus omnibus ejus posteri vitam obscuram degerint: ut patet exemplo. S. Ioachim patris Beatæ Virginis, & S. Ioseph istius sponsi, qui ab eo descendentes artem mechanicam professi sunt, saltem Ioseph. Præterea post Menelaüm hunc, Ducatus & Sacerdotium supremum in unum coaluerunt in personis Machabæorum, utpote in Mathatia, Iuda, Ionatha, Simone & Ioanne, qui fuerunt Duces populi, & summi Sacerdotes. Post illos Aristobulus filius Ioannis, Regium nomen & auctoritatem resumpsit; & cum Sacerdotio conjunxit;

cui successit frater ipsius Saduceus : uxoriq[ue] ejus Alexandra sibi asservata Regia potestate, Hircano filio suo dedit Sacerdotium supremum. Sed isti abstulit Aristobulus 2. frater ejus, sceptrum sibi arripiens, quo spoliatus est a Pompeio & Gabinio , qui regnum iterum Hircano attribuerunt. Sed nepos ejus Antigonus filius Aristobuli , disruptis vinculis , quibus in carcere Romæ religatus erat ; summo Sacerdotio de novo privavit Hircanum , amputatis ipsi auribus : verū jussu Marci - Antonii decollatus est. Herodes autem regnum usurpavit , conserente eodem Marco - Antonio relieto Sacerdotio Ananolo ; cui successit quidam Iesus ; isti Simon Boëti pater uxoris ipsius Herodis : quo regnante sceptrum ablatum est familia Iudeæ , & Christus natus est juxta vaticinium Iacob de quo infrà ; & iste humanum genus redemit , suam Ecclesiam lavit pretioso sanguine suo ; quam rexit visibiliter per seipsum , & regit invisibiliter usque ad consummationem sæculorum ; & visibiliter per Vicarios suos ; donec in æterna gloria ipsam beatificet per æterna sæcula sponsus ejus , Rex , Redemptor , objectum amabile maximè beatificæ illius visionis ; in qua præter faciem patris , hoc est Dei essentiam ; videbitur à singulis beatis Christus in sua gloria , juxta illud Ioan. 17. *Hac est vita æterna ; ut cognoscant te verum Deum , & quem misisti Iesum Christum.*

PROPOSITIO V.

Verū quia mox suprà-diximus , Christum esse objectum attributionis minus principale Scripturæ Sacrae : queritur hic : an ita sit

objectum ejus; ut aliquid eorum quæ in Veteri Testamento continentur; intelligi possit de Christo ad litteram. Respondetur affirmativè contra Theodor. ~~M~~psuest. qui falso negavit, posse aliqua de illo intelligi, nisi per quandam adaptationem. Eius autem error damnatus est in 5. Synodo generali, & in Concilio Rom. sub Vigil. subscriptentibus 20. Episcop. contra etiam Iudeos; qui ne Christum fateantur esse verum Messiam in lege promissum; coguntur quæ de eo in Veteri Testamento litteraliter dicuntur, dissolvere per quasdam inanes, vanas & fabulosas interpretationes. Sed quamvis fatendum sit, in lege veteri esse aliqua quæ Christo solum in sensu accommodatatio attribui possant, ut testis est Acosta: multa tamen leguntur, quæ de illo intelligenda sunt in sensu litterali: ut est, v.g. Iacob vaticinium; Genes. 42. Non auferetur sceptrum de Iuda, & Dux de Femore ejus, donec veniat qui mittendus est: & ipse erit expectatio gentium. Vbi Paraphras Chaldæa legit, Christus; ut satis patet ex prædictis in hoc artic. Idem dic de vaticinio Daniël. cap. 9. Septuaginta Hebdomades abbreviate sunt super populum, & super urbem sanctam tuam, ut consumatur prævaricatio, & finem accipiat peccatum & deleatur iniquitas: adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio: & ungatur sanctus sanctorum. Adde quæ dicuntur Psal. 68. Dederunt in escam meam fel: & in siti mea potaverunt me acero, Luc. 18. Christus de se loquens, ait: Necesse est impleri omnia, quæ dicta sunt in lege Moysis, & in Prophetis & Psalmis de me. Ioan. 5. Scrutamini Scripturas; quas vos putaris in ipsis uitam eternam habere: & illæ sunt quæ testi-

monium perhibent de me. Et paulò infrà. Si enim
crederetis Moysi , crederetis & mibi forsitan : de
me enim ille scripsit. Et ante Ioan. cap. 1.
Philippus dixit de Christo Nathanaeli. Quem
scripsit Moyses in lege , &c. invenimus Ieum
filium Ioseph à Nazareth. Quibus nihil potest
adduci clarius , ad confirmandam responso-
nem nostram , & propositionem.

ARTICULUS II.

*De editione , ac versione Librorum
Biblicorum.*

PROPOSITIO I.

CONSTAT , editionem librorum in
genere nihil esse aliud , quam illorum
publicam scriptionem quā in lucem
eduntur , ad promulgationem & publicam uti-
litatem ; quocumque modo id fiat : sive typis
excudantur , ut factum est ab eodem tempore ,
quo Ars Typographica inventa est : sive manu
propriā auctoris , sive operā , aut arte amanuen-
sis ejus , &c. ut patet ex ipsa nominis ethi-
mologia eo quidem sensu ; ut non tantum
scriptio prima , seu authographum libri alicuius ,
ea lingua , quā scriptum est ; sed etiam scriptio
iterata , quā omnes ejus versiones , seu transla-
tiones fideles ejusdem authographi , luci pu-
blicæ traduntur ; editio ejus appelletur. Ex quo
sit , nomine editionis Biblicorum aliquando
intelligi primam illorum publicationem , in
proprio idiomate , quo scripti sunt ; aliquando
in alio idiomate quocumque. Nisi ei nomen
editionis

editionis attribuatur, quod sit prima. Quod nulli Versioni, seu translationi convenire potest, ut per se notum est.

PROPOSITIO II. -

Editio prima, hoc est, scriptio omnium librorum sacrorum, facta est a sacris Scriptoribus tribus linguis; nempe, Hebræa, ad quam reducitur Chaldaica ab illa distincta. Quibus conscripti sunt ferè libri omnes Veteris Testamenti, & Evangelium secundum Matthæum: Græca, quā major pars librorum Novi Testamenti scripta est: & Latinā, quā dicitur primitū scriptum Evangelium secundum Marcam: ut de libris singulis dicetur suis locis. Ratio seu congruentia triplicis hujusce idiomatis est; quod tres illæ linguæ fuerint in Cruce Christi consecratæ; cuius titulum à Pilato præscriptum nequaquam gratis Lucas & Ioannes narrant scriptum hebraicè, græcè & latinè: ergo ex aliquo fine à Deo intento; qui non videtur alius fuisse, nisi quod destinatæ fuerint tres illæ linguæ ad exprimendum primitū Dei verbum scriptum.

PROPOSITIO III.

Versiones, seu translationes librorum Biblicarum, seu sacra Biblia translatæ sunt jam innumeris ferè linguis; & quot penè sunt, aut fuerunt hactenùs inter homines: ut verificaretur quod scriptum est, scilicet, *ut omnis lingua Deus confiteatur.* Istud expreßè afferit Theodoret. sermon. de nat. homin. dicens de Veteri Testamento; quod non est minus intelligendum de

Novo : Hebrei vero libri non modo in Grecum
idioma conversi sunt ; sed in Romanam quoque
linguam , Agyptiam , Persicam , Indicam ,
Armenicamque , & Scythicam , atque adeo
Sauromaticam ; simulque , ut ita dicam , in lin-
guas omnes ; quibus ad hanc diem nationes utun-
tur. Ratio manifesta est ; quia cum jam Eccle-
sia sit toto orbe diffusa ; & ipsa scriptura sit ,
non tantum ad consolationem fidelium , de qua
ad Romanos 15 . sed etiam ad fidei doctrinam ac
morum : pertinuit ad Dei providentiam , ut
linguis omnibus , & ubique legi posset juxta
Ecclesiae dispositionem. Addi posset experien-
tia , quâ constat ; jam esse sacra Biblia scripta
hebraicè , chaldaicè , syriacè , arabicè , persi-
cè , græcè , latinè , gallicè , italicè , hispanicè ,
germanicè , anglice , &c. ita tamen ut libri
qui non fuerunt primitùs scripti hebraicè , sed
chaldaicè ; sicut dicitur de libro Daniëlis , &
Ezdræ ; potuerunt hebraicè verti : idem dic de
græcis & latinis respectu aliorum idiomatum ;
ac proinde , quorum autographa sunt hebræa ,
vel chaldaica , vel , &c. potuerunt aliis idio-
matibus verti , ut per se notum est : quod fac-
tum est , non secundum partes ; sed totaliter
illis linguis , quibus nulli libri sacri fuerunt
conscripti primitùs ; quales sunt lingua arabi-
ca , persica , gallica , italica , &c.

PROPOSITIO IV.

EX quibus evidenter refellitur Iudæorum
supersticio , seu potius error opinantium
esse illicitum , verbum Dei transferre in linguam
peregrinam : quasi verò Deus non velit salutem
opinium , sed tantum Iudæorum. Hunc errorem

Rabbini quidam conati sunt apud Iudeos obtrudere in libro quem vocant *Orath Exaym*, hoc est latinè, *viam ritæ*; in quo fabulati sunt ob translationem septuaginta Interpretum, de qua infrà; institutum fuisse apud antiquos Iudeos solemne quotannis jejunium, ad expiandum tam immane piaculum; ut hi appellant: adduntque in libro Talmud propter idem facinus mundum fuisse tribus diebus tenebris circumfusum, Regis Ptolomæi temporibus; qui eos interpretes à Iudeis expetierat, & obtinuerat ad hanc interpretationem perficiendam. Verum quam facile ostenditur; *mentitam hic fuisse iniquitatem sibi.* Etenim præterquam quod non potest ab his negari, datos fuisse ab ipsis Iudeis Ptolomæo 72. Sapientiores Gentis Iudaicæ, qui libros Veteris Testamenti, qui tunc erant, & quidem hebraica lingua conscripti, in græcum idioma traducerent: in eodem libro Talmud tract. de sabbat. cap. 9. habetur. *Omne quod egressum est ab ore Domini, divisum est in 70. linguas.* Addo his, ex Philone, Iustino, &c. jejunium citatum, & trium dierum obscuritatem, de qua mox, (quæ nihil aliud est, quam mœstitia concepta ex triduano jejunio:) non inveniri scripta, nisi longo tempore, postquam Christus Dominus cœlos concedit; ac proinde aliquibus post illam interpretationem elapsis sæculis: si quis tamen permittat, eos non omnino falsum dixisse; quatenus Rabbini longo tempore invidiâ excæcati, quod fideles Alexandrini festum in memoriam hujus translationis instituissent; jejunium trium dierum instituerunt apud gentem suam, ut sic obliterarent, si possent, hoc miraculosum & celebre factum; sed istud, ut vides magis illis aduersatur, quam fateat. H ij

PROPOSITIO V.

EX prædictis resultat biblicam editionem appellari promiscuè librorum sacrorum scriptionem ; sive libri illi sint autographa , seu originales : sive transumpta eorumdem in eadem lingua ; sive translationes in linguam diversam , sive originalis è propria lingua in alienam , sive versionis alicujus in aliam versionem , idiomatis diversi : putà Græci in Latinum , Latini in Gallicum , Hispanum , &c. dummodò versiones illæ omnes sint exactæ & fideles , ipsique originalibus incorruptis perfectè respondeant : quod nemo negabit.

PROPOSITIO VI.

SED certum est , non omnes editiones aut versiones , ut nunc extant , esse fideles ac legitimas. Id satis patet , tūm ex eo quòd plures factæ sint ab Hæreticis , ad suos errores statuendos & propugnandos , quas omnino rejicit ac reprobat Ecclesia Catholica : quæve sacra Biblia , vel Sacra Scripturæ dici nequeunt , nisi ad summum æquivoce omnino : non secùs ac caro cadaveris , sanguis , &c. non nisi æquivoce appellantur. Tūm etiam ; quia plures editiones , quæ fuerunt aliquando ab Ecclesia receptræ , tamquam legitimæ , sive sint editiones , seu transumpta in propria lingua , sive versiones in linguas alias , quæ fuerunt ante integræ , ac incorruptæ , ut aliquandò hebræa editio , v. g. versio septuaginta Interpretum , &c. quia nunc temporis corruptæ , aut diminutæ reperiuntur , imperitorum ignorantia , vel Iudæorum , aut

Hæretorum malitiâ ; illegitimæ judicantur ab Ecclesia ; cuius solum est filiis suis declarare ac definire , quæ hujusmodi editiones ac versiones integræ sint ac incorruptæ ; quæ è contra illegitimæ & corruptæ ex inspiratione & directione indefectibili Spiritus - Sancti , qui ei assistit perpetuò ; juxta promissam irrevocabilem Christi, dicentis de eo ; *Ille vos docebit omnia :* suggesteret vobis omnia , &c. Hæc autem mater piissima ejusdem Spiritus - Sancti ducta , ne filii sui fluctuarent omni vento doctrine ; definiuit solam latinam Vulgatam esse authenticaem ; eo utique sensu ; ut illæ editiones , sive fuerint transumpta primæ editionis librorum sacrorum ; sive versiones in idiomate quocumque , quæ reperiuntur illi perfectè conformes : legitimæ sint , & ab omnibus & singulis , ut tales habeantur : ideo in Decreto Tridentini libros illos expressit. Illegitimæ è contra quæ illi difformes sunt , & oppositæ : ex quo ut vides , non impeditur ; quominus possit quis in vertendo ipsam Vulgatam ; ubi sensus aliquis est obscurus & reconditus , recurrere ad editiones hebream & græcam , in his istarum partibus , quæ non judicantur corruptæ. Non enim hebræa aut græca versio sunt in singulis partibus corruptæ. Et hinc etiam habes illegitimas esse versiones omnes biblicas , quæ non habent libros cum partibus suis , ut enumerantur in Latina Vulgata , ac Decreto Tridentini : quæve addunt aut diminuunt his quæ continentur in Latina Vulgata. Utque in particulari agnoscantur & evitentur hæreticæ versiones ; non utique omnes (quod vix esset nobis possibile ; *) sed famosiores , quæ cum proprietate ac simpliciter Scripturæ Sacræ nec sint , nec dici possint ; id-

circò à nobis non remittentur ad quæstionem
ubi de versionibus particularibus ; sed hic at-
tingentur præcipue. Id circò

PROPOSITIO VII.

Aditum plures esse versiones hæreticas Scrip-
turæ Sacrae seu editiones , quas Ecclesia
Catholica non solum non recipit , aut ap-
probat ; sed planè rejicit ac reprobat , tam-
quam ipsius Scripturæ corruptelas. Agmen ista-
rum ducet editio seu versio Sebastiani Castalio-
ni anno 1556. de qua dicit Genebr. *Plus ha-
bere pompa & phalerarum & plus fuci quam suc-
ci : plus hominis , quam spiritus : plus humana-
rum cogitationum , quam divinorum sensuum.*
Sed adhuc acrius taxat Theod. Beza , licet etiam
Hæreticus , dum hanc versionem , & quidem ju-
re , appellat impiam , sacrilegam , ethnicam :
siquidem ille interpres prophanis vocibus &
locutionibus Scripturam divinam sic impiè con-
taminavit ; ut non dubitarit , nomen Dei
Patris Domini nostri Iesu Christi mutare in
Iovem , divnum , armipotentem , grandævum ,
&c. Divinam charitatem , vocare cupidinem :
angelos , Iovis genios ; cælum , augustale Iovis ,
&c. Sed nihil stolidius , magisque ridiculum ;
immō & sacrilegum , quam legi ipsum in canti-
cis , usum verbis illis insani amoris ; quorum pu-
deret etiam impudentissimum. Ibi enim spon-
sum inducit sic sponsam inepte & ac prorsus ri-
diculè alloquentem : *Huc ades o mea sororcula ;
mea amicula , mea columbula , &c. Quam bella es ,
o delicatula , ostende mihi tuum vulticulum.*
Cujus risum simulque bilem non moveat stylus
tam fatuus ? Addit idem Beza , se tot errata ad-

vertisse in hac versione , ut fateri coactus sit ; non sibi tantum temporis suppeteret , aut olei : in purgando illo Augiax stabulo : (sic vocat turpem illam & male olentem versionem ,) quæ non minus etiam displicuit Tiguriniſ ministris , & à fortiori fidelibus singulis ; qui , ut pat est , Dei verbum reverentes , dolent maximè sic propositui & prophanari , quod est in religione sacratissimum.

Hæretica secundo loco hic ponitur interpretatione Tigurinæ ; sic dicta , vel quia fuit ministris Tiguriniſ dedicata ; vel a primo ejus auctore Leone Iuda Tigurino , qui eam incohavit : vertens libros priores Veteris Testamenti ex hebraico exemplari ; cumque morte præventus perficere non potuisset ; totum opus absolve- runt viri ejusdem sectæ , Theodorus Bibliander , & Conradus Pellicanus , suisque ambo interpretationibus addiderunt adnotaciones : Novum autem Testamentum hujuscce editionis vertit iste in latinum : quod Petrus Cholin & Rodolph. Gualter. Auctores Hæretici cum græco contule- runt ; ut habet præfatio versionis hujus. Hæc certè minus perniciosa , quam cæteræ versio- nes , eamque citant Auctores Catholici quidam : verūm quia multa sunt in ea versione mutata ; ordoque librorum inversus ; ejus lectio prohibi- ta est : nec in Hispaniis permittitur , nisi sit primæ editionis ; servatâ formâ , ordine & cen- surâ Ferdinandi Valesii Archiepiscopi Hispa- lensis , neenon generalis Inquisitoris ex Decreto sacræ Congreg. indicis : à qua , caput in quo Escalante speciosis titulis hanc versionem honestavit ; expungi jussum est.

Ponuntur tertio ordine versiones Veteris so- lùm Testamenti Emanuēlis Tremelii , primam

Iudæi , deinde Monachi , & tandem Calvinistæ . Huic versioni addidit Iunius Calvinista libros apocryphos , nempè tertium & quartum Esææ , ipsamque orationem Regis Manassis . Deinde Sebast. Munster. qui libros dumtaxat Proto-canonicos vertit , affectavitque iste Iudaicos idiotismos , durus ipse aggressus , ac planè Iudæus ; qui voces magis quam sensum infectatur ; magisque consequenter Grammaticus , quam Theologus est ; ubique Kimki , cæterosque Rabbinos studet æmulari .

Recensentur quartæ Hæretici quidam , qui partem adhuc minorem verterunt Veteris Testamenti , ut sunt Oecolampad. qui solum Prophetas ex Hebræo traduxit . Zuinglius , qui solum Psalterium : Bucerus , qui Isaiam & Ieremiam tantum ; nisi velis cum aliquibus traduxisse etiam Psalterium ; sub nomine Aretii , idem Psalterium verterunt Vvolfangus , Musculus , Calvinus , Bugehangius Lutheranus , Georgius major , Iodoccus Villichius & Henricus Molerus , cuius versionem dicitur Beza subripuisse .

De Novo Testamento idem proportionaliter dicendum : idcirco quinto loco profertur Laurentius Valla veteris Vulgatae fugillator Grammaticus , qui Novum Testamentum è Græco in Latinum traduxit . Idem Erasm. præstítit , cuius versionem dicitur laudasse Leo 10. SS. Pont. Rom. non utique ut supremus Pontifex , sed ut amator humaniorum litterarum ; ut advertit Staplet. *contr. 5. de potest. Eccles.* Certè in ea Erasmi versione multa sunt , quibus materiam multis hæresibus Auctor præparavit & subministravit . Idem Testamentum Novum vertit hæretice de græco in latinum Theod. Beza ; sed

tot scater erroribus; sicut advertit Castalio, ut opus esset ingenti volumine, ad eos observandos. Nec diffitetur Molinæus Bezam mutasse Textum; nec parcit Calvino; de quo asserit, Textum Evangelicum in sua harmonia desultare facere sursum versum: è Syriaco vertit idem Testamentum, quæ versio adjuncta est Bezanæ Hannoniæ, & cum ista circumfertur. Ex Arabico Iunius vertit Acta Apostolorum.

Vltimo denique loco enumeratur versio germanica, tūm Veteris, tūm Novi Testamenti à Lutherò facta; aliaque versio Islandica & Daniæ, quam supra modum extollit Pomeran. Sed huic refragatur Bucerus Luth. Discip. dial. cont. Melanct. affirmans Lutheri lapsus in vertendis Scripturis esse manifestos, illosque non paucos: de quibus consule Doctores Catholicos. Fuit & alia versio germanica Tigurinorum, reluctante Lutherò, Leone Iuda interprete; quam Castalio prædictus gallicè vertit: at Beza, & Gebennensibus id moleste ferentibus novam translationem aggressus est Ioan. Piscator in Naussavia: in qua innumera sunt ridicula, impia, & blasphema; ut testatur Paulus Roder. Luther. Vnde exierunt innumeræ ferè versiones aliæ Germanicæ, Anglicanæ, Flandricæ, Polonicæ, &c. in quibus duo millia locorum depravata annotavit Tonstall. Lindan. Episcop. Cæteras taceo quæ satis ex suis auctoribus poterunt deprehendi, vel ex notis mox supra allatis. Nam quomodo viri excommunicati qui nec fidem habent, potuerunt scripturam integrum & incorruptam exhibere; quam non verterunt nisi animo hæretico ad decipiendos fideles: *¶ Vt
apparuerit*, ait Tertull. lib. de præscr. cap. 19. *esse veritatem disciplinæ, & Fidei Christianæ;*

illuc erit veritas Scripturarum & expositionum
& omnium Traditionum Christianarum. Satis
est versionem aliquam contrariari latinæ nostræ
Vulgatæ; ut rejiciatur penitus: cum hæc sit au-
thentica, & regula cæterarum; ut definitum
est.

ARTICULUS III.

*De auctoritate versionum Scripturæ,
& usu earum.*

PROPOSITIO I.

NVlli dubium esse potest, primam editio-
nem originalium Scripturæ Sacrae, om-
niaque transumpta fidelissima illorum,
habuisse summam auctoritatem; quandiu
incorrupta permanerunt: vel ex hoc solum,
quod vera sic scriptura fuerunt, verumque Dei
verbum. Vnde quæcumque exemplaria illa
auctoritate privantur, quæ sunt corrupta, vel
ignorantiâ Amanuensium aut Typographorum,
vel malitiâ interpretum, aut potius simpliciter
transribentium; putâ hebraica Iudeorum, qui
obscurare conati sunt ea quæ in Veteri Testa-
mento de Christo habentur: ne convinceren-
tur eum agnoscere: græca græcorum, qui suos
errores ac hæreses non potuissent defendere,
sine corruptione exemplarium perfectorum, illa
auctoritate carent.

PROPOSITIO II.

Eadem auctoritas sacra attribuitur omnibus & singulis Scripturæ Sacræ versionibus, cujuscumque lingua sunt seu idiomatis; dummodo sunt cum nostra latina vulgata conformes, pœnes quam esse solam auctoritatem infra ostendemus. Ecclesiæ definitione & Spiritus - Sancti instinctu ac revelatione: normamque consequenter esse ac regulam fidei nostræ & morum. Ideoque cum versiones omnes & singulæ, cujuscumque idiomatis sint; & quæ sunt illi planè conformes, ab ea non differunt, nisi accidentaliter solum; hoc est, quantum ad verborum corticem; ejusdem prorsus sunt cum illa auctoritatis; & quidem omnimodè infallibilis. Cæteræ è contra quæcumque illæ sint, quæ ab ea dissentiant & nullius sunt auctoritatis.

PROPOSITIO III.

Predictis addo non esse putandum tamen, posse nos singulis hujusmodi versionibus fidelissimis idem omnino attribuere, quod ipsi Vulgata: quæ certè ex Ecclesiæ definitione habet, quod sit autographum, exemplar, ac regula versionum, quæ sunt ejus in alienam linguam; quamvis non negem, & ipsam aliquando fuisse regulatam per ipsam scripturam; quæ tunc integrè & incorruptè erat in his exemplaribus, & versa est in linguam latinam ex auxilio, seu assistentia Spiritus - Sancti: qui eam destinabat, ut esset, sicut nunc est, verum exemplar authenticum cæterarum versionum. Dixi ex assistentia, propter mox dicta: quia cui-

cumque interpreti Catholico necessaria fuit aliqua assistentia Spiritus - Sancti , ne erraret in traducendo Scripturam : defectu cuius assistentiæ absque dubio errarunt Hæretici in suis versionibus. Sed non fuit opus , ut illustraretur mens interpretis , moveretur voluntas ejus , & manus dirigeretur ; sicut opus fuit in ipsis sacris scriptoribus , ut dictum est : in quo differunt præ cæteris Scriptores sacri , & interpretes Scripturæ.

PROPOSITIO. IV.

Quod jam ad usum , hoc est , applicatio nem editionum , aut versionum Scripturæ attinet ; certum est ac indubitatum Ecclesiam aliquandò usam in suis precibus , seu officiis publicis , lectionibusque , editionibus trium linguarum , quibus conscripti sunt libri canonici , ut potè Hebræa editione apud Hebræos ; Græca apud Græcos ; quamdiu incorrupta permanescunt ; & Latina in toto Occidente.

De Hebræa patet adhuc permitti ab Ecclesia , ut Chaldæi fideles , quorum lingua , ut dictum est , ad hebræam reducitur , qui communionem habent cum Ecclesia Catholica : similiter & Græci missam suâ lingua celebrant : ut visum est nuperrimè exemplo Presbyterorum , ac Episcoporum , qui transiere per urbes diversas Gallia , ubique sua lingua celebrantes. Immò Græci fideles Romæ sua officia græce canunt , sicut & cæteros Ritus servant suæ Ecclesiæ , nullo prohibente. Immò testatur S. Hieron. suo tempore non alium fuisse usum scripturarum in toto Oriente , quam græcae editionis septuaginta Interpretum , per Origenem , Lucianum ,

& Hesichium emendatæ, affirmans in præf. in Paralip. à Constantinopoli usque ad Antiochiam in publico usu Ecclesiastico fuisse editionem græcam Luciani : ab Antiochia usque ad Ægyptum, hoc est, per totam Syriam, editionem Origenis; & per totam Ægyptum editionem Hesichii.

PROPOSITIO V.

DE latina editione seu versione, usum ejus fuisse, ut nunc est in toto Occidente certum est. Nam præterquam quod Romana Ecclesia est Mater & Caput cæterarum; ubi sedes Petri Christi Vicarii, ac successorum ejus, qui successivè sunt Ecclesiæ caput visibile, & Christus invisibilis: decuit, ut editione, seu versione latina toto orbe, (illis partibus exceptis, ubi Græcam & Hebræam Ecclesia permisit editionem:) omnes Ecclesiæ uterentur; ut reverè utuntur: & quidem à temporibus non solum Gelasii ante annos mille, quo celebrabantur divina officia lingua latinâ, eodem numero, & ordine lectionum, quos tamen auxit idem Sanctissimus Pontifex, & in meliorem formam rededit; sed etiam ipsius Sancti Petri, ut asserit Isid. lib. 7. de officio Eccles. cap. 15. quod à Petro institutum officium, negligentia temporum aliquatenus collapsum, restituit. S. Gregor. lib. de sacr. idem præstitit Greg. VII. deinde longo post tempore: & nostra ferè ætate Pius V. Clemens VIII. & Urbanus VIII. &c. quantumvis essent in Italia Biblia sacra Italiæ idiomatis ex versione Iacobi de Voragine Archiep. Genuens. ex Ordine Prædicatorum assumpti. Testis est S. Aug. lib. 2. de Doctr.

Chr. cap. 13. ubi asserit, latinam versionem suo s^{ec}culo fuisse in usu in Ecclesia in Africa; Psalmsque tunc latine cantari solitos; quod ante affirmavit S. Cypr. *serm. de orat. Domin.* in celebratione Missarum, commemorans Mis- sae præfationem; in qua Sacerdos populum adstantem tremendo huic sacrificio excitat; ut cor sursū ad Deum elevet, his verbis, quibus adhuc nunc utimur, *surgunt corda*: quo- rum meminit idem Aug. *lib. de bon. persever. cap. 13.*

Eundem fuisse usum latinæ editionis in Gal- lia testantur Alcuinus & Amalarinus. Hic vixit in nono s^{ec}culo, & de Officiis Ecclesiasticis ac- curatissime scripsit. Nec solum in Gallia, sed etiam in reliquo Occidente: in quo eodem mo- do, hoc est, latinè divina Officia communiter celebrantur. Esto fuerit facta versio aliqua Gal- lica sub Carolo Magno; ut contendit Iunius Hæreticus, quæ jam non amplius extat; fuerit quoque & alia Gallica versio Valdensium anni 1160. de qua Innocentius III. Epist. ad Metens. hinc non probatur, Gallicanam Ecclesiam illis fuisse usam versionibus, in publicis officiis: sicut licet esset in Africa versio punica, tem- poribus Sanctorum Cypriani & August. id non impedit, quominus Ecclesia Africana usa fue- rit versione latina in publicis Officiis; ut testes sunt omni exceptione majores idem Cypr. & Aug. ut ostensum est mox.

De aliis singulis Ecclesiis Occidentalibus, sunt quoque clara testimonia. Nam de Hispania Isidor. *libro de officiis divinis & Con- cil.* Tolet. 4. *cap. 2.* referunt statutum esse, in- tellige in eodem Concilio; ut idem ordo ser- varetur in canendis Psalmis, Missis, in Lectio-

nibus, & aliis Ecclesiasticis Officiis: [intellige per totam Hispaniam, pro qua fiebant leges illæ.] & capit. 12. & sequentibus aperte refertur, tunc illa latinè legi consueuisse.

De Anglicana, venerabilis Beda testimonium profert lib. 1. *Anglic. Hist. cap. 1.* asserens suo tempore quatuor fuisse linguas vulgares, pro diversitate Regionum ejusdem Insulæ; latinam tamen fuisse illis communem propter Scripturas.

De germanica idem testatur Rabanus Episc. Mogunt. nempè suā ætate, hoc est, ante septimum sæculum, usum solius Linguæ Latinæ fuisse in Germania, in publica Scripturarum lectione. Sic refert lib. 2. instit. Cleric. Idemque adhuc confirmat Rupert. lib. 1. de divin. offic.

De Bohemia ac finitimiis regionibus clarè & manifestè colligitur ex epistol. Gregorii VII. ad Ducem Bohemorum: in qua recenset se justis de causis noluisse Bohemis permittere, ut divina officia apud eos Lingua Sclavonica celebrarentur, ut ab ipso petierant. Ex quo infertur à contrario eis præcepisse, ut Latinâ Linguâ, sicut cæteræ Ecclesiæ Occidentales uterentur, tum in officiis celebrandis, tum in lectionibus publicis Scripturæ.

PROPOSITIO VI.

EX his evidenter sequitur, Ecclesiam numquam usam versione aliqua in lingua vulgaris & patriâ; sed solum tribus præcipuis seu originalibus, de quibus suprà. Ratio hujus, seu congruentia triplex assignatur. Prima petitur à dignitate & majestate Scripturarum, quæ non patitur, ut mysteria quæ in his continenda-

tur ; & verbum Dei, quando publicè fidelibus annunciatum ; lingua vulgari proferantur : quæ reverentiam ipsis debitam in hac circumstantia diminuerent. Secunda sumitur ab ipsa Ecclesiæ unitate ; in qua una fides, & unum baptisma est, sicut etiam unus est Deus, quem colit & adorat. Quæ certè unitas aliquo modo tolleretur ; si in singulis Ecclesiis usus esset linguae vulgaris & vernaculæ ; non autem linguae alicujus maximè communis ; qualis est latina, ut nemo refragari potest. Quæ est lingua Ecclesiæ illius, quæ est mater & caput cæterarum : & ubi est centrum unitatis totius Ecclesiæ universalis, toto orbe diffusa. Tertia demum, quia multa sequentur incommoda ; si in qualibet Ecclesia esset usus publicus in divinis officiis, & publicis lectionibus Scripturarum, linguae patriæ seu vulgaris & vernaculæ in singulis plagiis : è quorum numero non est istud minimum ; quod scilicet, cum linguae illæ sint propemodum innumeræ, habentes diversos idiotismos ; impossibile esset moraliter omnia exemplaria Biblica prorsus convenire : unde innumeræ quotidiè orientur quæstiones & controversiae in fide & moribus ; ut per se notum est : & nimis confirmat funesta illa experientia quâ constat, multas haecenùs ortas esse Hæreses ex illis diversis versionibus : quamvis usus singularum publicus non sit ; bene autem trium tantum prædictarum : sed privatus, qui non præbet illam auctoritatem & occasionem ; quam publicus præberet. Adde, quod illæ linguae vulgares & vernaculæ singulis ferè momentis mutantur ; ideoque & commutandæ essent perpetuò versiones illæ : quod utique non fieret sine gravi pecculo hæresum & controversiarum ; de quibus

PROPOSITIO VII.

Sed dixi usum publicum, non privatum; nemo enim inficias ibit permisisse Ecclesiam versiones illas ferè innumeratas, lingua vulgari, & vernacula, pro lectione privata fidelium singulorum, ad eorum consolationem, & instructionem: pro illo tempore quo judicavit nullum esse aliquibus periculum subversionis in fide. Dicatum est namque omnes & singulas versiones, quæ originali authentico & incorrupto, & ab Ecclesia pro tali habito, omnino & perfectè conformes sunt: esse etiam supremæ, hoc est, divinæ autoritatis. Ex quo nobis præbetur adhuc occasio amplius inquirendi circa versiones vulgares & vernaculas: an ab Ecclesia prohibitæ sint, & quibus earum lectio etiam privata.

ARTICULUS IV.

Utrum Ecclesia prohibuerit lectionem editionum, seu versionum Scripturæ Sacræ, lingua vulgari & vernacula.

PROPOSITIO I.

SUPPONENDUM est tamquam certissimum, potuisse Ecclesiam Catholicam prohibere, ne fideles omnes & singuli Scripturas legerent etiam privatim: si prævidit, hanc lectionem illis plus detrimenti, quam spiritualis utilitatis allaturam. Ratio manifesta est, & pror-

sùs demonstrativa. Etenim cum potestas sit , & quidem solum penes Ecclesiam ; declarare quæ sit vera Scriptura ; ut nuper declaravit in Tridentino Sess. 4. quis ejus verus sensus , & intelligentia ; ac proinde , quæ sint versiones ejus fideles & legitimæ ; quæve infideles & illegitimæ ; quæ Catholicæ , quæve Hæreticæ ; quæ editiones integræ & incorruptæ ; quæ è contra corruptæ & depravatæ : atque ita fidelibus incorruptas & integras editiones ac versiones legendas proponere & approbare ; è contra corruptas ac depravatas editiones illegitimas & hæreticas versiones reprobare , & rejicere , ut filii ejus ex pia lectione librorum canonicorum confirmentur in fide : & ne ex periculosa lectione editionum aut versionum quas reprobat , in eâdem fide naufrangeretur. Quis dubitat posse etiam lectionem earum versionum prohibere , quæ etiam catholicæ sunt ; si ex earundem lectione prævideat ; istam periculi plenam , & fidei aut morum subversivam ; non quòd hæc lectio sit mala in se , sed quia est lectori suo improportionata. De qua dici posset , quod de Iudæ communione dixit aliquando Augustinus. utpotè. *Quòd Diabolus in ipsum intraverit per buccellam , non quòd rem malam , sed è contra rem bonam malus malè accepisset.* Si quidem Ecclesiæ Matris nostræ unicum studium est , saluti filiorum invigilare ; quos verbo Dei pascit , & Sacramentis , aliorum fide & charitate exultans , aliorum peccata deflens , omnibus salutem exoptans , sponsum suum cœlestem imitata ; qui etiam suis Apostolis dicebat. *Multa habeo vobis dicere ; sed non potestis portare modò :* Et Apostolum ejus , qui suos alloquens Corinthios , dicebat ; *Lac vobis potum dedi , non escam , tamquam parvulis :* hoc est , incapacibus alimenti solidioris.

SCRIPTURÆ SACRÆ. 187

Nec dicas; Deum ipsum non videri prohibere, quæ ex se bona sunt: ergo nec Ecclesiam à fortiori; idcirco cum versiones illæ bona sunt ex se, utpote perfectè conformes exemplari authentico; quod est verè Dei verbum scriptum.

Respondeatur namque, falsum esse in primis principium allatum: si quidem multa prohibet Deus, quæ ex se bona essent; quæ tamen mala sunt; supposita Dei prohibitione; vel si ex his sequatur dominum aliquod, sub quo respectu mala fuit, v.g. comestio ligni vetiti in Paradiso; conservatio vitæ propriæ, &c. quas tamen Deus prohibuit: Vnde sequitur, propter idem, posse Ecclesiam versiones illas, quantumvis legitimas, atque catholicas prohibere, propter improportionem & incapacitatem eorum, quibus prohibetur hæc lectio: ac propter periculum subversionis in fide eorundem. Cave tamen putes; hinc colligi posse, æquè periculosas à nobis æstimari versiones catholicas vulgares, ac hæreticas: ista enim per se ad hæresim inducunt: illæ veræ solùm per accidens.

Nec instes Ecclesiam non conferre scripturis auctoritatem; atque ideo non posse illam eis auferre, ut videretur auferre, si prohiberet; ut clarum est. Fateor enim scripturas non habere auctoritatem ab Ecclesia; sed à Deo illorum auctore principali. Sed contendo Ecclesiam à Deo potestatem obtinuisse, declarandi & definiendi, quæ sint legitimæ aut illegitimæ, quod absque ullo præjudicio divina auctoritatis declarat ac definit: non secus ac judices inferiores statuta sœpe superiorum talia esse declarant, absque præjudicio superiorum.

PROPOSITIO II.

Certum est Ecclesiam prohibuisse lectionem versionum Scripturæ lingua vernacula seu vulgari, in indice librorum prohibitorum, regul. 4. à Clemente VIII. Summo Pontifice approbatâ; quæ sic habet: *Cum experimento manifestum sit, si sacra Biblia vulgari lingua passim, sine discrimine permittantur: plus inde ab hominum temeritatem detrimenti, quam utilitatis oriri: hac in parte, iudicio Episcopi, aut Inquisitoris stetur; ut cum consilio Parrochi vel Confessoris, Bibliorum à Catholicis Auctori bus verorum lectionem in vulgari lingua concedere eis possint; quos intellexerint, ex hujusmodi lectione non damnum: sed fidei atque pietatis augmentum capere posse: quam facultatem in scriptis habeant. Qui autem absque tali facultate, ea legere, seu habere præsumperint: nisi prius Bibliis Ordinario redditis, peccatorum absolutionem percipere non possint.*

PROPOSITIO III.

Non minus certum est, æquissimam ac justissimam esse hanc prohibitionem ecclesiasticam lectionis vulgaris, seu vernaculae versionis scripturarum. Æquitatem & justitiam hujuscæ prohibitionis satis probant, vel ipsi termini, quibus concepta est. Nam in primis quid æquius? quam matrem sollicitam de salute filiorum; & expertam, lectionem biblicam in lingua vulgari plus detrimenti, quam utilitatis peperisse multis fidelium; non permittere communiter omnibus; sed iis solùm quibus novit, & quidem

totâ certitudine morali, quæ h̄ic haberi potest; nullum imminere periculum subversionis in fide, aut moribus, post examen & judicium pastorum illorum, quibus incumbit cura salutis eorumdem; eosque excludere, qui temerè, hoc est nimium sibi ipsis confisi legere vellent; neglectaque periculo prædicto. Deinde quid sapientius ac prudentius? ipsam non pati, ut illi, quibus h̄ec lectio interdicta est, utpotè incapaces ejus, apud se habeant versiones illas; ut ab eis tollatur omnis occasio legendi eas, contra prohibitionem. Insuper si spectetur tempus; quo facta est prohibitio h̄ec; quis eam arguat vel apparentis injustitiae? nempe eo tempore prohibita est prædictis h̄ec lectio; quo maximè grassabatur Hæresis Lutheranorum & Calvinistarum; potissimum in Gallia, & in Germania; ac proinde quandò innumeræ ferè circumferebantur versiones Bibliorum lingua vulgari; multæ hæreticæ, & paucissimæ catholicæ. Quomodo potuissent rudes & indocti eas secernere? & in ea lectione non hallucinari? Sed esto; sit etiam prohibitio de catholicis versionibus? Quis nesciat? illis temporibus calamitosis fuisse errorem communem Hæreticorum, quem isti passim in vulgus spargebant; posse quemque fidelium scripturas lumine proprio intelligere, ac per seipsum interpretari? Non igitur æquum fuisset Ecclesiam permittere tunc ignaris, & rudioribus sacram Scripturam legere in versione vulgari & vernacula, quam tamen nulli prohibuit in lingua latina: sed semper omnibus concessit: æstimans, eos qui possent scripturas legere, & intelligere in lingua principaliori; capaciores esse & magis idoneos ad evitanda pericula prædicta propria subversionis: in quo non minus elucet Ec-

clesiæ sapientia in hac prohibitione. Sicut etiam apparet evidenter in eo præcipue, quod videtur hanc legem solum pro eo tempore tulisse, quo periculum illud imminens timebatur. Constat enim ut dicetur; hac nostra ætate, & jam ab aliquot annis, plures edi de novo versiones totius Scripturæ gallico idiomate; quæ manibus teruntur omnium, & leguntur ab omnibus; tacentibus Ecclesiæ Pastoribus; quatenus nostræ latinæ vulgatæ conformes sunt; & cum debitiss & requisitis approbationibus. Denique nec minus percipitur æquitas prohibitionis hujus in poena statuta legis istius prævaricatoribus. Quomodo enim absolvii possent à peccatis, qui vellent libenter de propria salute periclitari?

PROPOSITIO IV.

Motivum & occasio prohibitionis hujus non fuit sine fundamento gravissimo. Etenim exempla ferè innumera perversionum hujusmodi visa sunt in viris plebeis quamplurimis; qui ex lectione versionum in lingua vulgari & vernacula, Scripturam sponte suâ interpretantes, à fide apostatarunt, & mores bonos in pravos commutarunt. Refert Æneas Silvius, lib. de orig. Bohem. errores classissimos Orebitarum, Thaboritarum, & aliorum id genus, non aliunde ortas fuisse, quam ex lectione versionum Scripturæ lingua vulgari. Idemque asserit Staphylus de Picardis, Feldianis, Anabaptistis, &c. & de Davide Georgio, quis nesciat ex lectione Bibliorum Lingua Batavicâ, eo dementiæ venisse, ut se pro Messia venditaret, ut testantur Basileenses? Duas addit citatus Staphylus historias, quæ hujus prohibitionis necessitatem con-

firmant. Altera est de quodam pictore in Prussia, qui ubi legisset incestum Loth cum filiabus suis, non horruit nefandum illud flagitium perpetrare cum filia; existimans licere sibi, quod de viro sancto legerat. Altera est de ~~femina~~ aliqua, quæ cædem Episcopi Monasteriensis meditata: immo & conata exsequi: tanti deinde criminis percontata; propositum suum excusavit. facto Iudith contra Holophernem, ut legerat in versione Scripturæ vernacula. Tacco Plebeios inumeros, ut Sartores, Sutores, cæterosque id genus, quorum factis scatent historiæ Haereses Lutheranæ & Calvinianæ. Et hinc est, quod Bellarm. lib. 1. de verb. Dei, cap. 15. citans Alaud S. Basilii: de quo refert Theodor. lib. 4. hist. c. 18. cum audisset aliquando illum, qui præterat Calinæ Imperatoris, de scripturis loquentem. Tuum est, ait, de pulmentis cogitare, non autem divina dogmata decoquere. Quid diceret nunc S. Basilius addit mox dictus Bellarm. si Pharmacopolas, Sutores, cæterosque opifices audiret, & pulpiis sacra eloquia tractare; apud Lutheranos & Calvinistas. Hanc eandem rerum inversionem, ac perturbationem deplorat S. Hier. suo sæculo, scribens Epist. ad Paul. Quod Medicorum est, promittunt Medici: tractant fabria fabri: sola scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vendicant. Scribimus indocti, docique poëmata passim. Hanc garrula anus: hanc delirus senex: hanc Sophista verbosus: hanc universi præsumunt, lacerant, docent, antequam discant.

PROPOSITIO V.

Verum ut inversa hæc resum, seu perturbation Ecclesiæ fuit non secundum, nec solùm in

præcedenti sæculo suscitata ab inimico homine, hoc est, Diabolo, qui est ille superseminator zizaniorum in Ecclesiæ agro; ita quoque simili morbo simile adhibitum est remedium. Idecirco enim facta est quarta regula indicis, de qua mox supra, à Clem. V I I I. comprobata; ut Trid. Session. 25. Decret. de ind. lib. fieri præceperat: contra scilicet reliquias hærefoes, Luther. & Calvinis. Nec mirum quod à Concilio Trident. statuta non sit; nam cum ab ipsa Synodo censura librorum vel suspectorum, vel perniciosorum, quæ quibusdam patribus fuerat demandata, audiri nequivisset; ob librorum hujusmodi varietatem & multitudinem: quidquid ab illis patribus præstitum erat; jussum fuit, ut sanctissimo Romano Pontifici exhiberetur; ut ejus judicio, & auctoritate totum terminaretur: ut revera prædicta regula malum istud novum terminatum est; facta per eam prohibitione, ut dictum est; ne à privatis fidelibus versiones in lingua vulgari legerentur sine venia & facultate Episcopi, aut Inquisitoris, cum consilio Parochi & Confessarii ipsius lectoris; propter periculum imminens subversionis.

PROPOSITIO VI.

Nec ulli novum videatur. Sic namque, occurrente simili periculo, in antecedentibus sæculis, etiam Ecclesiæ particulares, in suis Conciliis codem remedio usæ sunt. Ut manifestum est exemplo Ecclesiæ hujus Tolosanæ, cui servio à triginta circiter annis inutilis servus. Cum enim grassante hæresi Albigensium; vellent Episcopi, qui tunc Ecclesiæ præerant hac lue perturbatis; ad pœces virorum nobilium huic gravi

gravi malo mederi ; & pacem Ecclesiæ reddere, in Concilio ad hoc Tolosæ congregato, anno 1228. prohibita est similiter Laicis lectio, immo & retentio apud se Bibliorum in lingua vulgari. Sic habet Canon. 14. hujus Concil. *Prohibemus etiam, ne libros Veteris Testamenti aut Novi Laici permittantur habere : nisi forte Psalterium, vel Breviarium pro divinis officiis, aut horas B. Marie aliquis ex devotione habere velit, sed ne premissos libros habeant in vulgariter translatos, arctissime inhibemus.* Ex his vides novam non esse hanc prohibitionem ecclesiasticam ; sed perantiquam & consuetam ; ac proinde spiritus ejusdem ; ubicumque eadem se præberet occasio.

PROPOSITIO VII.

Aditur & in ipsa Synagoga Iudeos, qui erant lectioni Scripturarum adstricti maximè ; & quorum hæc constans Religio ; quam usque ad superstitionem observabant : ex aliquatenus occasione periculi alicujus imminentis ejus lectoribus libros aliquos, aut partes illorum interdixisse junioribus suis ; putat Canticum Cantorum, principium Geneseos, Ezechielis principium & finem, ut docent Origen. Homil. 1. in Cantic. Greg. Naz. Serm. 1. Hier. ad Lætam, &c. Quis igitur post hæc denegabit Ecclesiæ idem jus, in simili periculo fidelium Christianorum ex lectione versionum vulgarium ? Sed dixi in periculo simili : nam cessante isto, certum est cessare quoque prohibitionem, ut patet ex his quæ nunc temporis geruntur in Ecclesia. Etenim nescio quot visuntur nostra ætate Gallicæ versiones Novi Testamenti, maxi-

mē; cum approbationibus debitīs, quāe publi-
cē venaēunt, manib⁹ teruntur omnium fide-
lium, leguntur à singulis, nemine improbante
ac reclamante, ut mox diximus. Quod certè nec
mihi improbandū videtur: tūm quia nemo il-
lorum, ut puto, legit ea mente, ut credat se
proprio spiritu posse interpretari singula; ut per-
perā opinantur Hæretici, sed ad suam conso-
lationem & instructionem. Nec videmus hinc
sequi jam perversionem alicujus in fide & mori-
bus: sed è contra cessasse omnino periculum hoc:
tūm quia cū regula prædicta, quā prohibe-
tur hæc lectio vulgaris versionis, non tol-
lat Episcopis jus naturale, quod habent, exami-
nandi, sive pabulum doctrinæ, quo horum pa-
cuntur oves: sive proportionem & dispositionem
propriarum oviū: immo hoc jus declareret, ut
ostensum est; quis diffiteatur? dum sinunt has
versiones Gallicas, v.g. à cunctis legi: optimè
judicasse pastores, quorum interest posse ipsas
à singulis legi absque omni periculo, si in eis
percipientur prærequisitæ approbationes Docto-
ram; & exacta conformitas cum Vulgata Latina
ex judicio pastorum prædictorum.

P R O P O S I T I O V I I I .

EX his omnibus manifestum est quām fruſtrā,
quām injuste, quām calumniosè Calvinis-
tæ vociferentur contra quartam hanc regulam
Indicis; & contra prohibitionem lectionis ver-
naculæ versionis Bibliorum; quām iniquum,
ajunt, quām crudele, quām tyrannicum, im-
mo & impium! Romanam Ecclesiam suis fideli-
bus filiis prohibuisse, ne legerent testamen-
tum paternum; quasi verò Ecclesia Romana non

commendet, non præcipiat omnibus, qui ejus lectionis capaces sunt; immò non instet, non urgeat; ut huic lectioni assiduè incumbant? Quid frequentius adhortatur per sanctos Patres. Non libet hic plures adducere: Audiantur duos scilicet Chrysost. & Hieron. De isto constat multitudo urbis matronas ad lectionem Scripturarum fuisse adhortatum in suis epistolis, & Marcellam miris præconiis extulisse; quod circa Scripturæ studium tota ferveret; non utique eo animo & quo Hæretici nostri temporis, sed ad sui consolationem & instructionem? juxta illud Apostoli; *Quaecumque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt.* Et illud Ioannis ultimò; *Hæc autem scripta sunt, ut credatis.* Ille autem hoc est, Chrys. hom. 9. in Epist. ad Coloss. viros hujus lectionis capaces, quo tempore nullum erat periculum perversioris ex hac lectione, sic alloquitur. *Audite seculares omnes;* comparatio vobis biblia, animæ pharmaca; si nihil aliud vultis: vel Novum Testamentum acquirite, Apostolorum Acta, Evangelia, &c. Pro his verò quos eadem Ecclesia hujuscce alimenti solidioris incapaces judicat; quis nesciat, illam in eodem Trid. statuisse, ut in singulis Capitulis institueretur Theologus, atque in domibus singulis Regularium, qui sacram Scripturam populo explicaret; hoc est, mysteria omnia fidei, & præcepta morum viris plebeis ac rudioribus: atque eo fine Catechismum ad Parochos instituisse: in quo dicitur à Cardinale Perronio, ex Aug. matri similis; quæ parvulos filios non sinit cultro sibi ipsis panem frangere; sed frangit ipsa, immò aliquando suis terit dentibus; cunctamen grandioribus permittat; ut sibi ipsi frangant, assumant & manducent. Certè olim Sy-

nagogia prohibuit; ne sine interprete Scriptura legeretur à rudioribus; ut colligitur ex multis locis Testamenti Veteris; præcipue ~~Exodus~~ 31. ubi præcipitur mandata Dei legi coram omni populo septimo quoque anno: & ibidem additur, explanantibus Sacerdotibus filiis Levi: nec ullus Iudeorum conquestus est. Quis igitur è contra conqueratur, si Ecclesia Catholica idem præstet in lege nova, si sic judicaverit necessarium esse pro salute fidelium, ut hactenus ostensum est?

PROPOSITIO IX.

SI his nihil obstantibus objiciat aliquis, Scripturas à Deo concessas, non solum ad bonum totius Ecclesiae; verum etiam ad singulorum fidelium consolationem; ut dictum est, & instructionem: quæ ut patet non possunt obtineri à singulis; nisi singulis liceat eas legere, in ea lingua quam noverit: ac proinde vernacula & vulgari: ideoque vulgares & vernaculas versiones immerito fuisse ab Ecclesia prohibitas.

Respondeo verum esse quidem scripturas fuisse à Deo hominibus concessas, etiam in bonum particularium fidelium, atque ad eorum consolationem & instructionem: non utique ut in se sunt; eo quod singuli lectionis earum capaces non sint: sicut experimento compertum est: sed ut in se sumuntur pro Prælatis, Doctoribus & in fide pro electoribus; ut autem à Pastoribus explicantur pro singulis fidelibus in fide infirmioribus; quibus non idcirco prohibetur lectio versionis vernaculae, quod sit mala in se, ut dictum est: sed propter incommoda quæ hinc

consequerentur : ex quo falsum percipitur illam lectionem immoritò ab Ecclesia Catholica prohibitam fuisse umquam. Iam de versione præcipua , & authentica in specie , antequam de aliis differamus : quæ adhuc spectat ad causam materialem scripturarum.



QUÆSTIO VI.

De versione Latina Vulgata.

VM multæ Scripturæ versiones sint ; & ferè omnibus linguis : præcipuæ semper habitæ sunt in Ecclesia, Græca & Latina ; quarum usus fuere cujusque in sua Ecclesia. Et quia græca integra jam & incorrupta amplius non est ; sicut nec cæteræ versiones , immò nec editiones ; sed sola latina ; & quæ illi conformes sunt ; ut de nulla alia declaravit Ecclesia nuper in Tridentino ; & quidem quæ Vulgata communiter appellatur. De ista in 1. articulo hīc investigatur , quæ sit versio illa Vulgata latina , & quis auctor ejus. In 2. in quibus Codicibus contineatur. In 3. quæ ejusdem perfectio & integritas. In 4. denique quæ ejus auctoritas , & prælatio supra quascumque alias versiones ac editiones.

ARTICULUS I.

*Quæ sit versio Latina Vulgata Scripturæ:
& quis ejus Auctor seu Interpres.*

PROPOSITIO I.

DARI versionem latinam Scripturæ, quæ Vulgata dicitur, superfluum esset investigare ; cum constet esse innumera ejus ferè volumina in manibus omnium fideliūm : neque etiam multā disquisitione opus est ad reddendam rationem nominis ejus ; ex quo satis patebit, quæ illa sit. Quam enim S. August. appellat *Italam*, propter latinum ipsius idioma: Sanctus Greg. veterem propter antiquitatem & usum ejus antiquissimum in Ecclesia Latina ; vel quatenus cum tempore Sancti Gregorii esset duplex latina vulgata ; una quæ non erat traducta, nec emendata à S. Hieron. quæ vetus Vulgata vocabatur, & altera nova, quæ partim traducta erat à S. Hieron. partim emendata : quâ Ecclesia usa non est, nisi post tempora S. Gregor. ista nova appellabatur. Hæc tamen à quo tempore usum obtinuit in Ecclesia, vetustatem & auctoritatem ex Ecclesiæ consensione consecuta est ; & vetus & vulgata dicitur à S. Hieron. Vulgata dicta est, dubio procul propter ejus usum vulgarem : nam Ecclesia Latina semper alterutram usa est communiter : priore ab initio usque post tempora S. Gregor. (intellige universaliter.) Nam ipsa

estate Sancti Hieronymi aliquæ Ecclesiæ particu-
lares eā utebantur : sed à tempore mox dicto
usus ejus fuit , & nunc est , illius quæ partim à
S. Hieron. traducta est , & partim emendata. Et
de ista hīc agitur.

PROPOSITIO II.

AVtor ejus seu Interpres totalis non fuit
Sanctus Hieronymus : nam cum Vulgata
hæc nostra latina sit eadem cum veteri , quæ
erat ante illius sancti Doctoris ætatem , qui ro-
gatus est , aut jussus à Sancto Damaso Summo
Pontifice illam relegere , & ad meliorem for-
mam redigere ; & cujus partes aliquæ non fue-
runt ab eodem traductæ , sed solum emendatæ ;
manifestum est ipsum non esse ejus interpretem
totalem. Quis autem fuerit Interpres ille , ig-
noratur. Confirmatur hæc nostra propositio ,
nam in primis Psalterium vulgatae editionis non
est illud quod idem S. Hieron. transtulit ex
Hebreo : neque quod traduxit ex græca inter-
pretatione Septuaginta ; eò quod ubique dissen-
tiant , saltem quoad verba ; sed est , quod vertit
antiquus Interpres latinus ex græca versione
S. Luciani , & S. Hieron. emendavit ; ut testatur
ipse , epist. ad Frun. & Fretell. Deinde de li-
bris Ecclesiastici , Sapientiæ , Machabæorum &
Baruch non minus evidens est non esse ex
versione Hieronymiana : tūm , quia indubita-
tum est , Sanctum Hieronymum libros istos non
traduxisse : tūm , quia Sanctus Cyprianus , qui
toto sèculo & amplius Sanctum Hieronymum
præcessit , lib. de exhort. Mart. multa citat ex
libris prædictis , eodem modo , & verbis iisdem ,
quæ sunt in nostra Vulgata. Demùm , quia ma-

I iiii



nifestum est totum Testamentum Novum nunc
legi juxta veterem editionem.

PROPOSITIO III.

Quod autem S. Hieron. aliqua traduxerit quæ habentur in hac nostra Vulgata Latina, extra omne dubium est. Nullum enim latet Pentateuchum, libros Iosuæ, Iudicum, Ruth, Regum, Paralipomenon, Tobiam, Iudith, Esther, Esdram, Prophetas omnes, Canticum Cantorum, Proverbia & Ecclesiasten, immò librum Job legi nunc, ut sunt in nostra vulgata latina; & sicut latinè vertit S. Hieron. non ex græca versione Septuaginta; sed ex Hebræo Textu; exceptis septem capitibus postremis Esther, historiâ Susannæ, Belis & Draconis, hymnoque trium Puerorum: quas partes non reperit in Codicibus Hebræis. Ideoque partim transtulit ex græca versione; partim à veteri vulgata accepit; ut testatur ipse Præf. in Daniel. & Esther cap. 10. Confirmant plenè propositionem nostram tres conjecturæ subsecuentes. Prima est; quia cum nemo in dubium revocet Sanctum Hieronymum primum esse, immò & solum ex antiquis, qui Vetus Testamentum ex Hebræo in Latinum traduxit: & certum aliunde sit Vulgatam nostram latinam fuisse ex Hebræa lingua in Latinam traductam; ut ex concordantia seu convenientia utriusque manifestum est: simulque ex dissonantia cum textu græco in singulis libris mox enumeratis; nisi forte, si quandò de hebræo studuit, non tam verba, quam sensum exprimere; ut monet ipse faciendum fuisse, lib. de optim. gener. interpr. consequens est traductionem prædicta-

rum non posse denegari Sancto Hieronymo. Secunda est ; quia cum idem sanctus Doctor afferat præf. in Pentat. se in editione sua eas præfixisse præfationes libris singulis, quæ hæcenus leguntur in Bibliis vulgatae editionis : satis evidens est , versionem illam librorum hujusmodi non esse alterius , quam Sancti Hieronymi. Tertia denique ; quia cum ipse testis sit , se aliter vertisse , quam Septuaginta Interpretates : immò doceat in præf. citata in Pentat. addidisse se in sua latīna ex hebræa translatione , quæ non leguntur in græca interpretatione Septuaginta ; ut , v. g. illud Osee 11. *Ex Aegypto vocavi filium meum.* Et Zach. 11. *Videbunt in quem transfixerunt.* (Patet autem , sic haberi in nostra Vulgata , & libris prædictis ejus;) sequitur libros illos vulgatae editionis esse ex traductione Sancti Hieronymi.

PROPOSITIO IV.

DE libris sacris vulgatae editionis , quos non traduxit S. Hieron. certum est fuisse per ipsum correctos & emendatos. Nam de Psalterio testatur ipse in Præf. ejus ad Paul. & Eustoch. se bis antiquam versionem Psalterii emendasse : ultra duas , quas ipse scripsit ejusdem Psalterii translationes ; alteram ex hebræo textu ; alteram ex versione græca Septuaginta ; ut habetur in ejus epist. ad Frun. & Fretell. De aliis verò libris Veteris Testamenti , quos ille omisit , tamquam apocryphos : (ut tunc putabat , quandò non erat id ab Ecclesia definitum , ut nunc est ,) licet nullum habeatur ejus testimonium , vel aliorum auctorum ; versionem illorum antiquam ab eo correctam fuisse ;

probabilissimum est tamen; vel ex eo solum, quod traditione vulgari habeatur ille auctor proximus vulgatae editionis; quatenus libri omnes, quos continet haec versio latina, fuerunt vel ab ipso traducti vel emendati; ut nemo diffitebitur. Et de Novo Testamento testificatur ipse praef. in Evang. ubi aperte fatetur, se jussu Sancti Damasi Summi Pontificis Novum Testamentum emendasse; hoc est, antiquam illam versionem ejus latinam: colligiturque ex epist. 11. Augustini ad ipsum Hieronymum hanc emendationem viris doctis placuisse multum. Additur his confirmatio prorsus demonstrativa: siquidem omnia ferè loca, quæ S. ipse Hieron. reprehenderat in antiqua illa Vulgata, quā utebatur Ecclesia ante istius editionem; reperiuntur in hac nostra Vulgata Latina, correcta penitus & emendata; sicut ille corrigenda & emendanda prius monuerat.

PROPOSITIO V.

EX his omnibus concluditur; S. Hieronymum rectè dici Auctorem proximum, seu interpretem Vulgatae editionis Latinæ, de qua hic agitur: cum ut haec tenus ostensum est, libros multos ejus ex Hebreo Textu traduxerit, & alios à mendis, quibus contaminati fuerant, correxerit & emendarit; eā auctoritate, quam jussio Sancti Damasi tunc Ecclesiam regentis ei tradiderat, & usus quem hujus versionis facit jampridem universa Ecclesia; ut fecerant antea plures Ecclesiarum particulares.

PROPOSITIO VI.

Nec audiantur qui contrarium opinantes, tria potissimum nobis opponunt. 1. constare plura Scripturæ loca reperiri adhuc in hac Vulgata editione Latina, alio modo translata seu traducta, quam sanctus ille Doctor transferenda, & traducenda judicaverat, in quæstion. hebr. & lib. de Optim. genere Interpret. 2. esse etiam adhuc aliqua in Novo Testamento, quæ non leguntur juxta emendationem Hieronymianam. Nam lib. 1. *advers. Iovin.* pro eo quod legitur in Vulgata nostra, ad Rom. 12. sapere ad sobrietatem, S. Hieron. vertit: *Sapere ad pudicitiam*: & pro eo quod ponitur 1. ad Cor. cap. 13. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam*: S. Hieron. habet; *ita ut glorier.* 3. Quia si Ecclesia agnosceret Sanctum Hieronymum ut auctorem, ac emendatorem hujuscæ editionis Vulgatae Latinæ; absque dubio aliquam ex Hieronymianis versionibus Psalterii recepisset, non secùs ac aliorum librorum Veteris Testamenti quos ipse traduxit. Constat autem non recepisse; sed nunc etiam uti, semperque usam fuisse antiquiore translatione vulgata. Ex quibus concludunt, falsò à nobis afferri Sanctum Hieronymum esse, aut posse dici auctorem proximum vulgatae versionis.

Sed dixi: nec audiantur qui sic objiciunt. Siquidem facile hæc tria argumenta diluuntur. Ad 1. enim respondetur à Cardin. Bellarm. plures afferri rationes, cur adhuc in hac nostra Vulgata deprehendantur multa, quæ S. Hieromonuerat esse aliter vertenda; 1. est error, vel incuria librariorum; de quibus ipse conque-

ritur. 2. Ed. quod sèpè idem sanctus Doctor maturaverit sententiam, ob diversas significations verborum: quæ modò unam, modo aliam habent significationem: ut patebit ex dicendis. 3. Quia dubio procùl Ecclesia judicavit factum esse in his locis legendum esse, ut habetur in antiquiori Vulgata; ut à posteriori probatur: quia ita factum est, & sit adhuc, ipsa Ecclesia sic approbante. Ad 2. responsio sumitur ex ipso Sancto Hieronymo, qui ingenuè fatetur, se non omnia correxisse; quæ corrigenda esse judicabat in libris Evangeliorum; ne nimis multa immutasse videretur. Ad 3. hanc instantiam nihil facere contra nos: qui non diximus Psalterii versionem, quâ utitur Ecclesia fuisse ex Sancti Hieronymi traductione. Ex quo male conjiciunt adversarii: Sanctum illum doctorem non esse Vulgatae auctorem: ad hoc namque sufficit versionem hanc antiquam ab eo fuisse emendatam. Ratio autem cur in vulgata relicta fuerit versio Latina antiquior; assertur à S. Greg. Magn. qui ubi in præf. Moral. asseruit, Romanam Ecclesiam usam fuisse utrâque versione latina; & antiqua ex græco textu: & Hieronymianam, ex hebræo; addit, excepto libro Psalmorum: pro quo antiquam retinuit; ne mutaretur ordo celebrandi officia divina. Difficile enim fuit inveteratum modum orandi & cantandi statim auferri. Quod confirmat S. August. epist. 19. in qua enarrat: cum Episcopus aliquis lectionem Hieronymianam in sua Ecclesia præcepisset, maximè Psalterii, in quo pro voce floriæt S. Hieron. substituit efflorebit: populam, qui voce floriæt haçenùs usus fuerat, graviter insurrexisse, & multos tumultus non sine scandalo excitasse. Et hinc forte est, quod versio

hæc Hieronimiana fuit initio ab aliquibus op-pugnata ; quorum principes fuere Palladius & Russinus : nec illi favebat penitus S. Aug. qui ta-men fatetur , cœpisse tunc ab aliquibus Ecclesiis suscipi : ut refert, Epist. 10. ad Hieron.

Si demum ultra urgeatur , & contra nos inf-
tertur : S. Hieronimum testari præf. in Psalm. in
Job, & Paralypom. distinxisse se suam editionem
per asteriscos & obeliscos , qui tamen in nostra
Vulgata Latina amplius non visuntur ; Respon-
detur id fieri potuisse ; vel negligentia Librario-
rum , vel judicio Ecclesiæ ; aut etiam , quia id
fuerat solum à S. Hieronimo observatum , in edi-
tione facta ex Græco in Latinum ; imitando sic
Origenem : ut his significantur , quæ fuerant à
Septuaginta Interpretibus addita : quæve in aliis
desiderabantur : non autem in versione latina ,
facta ex hebræo. Duplex namque fuit latina trans-
latio S. Hieronimi Veteris Testamenti : altera
ex hebræo ; ex græco altera ; ne Indæi aut Græ-
ci insultarent latinis : ut docet idem Auctor: No-
vum autem emendavit solum è multis erroribus ,
qui vitio librariorum irrepserant : quamvis testa-
mentum illud Novum de Græco in Latinum tra-
duxerit ; ut satis indicant hæc verba ejus lib. de
vir. illustr. ubi ait : Novum Testamentum græ-
ce fidei reddidi : Vetus juxta Hebraicum trans-
tuli.

PROPOSITIO VII.

JAm quia circa hujusmodi Auctorem , seu ut
meliùs dicam , interpretem : (cum constet
S. Hier. hanc vulgatam non traduxisse solum ;
sed alium , vel alios cum ipso : si plures fuerunt
antiquiores latini interpretes :) duo adhuc in-

vestigari possunt : alterum an Interpres ille, seu Auctor indigerit speciali ad hoc assistentia Spiritus - Sancti : alterum an fuerit assēcutus sensus cuiuslibet loci Scripturæ.

PROPOSITIO VIII.

Circa primum, asseritur in primis, ad auctoritatem vulgatae editionis; non fuisse necessariam specialem assistentiam Spiritus - Sancti, ejus auctori seu interpreti; eo quod versio hæc non habeat quoad nos suam auctoritatem à suo interprete, sed ab Ecclesia: sed satis fuit absolute; ut per donum gratiæ gratis datæ, quod est interpretatione sermonis; & quædam assistentia Spiritus - Sancti, non utique, qualis fuit scriptoribus sacris: ultra ea quæ potuit interpres habere naturaliter; nempe codices originales integros seu incorruptos; peritiam linguarum; industriam, &c. ne erraret: quamvis errare potuisset. Idem enim contingit huic versioni, quæ normam fideli nostræ continet; quod propositioni alicui contingenteret, quæ fuisse à Doctore aliqua Ecclesiæ elicita; & deinde ab Ecclesia tamquam de fide definita: hæc siquidem de fide esset, sive auctor ejus errare potuisset, sive errare non potuisset.

Deinde fateor conveniens fuisse suavitati diuinæ providentiae, ut interpres ille fuerit à Spiritu - Sancto afflatus. Ratio paritatis est; quia si ad græcam interpretationem Septuaginta decuit; ne res tanti momenti tribueretur humano ingenio, aut industriæ; ut ejus interpres ideo fuerint afflati à Spiritu - Sancto, & adjuti ejus assistentiæ; ut omnibus manifestum est; & infra dicetur; quatenus interpretatio illa futura erat

communis, & usualis per aliquot annorum centurias: non minus conveniens fuit, immo magis consentaneum interpreti nostræ vulgatae: quæ sola authentica est absolute & assertive, ad fines sæculorum.

Demùm adde necessariam fuisse aliquo modo, hanc assistentiam huic nostro interpreti: tūm, quia cum Scriptura sit difficillima; nec possit intelligi sine dono, & lumine Spiritus - Sancti: ut interpres eam potuerit ex una in aliam linguam traducere, & ne sensum falsum pro vero, & à se effictum, pro sensu, quem intendit Spiritus - Sanctus, nobis proponere; necessaria fuit aliquo modo assistentia ejusdem Spiritus - Sancti: tūm etiam, quia ut dictum est, munus benè interpretandi, non est aliquid naturale homini, aut debitum naturaliter; sed gratia gratis data, pro cuius exercitio orandum est; ut monet Apostolus: quod non fit cum aliquo merito, nisi in Spiritu - Sancto: hoc est ex ejus assistentia. Confirmatque idem S. Hier. epist. ad Desid. & Paulin. dicens: *Quanti hodie putant se nosse litteras & tenent signatum librum: nec aperire possunt; nisi ille reseraverit, qui habet clavem David.* Quod non debet intelligi, ut supra ostensum est de ea assistentia, quæ fuit requisita primis scriptoribus. Vnde diximus aliquo modo necessariam fuisse huic interpreti hanc assistentiam; sacris scriptoribus vero absolutè.

PROPOSITIO IX.

Quod autem ad alteram quæstionem attinet: *An scilicet latinus Interpres asscutus fuerit omnes sensus loci cuiuslibet Scripturæ; responderetur multipliciter huic quæstioni propter mul-*

ta, quæ hic ex occasione observanda sunt.

1. Nulli fidelium dubium esse posse, sensum quem expressit latina vulgata, esse verè intentum à Spiritu-Sancto; cum de fide sit, hanc versionem esse authenticam, & quidem solam; ut brevi ostendetur.

2. Fatendum esse, Vulgatum Interpretem non expressisse omnem sensum litteræ originalis. Cujus ratio desumitur à diversitate linguarum. Potest enim fieri, immo sæpe fit; ut in lingua originali voces aliquæ plura æquivoce significent, quæ lingua alia unâ voce nequit exprimere: ut patet in voce hebræa *jammin*, quæ *aquas calidas & mulos* significat. Vnde Genes. 3. aliqui vertunt aquas calidas; alii mulos. Psalm. 3. vox hebræa *Lethi*, significat *frustra & maxillam*. Et inde fit quod ubi Vulgata nostra habet, *Percussisti omnes adversantes mihi sine causa*: Hier. *vertit*, *percussisti in maxilla*, &c. ex quo inferendum non est, diminutam esse versionem: Tum quia id non est defectu interpretis; sed ob penuriam linguæ latinaræ: tum quia nullus sensus absolutè necessarius est in ea omissus, qui secundum se esset de fide.

3. Non esse inconveniens concedere Latinum Interpretem Vulgatum non perceperisse omnem sensum cuiuscumque loci Scripturæ: omnemque sensum litteræ originalis; sive, quia nulla ratio id probat efficaciter; sive quia adhuc constat ideo non expressisse; quia istud necessarium non erat; & idcirco nec fuit necessarium; ut perciperet.

4. Versionem latinam aliquo modo esse facti diorem ipso originali: quatenus aliquando sit, ut vox latina, quæ licet ut plurimum sit

significationis strictioris: tamen sit aliquando latioris, quam Hæbraïca, Chaldaica aut Græca: ut patet de voce Cypri, quæ latinè significat arborem & insulam: cum in aliis arborem solum designet. In illa autem hypothesi, sensus quem faceret vox illa, oppositus litteræ originali, non esset authenticus; neque ut sic ab Ecclesia proponeretur: cuius non est facere sensum canonicum vel authenticum: sed solum ipsum ut talem declarare; quando hujusmodi est.

5. Si quando versio latina reddat sensum ab originali diversum; originalem esse illi præfendum; Hebraicum ut pote vel Græcum; si tamen lectio originalis incorrupta sit; & quantum ad hoc solum, quia licet retinenda sit lectio latinæ vulgatæ; si certò de originali constet: vox latina ita sumi debet; ut ex circunstantiis, v. g. cause & effectus, &c. idem significet, quod vox originalis. Non enim contra auctoritatem Vulgatae editionis est; quod retinendo lectionem ejus trahatur verbum aliquod ad sensum vocis originalis, qui colligitur ex aliis vocibus adjunctis ejusdem versionis: ut docet Turrian. *disp. 22. dub. 3.*

6. Denique additur non fuisse necesse in transferendis nominibus propriis arborum, herbarum, animalium, ponderum & mensurarum: interpretem vulgatum reddere quod erat in originali; sed solum æquivalens, ut docent idem Turrian. Canō. &c. eo quod mox dicta ponantur plerumque, exempli gratiâ: quatenus illa debent esse nota; & quæ in una natione nota sunt; in alia sunt prorsus ignota: atque ideo satis indifferens est unum pro alio poni. Sic ubi Psalm. 103. vertit S. Hieron. *Petra refugium Herinaceis*: alii vocem *Herinaceis* in lepuscu-

Ium transmutarunt : exponentes hunc locum per verba hæc ; *lepusculus* , *plebs invalida* , *collocat in petra cubile suum*. Quæ utique dici non possent ; si prædicta hæc non assumantur in exempla , sed ad fidem pertineant , aut ad veritatem historiæ. Sic enim mutatio esset substantialis , & substitutio unius vocis significativæ pro alia sensu inverteret à Spiritu - Sancto intentum. Quod esset falsitatem inducere , ut satis manifestum est.

ARTICULUS II.

In quibus Codicibus contineatur versio Latina Vulgata.

PROPOSITIO I.

PRÆSUPPONENDUM est huic nostræ inquisitioni occasionem dedisse , puerilem simulque ridiculam quorundam opinionem ; qui sibi imaginati sunt hanc versionem nostram latinam , antequam corrigeretur , ac emendaretur à Summis Pontificibus , ut ab his experierat sacra Synodus Tridentina : fuisse in aliqua ficta , & solùm mente concepta editione : non autem in certis , & reverè existentibus Codicibus sacris. Quæ opinio evidenter refutabitur ex dicendis , quamvis vix refutatione indigeat : cum illam proposuisse , refutasse sit. Sed antea sit.

PROPOSITIO II.

Statuendum est tamquam certissimum, & maximè indubitatum ; hanc nostram Vulgatam Latinam contineri in editione Vaticana inchoata à Pio IV. Summo Pontif. & absoluta atque perfecta à Clemente VIII. etiam Summo Pontifice ; ac proinde in omnibus , & singulis fidelibus ejus transumptis ; immò & versionibus in quocumque idiomate : si sint illi perfectè conformes. Est hæc nostra propositio , seu conclusio ad faciendum satis viris aliquibus etiam doctis ; qui convicti approbatione vulgatæ editionis factâ ab Ecclesia in Tridentino : adhuc dubitant, ubi illa sit : & à nobis querunt ; an in Bibliis Roberti Stephani , vel Benedicti , vel Lovaniensibus ex Typographia Plantini , &c. Ad ista enim Concilium non descenderat. Quod certè non videntur illi alio fine investigare: nisi forte : ne cogantur istam, ut solam authenticam fuscipere, eo sensu de quo mox supra.

PROPOSITIO III.

Avidiant igitur, tum illi, tum alii quicunque, eam neque in his Bibliis, neque in illis similibus sed in sacris Codicibus ab Ecclesia nobis propositis & approbatis contineri; quales sunt qui correcti & emendati sunt per Summos Pontifices , de quibus supra mox. Hujus autem editionis hæc est verissima & fidelissima narratio : cui nemo Catholicus refragari potest ; estque notissima omnibus & singulis , qui voluerunt hanc historiam legere in scriptoribus probatissimis , qui de hoc argumento pertractarunt. Cum igitur

Summorum Pontificum Romanorum, qui post Tridentini conclusionem Sedem Petri occuparunt, cura potissimum fuerit de puritate & integritate Scripturarum; in quibus continentur Fidei dogmata, & morum præcepta: & toto illo tempore adeo pauca essent exemplaria integra & incorrupta: sed è contra innumera fere mendis scatentia; sive dolo Hæreticorum & malitiæ: sive ignorantia, aut incuria & negligentia Typographorum: quæ fuit occasio suscipiendi hanc Bibliorum correctionem ac emendationem. Omnes, inquam Summi illi Pontifices totis virtibus incubuerunt, ut juxta Triden. Decretum, prodiret volumen Bibliorum, in quo continetur hæc nostra Vulgata Latina emendatissima, quæ sola ex omnibus Scripturæ editionibus aut versionibus à Patribus hujus sacri Concilii ductu Spiritu - Sancti selecta est; ut esset planè authentica & omnimodæ auctoritatis: quam Romæ corrigi curarunt ex manu scriptis, ac editionibus aliis purgatiissimis, operâ virorum doctissimorum & maximè piorum.

Primus illorum Summorum Pontificum opus hoc præstantissimum inchoavit Pius IV. quo Ecclesiæ clavum tenente finitum est tandem Tridentinum Concilium, in bonum ejusdem Ecclesiæ commune, instante maximè & urgente S. Carolo Cardin. Borromæo ejus nepote. Hanc Provinciam demandaverat Pontifex ille aliquibus Cardinalibus, aliisque viris doctissimis; sed cum morte præventus opus absolvere non potuisset: deinde Pius V. ejus successor ejusdem voti compos viros quoque doctissimos, piissimosque, ad hunc eundem finem elegit, Romamque accessit. Verum nec iste Pontifex Maximus, quod ardentiissime concupierat, confiscare potuit, Deo

aliter ordinante ac providente. Post mortem hujus, congregationem hanc aliquibus gravissimis negotiis intermissam, revocavit Sixtus V. similiter Pontifex Romanus illiusque successor, aliquo post tempore: ipsumque opus seu volumen Latinæ Vulgatæ peractum Typis mandari jussit. Sed advertens vitio præli multa in hac editione irrepsisse, quæ novâ correctione atque emendatione indigerent; aliam editionem fieri præcepit; ut habetur in ejus præfatione. Hanc post mortem ipsius Clemens VIII. qui ei succedit, ad exitum fæliciter perduxit initio sui Pontificatus; ipsamque Vulgatam Latinam correctissimam ac emendatissimam, prælo subjicit Typographiæ Vaticanæ: prohibens ne quis posthac hanc Bibliorum editionem Typis excudere attentaret; nisi juxta exemplar Vaticanum, tanto studio elaboratum; atque etiam, ne quis vel minimam particulam ejus immutaret; addendo aliquid ei, vel detrahendo: nisi forte si quid mendosum incuria aut negligentia Typographorum; vel quorumcumque scriptorum esset illapsum; aut immixtum: imperavitque totum istud ab omnibus inviolabiliter observari.

PROPOSITIO IV.

EX his probatum manet Vulgatam Latinam correctam & emendatam extare ab eo tempore, in primis in eis codicibus Vaticanis: ac deinde non tantum in eorum transumptis; sed etiam in versionibus linguae cujusque fidelibus; si sint illis perfectè conformes: ut sunt exemplaria tum latina, tum alia cujuscumque idiomatis, quæ toto jam orbe circumferuntur; & invariata leguntur publico fidei & universalis Ecclesiæ bo-

no, cum idem prorsus contineant; quæ Vulgata Vaticana: quamvis non diffitear, Latinam Vaticanam sè habere ut autographum respectu transumptorum, & versionum cæterarum in linguis alienis. Sed quia jam gravior difficultas videtur: unde desumpta sit hæc latina Vulgata correcta: & juxta quæ exemplaria emendata; sit

PROPOSITIO V.

Facilis certè tamen est resolutio hujus difficultatis. Manifestum namque est ex verbis Trid. & Clem. VIII. hanc editionem correctam & emendatam non præsupposuisse fictam aliquam editionem, & in sola mente conceptam ut sibi gratis effingunt adversarii: sed eos codices qui eam continebant, si non singuli totaliter, saltem omnes collectivè, è quibus extracta est, & à mendis, quibus scatebant, expurgata; juxtaque illa exemplaria emendata detractis mendis illis quæ irreperant, vel Typographorum, aut Amanniensium negligentiâ, incuria aut ignorantia: vel ex Hæreticorum malitia, in illis codicibus qui sic continebant hanc versionem Latinam Vulgatam. Sic loquitur. Trid. sess. 4. in Decres. postquam enim excommunicationem tulit contra eos qui Vulgatam Latinam non suscepserint, his utique verbis. *Si quis hos libros, prout in Ecclesia Catholica Legi consueverunt, & in veteri Vulgata Latina habentur pro sacris & canonicis, non suscepserit: Anathema sit.* Addit: *Insuper haec eadem sancta Synodus: considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei; si ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferuntur sacrorum librorum; quam pro authenticâ habenda sit innotes-*

cat; statuit ac declarat: ut hæc ipsa vetus Vulgata editio, quæ longo tot sacerdotum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus & expositionibus, pro authentica habeatur: & ut nemo eam rejicere quovis praetextu audeat & presumat. Quod ut vides, de nulla alia editione asserit: ideoque à nobis sola dicitur assertivè authentica. In quibus manifestum est sacram Synodus, hoc est Ecclesiam universalem per illam repræsentatam; non præsupponere fictam aliquam editionem, & sola mente conceptam: sed sacros illos codices, in quibus sic erat sparsa; ut errores qui erant in uno; non essent in alio: & manuscripta, ac sanctorum Patrum volumina, quantum ad partes plurimas ab his citatas: è quibus tandem prodiit editio illa Vaticana correctior & emendator, quam Sixtina: & illam jussit Clemens VIII. Typis mandari anno 1592. juxta quam prælo excusa sunt deinde omnia transumpta latina; quorum usus est in Ecclesia, tum publicus, tum privatus: omnesque versiones in quacumque lingua, quæ in totum veram Scripturam continent, inquantum illi conformantur.

Nec minùs nostram sententiam probant verba Clem. VIII. in præfatione præfixa editioni Vaticanæ: ubi sic ait, *Amplissimorum Cardinallium congregationi, & alijs eruditissimis viris ad hoc opus à sancta Sede Apostolica selectis propositum non fuit, novam aliquam editionem cedere: vel antiquum interpretem ullæ ex parte corrigere: sed ipsam veterem Vulgatam editionem à mendis veterum Librariorum; nec non à pravarum emendationum erroribus repurgatam sua pristinæ integritati ac puritate.*

ri (quoad fieri potest,) restituere : eaque restituta, ut quam emendatissime imprimeretur, operam dare. Nihil certe potuit dici clarius in nostræ propositionis confirmationem ; utpote ante editionem istam Vaticanam fuisse codices veros & reales ; in quibus illa realiter continebatur ; sparsim quidem, eo modo quo diximus ; licet in singulis admixta mendis quamplurimis & erroribus Librariorum : quam tunc utebatur Ecclesia, non utique secundum partes corruptas & mendas : sed secundum incorruptas ; cum ipsa falli non possit, ut potè à Spiritu - Sancto cœcta & afflata perpetuò : non autem fictam illam editionem, & solâ mente conceptam, quam imaginantur adversarii, ut dictum est. Ad quid enim ficta illa editio ? numquid facilius assertur, & probabilius latinam vulgatam fuisse realiter sparsam in diversis codicibus realibus ? in quibus omnibus collectivè contingebatur pura & integra ; licet non in singulis : quam recurrere ad hanc fictionem : ad quam nemo recurrit temporibus S. Hieronymi, quando iste correxit, ut dictum est, codices illos, quos ipse non vertit : quibus tamen tunc, & antè utebatur Ecclesia.

PROPOSITION VI.

EX his omnibus notum est, quam gratis & perperam nobis multa in hac parte expobrent Hæretici : & opponant. Inprimis enim falsum est, sequi ex nostra sententia ante correctionem ac emendationem Sixti V. & Clementis VIII. Ecclesiam non habuisse editionem scripturarum integrum & incorruptum ; sicut male inferunt illi. Fateor equidem eam tunc non fuisse in uno, aut multis distributiva ; & in particulari

totaliter

totaliter integrum & incorruptam : sed in multis collectivè, ut explicatum est : quæ utebatur Ecclesia, ut in his eo modo contenta ; & in pluribus veterum Patrum commentariis & citationibus ; absque ullo periculo erroris pro ipsa, ut advertimus. Quæ certè judicavit in Concilio Trident. congregata, & in suo Capite viibili, hoc est, Romano Pontifice melius esse ; ut tota in uno integra & perfecta, corrigita & emendata contineretur ; ut nunc continetur, volumine.

Deinde quando nobis objiciunt fuisse igitur hanc vulgatæ correctionem inutilem : Tum, quia ut fatemur, erat illa integra & incorrupta, saltem in multis codicibus collectivè, & in Sanc- torum Patrum voluminibus : Tum, quia cuncta sunt & futura sunt transumpta exemplaria fere innumera ; impossibile moraliter est ; ne in aliquibus vitiata & mendosa sit saltem Libra- riorum vel ignorantia vel negligentia : & idcir- cò frustranea fuit hæc præcautio. Ad istud enī respondeo ex dictis esse manifestum, hanc cor- rectionem non fuisse ; ut putant illi, inutilem ; neque certè id probant duæ instantiæ allatæ. Non prima ; quia ut dictum est, licet esset in- tegra & incorrupta, per ordinem ad totam Ec- clesiam, quæ falli non potest ; non tamen res- pectu fidelium singulorum. Idcirco necesse fuit, vel saltem conveniens ; ut in uno certo volu- mine corrigta, & emendata asservaretur. Sic enim singulis constat, majori certitudine, quæ sit editio vulgata : ipsamque esse integrum & incorruptam quoad essentialia : utpote quam Ecclesia ore capitissimi fidelibus ut talem propo- nit & declarat. Sed neque etiam secunda facit aliquid contra nos : quia præcautione suâ, mi-

nimè frustrancā curavit Pontifex , ne in illis transumptis , quantumvis multiplicatis in infinitum ; accideret, quod in aliis scimus ante contigisse. Providit namque Clemens VIII. ne aliquid non canonicum , nihil adscititum , nihilque extraneum , possit irrepere : dum statuit , exemplaria omnia debere editioni Vaticanae perfectè conformari : nec ullam esse permittendam editionem Scripturæ sine illa perfecta ac fidei conformitate cum Vaticana , aut ejus fidelissimis transumptis. Ideoque etiam libros apocryphos voluit à serie Librorum sacrorum excludi , simulque Manassis orationem , quæ neque in Hebræo Textu , nec in Græco leguntur , immò neque in antiquo Latino , sive que hæc scripta in fine bibliorum collocari , minore rique caractere excudi.

PROPOSITIO VII.

Qvando addunt præterea ipsi Hæretici ; neque Clemens VIII. immò neque Ecclesiasticam umquam definiuisse , aut declarasse , editionem Vulgatam , prout nunc est correcta & emendata , post Vaticanam editionem ; esse purissimam , maximèque incorruptam , defectumque nullum in ea reperiri : ut satis patet ex Bulla quam idem Pontifex supremus præfixit editioni suæ. Respondeatur : neque hanc instantiam nos urgere magis. Siquidem satis superque fuit illum Pontificem asserere , per eam restitutum esse Textum divinum ; ut in ea Bulla protestatur : factamque fuisse editionis hujus accuratissimam expurgationem. Quod certè totum sine multo labore , studio , & industria factum non est : dum tot fuere perquirenda antiquiora

manuscripta, consulenda originalia, & conserenda à tot viris doctissimis, & in lectione Scripturarum versatissimis; istudque potuisse præstare supremum Pontificem; summæ temeritatis esset, si quis negare præsumeret; immo in dubium revocare: ut nemo negavit hactenùs de Sancto Damaso similiter Summo Pontifice, qui S. Hieron. operâ usus est, ad correctionem Librorum, quos constat ipsum sanctum Doctorem non traduxisse latinè in hac nostra vulgata. Nec solum id per alios, putà per S. Hieron. præstitit Pontifex iste: sed etiam per seipsum: quem constat, pro ea lectione, quæ habebat Psalm. 28. *Ut videam voluntatem: commutasse in illam; ut videam voluptatem: Et pro eo quod legitur Psalm. 41. Ad Deum fontem vivum, correxisse: ad Deum fortem vivum, &c.* Sed adhuc instant illi: editio Sixti V. facta fuerat jussu hujus summi Pontificis, non secùs ac Vaticana jussu Clementis VII I. qui non pollebat majori auctoritate, quam decessor suus Sixtus V. & tamen Vaticana suscipitur, ut authentica pura & incorrupta: non autem ~~Sixtina~~: numquid exclamant ipsi; fuit aliqua, contentio inter illos Pontifices circa hanc correctionem seu emendationem? vel recentior prævaluit antiquiori; & major servivit minori? Non est sanè multum difficilis hujus nodi parum intricati solutio ex jam dictis. De Sexto namque dictum est; cum animadvertisset, plures errores irrepsisse in suam editionem vitio præli: non tantum ipsam non promulgasse; (quod necessarium fuisset ad ejus approbationem:) sed etiam judicasse ipsum Pontif. iterata correctione eam indigere. Quod absque dubio curassem, si diutius vixisset. Sed perfectè absolvit

Clemens VIII. in quo quidem nulla videtur contentio utriusque Pontificis, sed summa consensio. Nec ulla ratio est; ad quid à nobis querant Hæretici; cur Vaticana proponatur Ecclesiæ; non autem Sixtina? Cur illa isti preferatur? Certè hinc arguere non possunt; nos plus attribuere Clementi, quam Sixto: ant idcirco inde jure dici posse; recentiorem antiquiori prævaluuisse, aut minori propter hoc ipsum servisse majorem.

Immo hinc aperte colligitur, quam insalse & perperam Iammes Hæreticus Anglus non erubuit libellum publicasse, quem inscripsit, *Bellum Papale*, seu *discordia concors Sixti V.* & *Clementis VIII. circa Hieronymianam editionem*. In quo totus est in annotanda discrepantia, tūm duarum illarum editionum à se invicem: tūm etiam Lovaniensium ab utraque illa. Quasi verò bellum dici possit inter duos illos Pontifices, in eo quod unus absolvit, quod alter incohaverat? Quod posterior, qui solns id jure potuit, peregerit, quod prior decreverat? Quod comparetur emendatio seu correctio imperfecta, quæ numquam fuit promulgata, cum illa quæ perfecta censeretur ab omnibus; fuitque tūm promulgata, tūm suscepta ab Ecclesia? Et de Doctoribus Lovaniensibus, quis eos accuset, ab editione vulgata, quam suscepit Ecclesia, umquam discrepasse! qui publicè professi sunt, ut decuit Catholicos Interpretes, hanc solum veram lectionem, & Textum sacrum debere censeri, quem Ecclesia ricerperet. Idcirco si quid ante publicationem correctionis dignum ac emendationis Vulgate versionis adnotarunt; quod isti correctioni argumentum sit; Ecclesiæ censuræ standum esse

nec ipsi detrectant, aut diffitentur. Sed è contra
sapientia inculcant, ubicumque occasio se offert: ut
teles sunt quotquot illorum libros evolven-

PROPOSITIO VIII.

Denique quando adhuc obstrepunt Hæretici contra hanc vulgatam emendationem, & quæ de ea haec tenus dicta sunt; maximè in isto articulo; se non posse, ut aiunt, cum Martino similiter Anglo Hæretico capere, quod Ecclesia Romana dessinierit, Vulgatam Latinam esse authenticam: jusserit tamen esse corrigendam quam emendatissimè: nonne addunt cum illo Hæretico, istud est infantem nondum natum baptizare? Verum soluta est levis hæc & puerilis instantia ex jam dictis. Nam quæ est Vulgata illa, quam Ecclesia Catholica dessinivit esse authenticam? Nonne hæc ipsa quam diximus contineri realiter in multis codicibus rebus, in quibus erat mendis aliquibus admixta: Sed eo sensu, ut locus qui erat corruptus, aut mendorosus in uno, esset integer & perfectus in alio. Istâ autem, ut vides, nata erat, ante hanc Ecclesiæ definitionem, aut declarationem. Ideoque falsum est illam declaratam esse authenticam, antequam nata esset. Ex quo satis evidens est, quam sit insana comparatio illa, quæ assertur ejus declarationis cum Baptismo infantis degentis adhuc in utero matris. Deinde quænam est illa, quam præcepit Ecclesia Catholica emendatissimè corrigi? Non ipsa, ut est in se; sed ut permixta illis mendis seu erroribus Codicum, in quibus erat tamquam in subjecto secundario; antequam esset emendata.

& correcta. In quo nulla est implicantia , ut per se evidens est. Ex his habes eam sic accep- tam aptè describi : fœtum Spiritus - Sancti in utero Ecclesiæ conservatum : qui opera illorum Summorum Pontificum, maximè Clem. VIII. obstetricante manu virorum piorum , ac doctissimorum in lucem prodit, à mendis quibus in omnibus ante codicibus scatebat , expurgatus.

ARTICULUS III.

De perfectione & integritate Vulgatae Latinae.

PROPOSITIO I.

HÆc Vulgata nostra Latina sic perfecta dicitur , perfectione essentiali & finis ; ut non possit dari alia , hoc sensu perfectior. Satis evidenter istud colligitur , ex eo quod nullum errorum continet ex parte interpretis : sed verè reddat atque fideliter sensum auctoris ; qui non minus quam veritas in indivisibili consistit. Nihil enim aliud hæc intelligitur nomine perfectionis essentialis , & finis ; ut loquuntur Theologi. Sed dixi ex parte interpretis : per quod non tollitur , quod ex parte Librariorum possit mendis aliquibus obscurari ; ut ostenderetur illi accidere potuisse : idcirco addidi non posse dari aliam in hoc genere perfectiorem , quia nulla est , quæ possit magis sensum auctoris reddere : quatenus ista reddit fidelissime : quod certè nulla alia jam præstat ; ut clare infertur

ex hoc ipso, quod cæteris quibuscumque ab Ecclesia præfertur: ut dicetur mox infra.

PROPOSITIO II.

Et etiam hæc nostra Vulgata perfecta perfectione accidentalí totali, ac proinde perfectior cæteris maximè latinis; si comparetur cum ipsis: quod satis pater ex dictis mox, & magis adhuc ex dicendis articul. sequenti. Nam cum ideo declarata sit authentica præ cæteris; dum de illa solùm Synodus Tridentina id asserit: quod sit omnium perfectissima; & idcirco eas excedens cum illis comparata, (in quo sita est illa accidentalis ac totalis perfectione:) indubitatum est eam perfectionem ipsi competere. Sed dixi maximè si comparetar cum cæteris latinis; ~~quæ~~ in tantum perfectionem habent, inquantum illi assimilantur; nec ab illis recipit claritatem in locis obscuris; cum tamen recipiat ab aliis, quantum ad eas partes quæ incorruptæ sunt in istis; putâ græca & hebraica. Hæc ejus perfectio confirmatur adhuc ex verbis præfationis citatæ; quæ prædictis addit: Accipe igitur Christiane Lector ex Vaticana Typographia veterem ac vulgatam Sacrae Scripturæ editionem, quantâ fieri potuit diligentia castigatam. Iisque adjicitur: Quam quidem securi numeris absolutam, pro humana imbecillitate affirmare difficile est: ita cæteris omnibus, quæ ad hanc usque diem prodierunt, emendatiorem, purioremque esse minime dubitandum est. Addi potest S. Hieronym. qui est partim ejus interpres, partim corrector, ut diximus, quem constat munus utrumque assumpsisse jussu Sancti Damasi Summi Pon-

tis ipsumque divinā providentiā destinatum
fuisse, ut canit Ecclesia, ad scripturas expo-
nendas; hanc perfectionem aliquomodo huic
vulgatae versioni communicasse. Cum certum
sit, ipsum perfectissimè munus illud suum im-
pleuisse. Contra quæ nihil facit, quod in ali-
quis versionibus latinis, quædam legantur
clarius scripta, quædam elegantiūs, quam in
hac nostra vulgata: cum hic à nobis com-
paretur tota vulgata cum tota alia quacum-
que, quod est id quod importatur in voce
totali. Vnde sequitur, vera esse quæ diximus.

PROPOSITIO III.

Potuit Vulgata nostra in se spectata & ab-
soluta, esse perfectior accidentaliter: eò
quod perfectio accidentalis versionis alicujus
supra aliam sita sit in majori ejus perspicui-
tate, in vita & energia verborum: in elegantia,
immò & ornatu sermonis, &c. Nemo autem
dubitat; ea quæ in vulgata continentur, sal-
tem aliqua, potuisse clarius, significantius,
elegantius, &c. exprimi; ut constat innumeris
exemplis ab ea deductis. Etenim Psalm. 18.
*In sole posuit tabernaculum suum: Clarius
legeretur soli constitutum est in cœlo taber-
naculum.* Sed Interpres latinus voluit phra-
sim hebræam imitari. Proverb. 3. ubi habetur,
Cum simplicibus sermocinatio ejus: potuisse
dici significantius secretum colloquium, ut
videtur exigere textus originalis. Psalm. 90.
poneretur elegantius, *Scapulis suis obumbrabit
te,* quam tibi. Et Psal. 128. elegantius dice-
retur; Etenim non prevaluerunt mihi: quam,
non potuerunt mibi; ut habeat nostra vulgata, &c.

Vbi observa, nos per hæc nullomodo adversari vel Decreto Trident. cum istud declareret solum, vulgatam esse authenticam & canonicanam: non autem clarissimam maximè, significativam & elegantissimam. Vnde defectus mox dicti nihil sanè ejus auctoritati detrahunt: tūm quia levissimi sunt; tūm quia sunt in ea de industria relidi; ne ex verbis existimarent homines & pensarent Scripturæ dignitatem; sed solum ex sensu & virtute spiritus. Multò minus adbuc obstant perfectioni ejus essentiali, aut accidentalī, si comparetur vulgata totaliter sumpta cum aliis versionibus totaliter acceptis, ut dictum est.

PROPOSITIO IV.

Non potest asseri, quod adhuc expediret, Scripturam fuisse, aut fore traducendam linguâ cultiori è fontibus suis seu originalibus; quidquid in contrarium oblatrent Gentiles & Hæretici: qui teste Arnobio Vulgatam Latinam assidue exprobant solœcismis scatere & barbarismis. Probant nostram sententiam multæ rationes, aut congruentiae, 1. est: Quia versio scripturæ debuit originali suo correspondere: quod Spiritus - Sanctus voluit esse sine illo cultu verborum, & supra leges grammaticæ: quamvis eloquentiâ sententiarum utatur; ubi, & quando vult. 2. Quia editio scripturæ est magis propter verbi efficaciam, quam ad sermonis jucunditatem; ut colligitur ex verbis Apostoli 1. ad Cor. 2. qui de sua loquens prædicatione: (idem dic de scriptura universali:) ait: Sermo meus & prædicatio mea non in persuasilibus humanae sapientia ver-

bis : sed in offensione spiritus & virtutis : ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. A quo non dissentit S. Chrysost. qui homil. 46. oper. imperf. in Matth. dicit : Omnia verba divina, quamvis rusticæ sint & incomposita, viva sunt; quoniam intus sensibus suis habent positam veritatem Dei, quasi sanguinem in venis inclusum: & ideo vivificant audientem ; sicut testatur Petrus ad Christum dicens, quo ibimus; verba vita aeterna habes, &c. Istud confirmant aliqui, comparando cum Apostolo verbum Dei gladio acutissimo, qui non minus ferit, si extrahatur è vagina coriacea, quam si ex aurea. Ad quod alludit S. August. lib. 4. de Doctr. Christ. cap. 16. ubi de Scriptura loquens, docet eam non incedere ornaram, aut armatam, sed nudam ingredi, &c. 3. Quia, ut dicitur Psal. 11. Eloquia Domini casta. Igitur sicut femina honesta honesto incedit ornatu, non meretricio; ita Scriptura per hoc inter cetera distinguitur à vana seculi eloquentia. Idemque omnes ferè sancti Patres perpetuo invehuntur in hunc verborum fastum: vel potius in eos qui oparent illum inducere in versiones Scripturarum: è quibus præcipue sunt Ambr. Aug. Hier. Cyril. Hierosol. Clem. Alex. Greg. Arnob. Prosper, &c. Sed etiam Aug. lib. 3. confess. cap. 3. dolet de se Ciceronianam eloquentiam scripturis prætulisse: Quia, inquit, palato nondum sano pœna panis erat Et S. Hieron. de scipso testatur, Epist. ad Eustoch. se propter fastidium, quo afficiebatur inculti sermonis scripturarum, ad tribunal judicis supremi pertractum aliquando vapulasse; sibique exprobatum Ciceronianum esse, non Christianum. 4. Quia, ut ad-

dunt aliqui, Deus sic voluit prophanos illos ac tumentes removere ab oraculis Scripturarum in pœnam peccatorum suorum ; dum humiles ea simplicitate sermonis ad lectionem earum allicit. 5. Quia æquum non est, ut propter paucissimos Grammaticæ aut Rhetoricæ studioſos, qui cultiorem linguam & sermonem magis ornatum exoptant, repellerentur tot fideles ab ea lectione, quæ esset eo obscurior, quo sermo eloquentior : sicque Scriptura nostra, seu potius Vulgata latina, (si quis linguâ cultiori contenderet traducendam ;) amitteret venerandæ antiquitatis auctoritatem. Quæ cuncta impulerunt quædam Albericum Gentil. Calvinistam, Apologia vulgati interpretis veluti instituere ; contra ejus obtructatores ; ubi ostendit, exemplo Luculli, Galeni, ipsiusque Hieronymi, potuisse relinquere istum jure in sua vulgata verba barbara nonnulla, ut ipsi, & solæca : taxat etiam aliquos è suis sectariis, quod in his nugari voluerint cum nostris quibusdam, ut ait; quos filiet.

Dices : Ecclesia non improbat Catholicos Doctores ea annotare, quæ sibi videbuntur correctione digna in versione vulgata : immo plures eorum plura annotasse. Centum tria loca hujusmodi enumerat Natalis Alex. Ordin. Prædicat. Doctor celeberrimus, & de re Theologica optimè meritus in sua dissert. de laboribus S. Hieron. in vert. Script. & de Vulgata Latina.

Respondeo id nihil facere contra sententiam nostram : non enim negamus; Ecclesiam posse (si ita expedire sibi visum fuerit;) aliam versionem latinam instituere : & quæcumque ab illis doctoribus annotata sunt, vel annotabuntur,

commutare. Sed id negamus de Doctoribus singularibus, nisi jussu ipsius Ecclesiae, & applicatione.

Objectiones alias quascumque præcludit acutissime Arnob., lib. I. contra Gentil. quando ad illud quod sibi objicit; nempe scriptam videri versionem latinam ab indoctis hominibus & rudibus; ideoque non esse facili auditione credenda, quæ fatemur minus perfectè dicta, aut scripta.

Respondet: *Vide ne magis hæc fortior causa sit; cur illa non sit ullis coquinata mendaciis: mente simplici prædicta & ignorantia lenociniis ampliare.* Deinde his, qui nobis objiciunt ex occasione vulgatæ latinæ, in ea res obhitas solœcismis & barbarismis vitiorumque deformitate pollutas, addit: *Puerilis sanè & angusti pectoris reprehensio; quam si admittemus, ut vera sit; abjiciamus ex usibus nostris necesse est; quorundam fructuum genera; quod cum spinis nascantur, & purgamentis aliis, que nec alere nos possunt; nec tamen impediunt perfrui nos eo quod principiter antecedit, & saluberrimum voluit esse natura.*

Iam cum integritas vulgatæ ad ejus perfectiōnem spectet; de ea breviter hic duo proponenda sunt: alterum, an hæc ejus integritas excludat ab ea editione, quod mendoza non sit absolute? Et alterum; an importet quod nullus ejus locus possit idem esse depravatus in singulis codicibus. Igitur sit circa primum.

PROPOSITIO V.

CVm integritas latinæ vulgatæ per ejus perfectionem probetur; eò quod nihil potest esse perfectum, quod simul integrum non sit; certum est illam integratatem non impedire, quod sint aliqui codices mendosi; vel imperitiæ Typographorum, vel incuriâ, vel malitiâ, vel, &c. Istud evidenter infertur ex eo quod vulgata, de qua hic agitur, hoc est, ut contenta in codicibus, & usu Ecclesiæ, non potuerit conservari hactenus, nisi exscripta de codice in codicem, non secus ac facta sunt traductiones de lingua primigenia in alias: & codices illi sunt transumpti ac exemplati scriptione Amanuensium, vel Typographica editione. Constatque illos Scriptores & Typographos non fuisse speciali assistentia Spiritus - Sancti adiutores, ne errarent in scribendo, vel imprimendo. Vnde necessariò fatendum est, plures irreplisse in eam errores vitio illorum; ut communiter contingit in aliis editionibus quibuscumque. Quas editiones ista in eo non excedit, carent omni privilegio quantum ad istud. Confirmatur; tūm experimento, quo constat versionem istam correctione & emendatione indiguisse; quam diximus ultimò obtinuisse à Clem. VIII. Tūm etiam, quia, ut communiter afferitur, (nec nos contradicimus:) plura sunt, quæ annotarunt hactenus, & adhuc annotant viri docti; quæ possent alio modo exprimi; si Ecclesia sic judicaret faciendum: & quia errores illi sunt scriptio[n]is, jure dicuntur contigisse Librariorum, vel Amanuensium imperitiæ, negligentiâ, vel malitiâ.

PROPOSITIO VI.

Asserendum tamen est ex occasione hujus integratatis, circa secundum quæsitum de ipsa, sic esse integrum nostram Vulgatam Latinam, ut nullus locus ejusdem scripturæ sit depravatus in omnibus ejus codicibus. Sic sentiunt Abul. Duval. Grau. contra Cajet. Canum, Marian, &c. Sic docet S. Aug. lib. 11. contr. Faust. cap. 2. ubi recenset, Manichæos, dum urge-rentur nimium auctoritatibus Scripturæ Sacré, non aliter respondisse; quam locos illos fuisse falsatos: quod dici non posse idem demonstrat ibid. lib. 22. cap. 16. Tum quia, inquit, si loci illi falsati fuisse, maxime à Manichæis, qui tamen id præstare non potuerunt: quatenus ex lectione vetustiorum exemplariorum plane con-victi fuisse: Tum etiam, quia, ut addit idem, erant illi sacri codices præ manibus omnium Christianorum ubique gentium. Idecirco facile fuisset, ex diversis variarum regionum codicibus omnem dubitationem expellere; si quæ fuisset in judicando de illis: præferendo plures paucioribus, vetustiores recentioribus: ut docuerat libro citato idem S. August. vel linguam consulendo, ex qua est facta translatio. Totum istud his verbis concludens: *Quæ auctoritas literarum aperiri posset? qui sacer liber evolvi?* *Quod documentum cujuslibet scripture exeri?* si hac vox admititur: ponderis aliquius existimat-
tur; hoc ejus est: hoc non est ejus?

Hæc autem verba rationes continent nostræ propositionis. Nam 1. si posset esse falsatio uni-versalis codicum vulgatæ editionis; ita ut unus locus esset falsatus & corruptus in omnibus &

singulis codicibus; rueret plane Scripturæ auctoritas, ut per se patet. 2. Quia Scriptura non est nisi in codicibus sacris, tamquam in subjecto secundario: Vnde sequitur; si aliquis ejus locus corruptus & falsatus esset in omnibus; scripturam ipsam non posse dici, nec esse verè perfectam integrum & authenticam. Quod est grave omnino inconveniens: sive quia sic nulla esset scriptura integra & authenticæ, ut notum est; sive quia de Ecclesia dici posset, errasse ipsam in definiendo & declarando; quod hæc sit authenticæ. Præter quam quod posset idem dubium esse de locis omnibus & singulis; cum non sit major ratio de uno, quam de alio, &c. 3. Quia pertinuit ad suavitatem providentiae divinæ; ut esset illa editio sic integra in locis omnibus; per quos ut integros & incorruptos emendantur, qui in aliquibus corrupti aut falsati essent: igitur impossibile est, quod ullus locus Scripturæ sit in singulis codicibus corruptus ac vitiatus.

Confirmatur quibusdam paritatibus: Præcipua est, quæ ex eo sumitur; quod sicut quamvis assistentia Spiritus-Sancti non sit determinata ad electionem illius vel illius prælati in particulari; de fide tamen est Ecclesiam non posse carere veris prælatis canonice electis. Ita similiter licet ille, vel ille scriptor, aut Typographus non habeat assistentiam Spiritus-Sancti sibi determinatam, possitque consequenter errare: illa tamen assistentia vagè, & indefinitè, Ecclesia non decet; quam impeditur ne locus aliquis Vulgatae Latinæ, quæ est sola authenticæ, eo quo diximus modo; sit corruptus & depravatus in omnibus. Altera paritas est: quod sicut Ecclesiæ particulares possunt errare; non autem Ecclesia universalis: (intellige etiam de

militante , quæ est viva fidei regula quoad nos ; Hæc enim discernit ac determinat per modum proponentis , quid de fide , & quid de fide non sit . ~~Non~~ etiam fieri potest ut codices aliquiloco habent corruptos & depravatos : non autem quod non sint codices , in quibus est locus incorruptus , qui est in aliis corruptus ; alioqui desiceret omnino Scriptura . Quod dici nec potest , nec debet .

PROPOSITIO VII.

EX his sequitur evidenter ; nullam fuisse ex illis editionibus latinis vulgatis , quæ erant tot mendis refertæ ante ultimam correctionem ; quæ non potuerit ad fidem pristinam restituiri per ea principia , quæ in Ecclesia supersunt . Sunt autem tria hæc 1. est collectio exemplarium diversorum ; quatenus ut dictum est , impossibile est in tota collectione omnes & singulos esse corruptos : eandemque esse corruptionem & depravationem loci ejusdem in omnibus . 2. Est recursus ad exemplaria originalia seu fontalia . Et 3. ratio , quâ ex antecedentibus & consequentibus ponderatis error sensu deprehenditur . Quæ debent omnia simul concurrere ad perfectam emendationem ; primum præcipue : propter rationem jam dictam . Originalis verò textus , ad quem recurri necesse est , non sufficit solus ; eo quod integer non sit , aut authenticus : neque etiam sola ratio , seu disquisitio antecedentium & consequentium ; quia illicitum est , lectionem sacram mutare propter apparentem contradictionem . Secura autem lectio est , si quæ saeculis omnibus , & in omnibus codicibus reperiatur . Si quando verò cum lectione latini

codicis originalis Scriptura ratioque convenient; nemo inficiabitur; tunc per unum plures posse corrigi, non autem per solam lectionem communiorum præcisè. Licet quod communius est; debeat ut plurimum anteponi minus communi: & quod antiquius est, recentiori. Idecirco cum in correctione vulgaræ haec cuncta observata sint: consequens est, illam esse parissimam & integerrimam: nec posse doctorem privatum ei aliquid addere, detrahere, vel mutare, nisi solos defectas Librariorum, ac Typographorum; qui tamen non tollunt ab ea integratatem, de qua hic agitur. Ad quam quia adhuc pertinet divisio arithmeticæ Scripturæ in suas partes, ut per se notum est: hac subjecta inquisitione pertractatur, ejusque responsionibus.

PROPOSITIO VIII.

SI quæras quid dicendum sit de divisione arithmeticæ Latinæ Vulgatae, in libros, capitulo & versiculos, de qua alii fusiūs differant.

Respon. 1. nulli dubium esse posse, fuisse ab initio divisionem librorum bibliorum cum suis titulis, ut manifestè habetur Acto. 3. ubi citatur liber Psalm. ut distinctus à cæteris libris bibliis: & cap. 15. dicitur: *Sicut in Psalmo secundo scriptum est: & Lucæ 24. Necesse est impleri omnia, que scripta sunt in lege Moysi & Prophetis, & Psalmis de me.* Ex quibus habent libros illos tunc fuisse distinctos inter se, & iis titulis notatos.

Respon. 2. non esse improbabile libros sacros Testamenti Veteris, non solum titulis, sed etiam capitibus & versiculis fuisse distinctos, sicutem aliquo spatio & intervallo, ut observat

Torniellus : Tum , quia nemo æstimabit libros sacros fuisse confusos & inordinatos : tum , quia testis est S. Hieron. & quidem omni exceptione major in præf. Paralyp. ad lectorum commodum , in sua translatione servasse easdem commatum incisiones & intervallorum distantias. Quare quando asserunt Rabbini totam legem fuisse olim quasi Pasuch , hoc est , sententiam unam ; explicandum illud est de distinctione per notas arithmeticas , aut voces numerales. Quod tamen negari non potest de Threnis & Psalmis.

Respon. 3. arithmeticam capitum & versuum distinctionem in bibliis saeris non fuisse ab initio ; præterquam Psalmorum & Threnorum , hoc est , Lamentationum Ieremiæ : immò nec plusquam à quingentis annis : ut ex eo manifestum est ; quod neque apud Hebræos neque apud Græcos , inveniatur locus numeratim citatus : bñè autem fuisse illam distinctionem saltem librorum & capitum , in nova nostra vulgata , saltem à temporibus Sancti Hieronymi , qui libris singulis & capitibus præfixit quas habent præfatiunculas ; quæ , ut patet , non sunt , sicut neque tituli , aut numeri de corpore scripturarum. Distinctiones , quæ jam apponuntur in Hebræis & Græcis codicibus , mutuati sunt auctores illi à nostra vulgata latina. Antiquiores Expositores Scripturas dividebant vel per citationes seu allegationes Historiarum ; vel per locos , seu periodos , versus , sententias , &c. ut videre est in Aug. qui testatur se scripsisse capita duodecim expositionum super Genesim , à principio ad expulsionem primorum parentum. In Greg. Magn. qui asserit scripsisse se à principio libri Regum ad unctionem Davidis , &c.

Ex quibus infers hallucinatum· fuisse hic Genibardum ; qui recentiorem voluit esse hanc divisionem ac distinctionem ; & Hugoni Cardinali attribuit , quem putant plerique concordantias bibliorum excogitasse. Sed melius alii prius inventas ampliasse ; & ad formam melioram adduxisse.

Resp. 4. Versum distinctionem in bibliis sacris à quo tempore inventa est , aliam fuisse apud Iudeos ; aliam apud Græcos & Latinos. Isti enim in uno versu sex dictiones includunt ; ut ostendit S. Aug. lib. de specul. divin. script. exemplo deducto , ex illo Psal. 99. *Populus ejus & oves Paschæ ejus.* Ita ut unus dicatur versus & simplex , si contineat sex dictiones ; duplex , si duodecim ; triplex , si decem & octo , &c. Et eo sensu intelligi debet mensura priscomum ; quā significabant amplitudinem voluminum ; ut advertit Sixt. Senens. & sic dicit S. Hieron. de Origene , istum scripsisse in Canticum Cantorum versus ferè viginti mille , &c. Iudei autem non attendunt numerum dictiomum ; neque commata orationis , sed veterem aliquam consuetudinem : ideoque apud eos versus ferè omnes sunt inæquales.

Resp. 5. Cum Evangelia aliqui antiquiores divisorint Matth. in 355. capita : Marci in capita 235. Lucæ in capita 345. & Ioannis in capita 332. ab anno millesimo , tam Græcos , quam Latinos in partes pauciores divisisse : quas aliquando titulos , aliquando capitula vocabant : & numeratim distinguebant. Sed una illarum est nostro respectu antiquior ; quā Matthei Evangelium distribuitur in capita 94. Luc. in capita 107. &c. Recentior est , quā fit distributio in capita pauciora ; de qua partibus

ARTICULUS IV.

*De auctoritate authentica Vulgatae, ejusque
prælatione supra cæteras versiones.*

PROPOSITIO I.

PRO certo habendum est, editionem Latinæ Vulgatae, quæ utitur Ecclesia, esse veram & canonicam Scripturam Sacram; ac proinde authenticam maximè, & infallibilis auctoritatis. Istud ac fide est; cum sit ab Ecclesia definitum in Decreto Trid. sess. 4. ubi legitur: *Vulgata editio in publicis lectionibus, disputationibus, predicationibus & expositionibus, pro authentica habeatur.* Hoc firmissimo clypeo retunduntur omnes in hoc Lutheranorum & Calvinistarum levissimæ ac frustaneæ reclamationes. Et certè cum universalis Ecclesia in hoc Concilio verè oecumenico congregata, hanc versionem, ut veram Scripturam ac canonicam suscepere, judicaverit, approbaverit, & omnibus fidelibus declaraverit, hoc suo Decreto: cum ipsa sit *columna & firmamentum veritatis*; lumine Spiritus-Sancti illustrata, & assidue ducta; quis nisi Hæreticus & à fide Apostata præsumat contrarium opinari: vel de ejus auctoritate authentica, & omnino infallibili dubitare: aut alteri idem attribuere; usumque ejus in Ecclesia, ad aliam quam-

cumque editionem extendere : quæ per decre-
tam istud remanent cæteræ omnes exclusæ , de
quibus idem non asseritur : nisi sint illi perfectè
conformes ; ita ut hæc sit norma & regula ve-
ritatis, integritatis & perfectionis cæterarum.

PROPOSITIO II.

Quod jure optimo ab Ecclesia sic factum ,
nemo fidelis ac pius dubitat. Etenim
cum post defectum primorum exemplarium ;
corrupti tunc essent ac depravati Hebræi Codic-
ces ob Iudeorum perfidiam in Christum : &
Græci post tot Hæreses & Schismata illorum :
solique Latini Scripturam continerent , quam-
vis multis mendis scatentem , & quibusdam
corruptionibus ac depravationibus ; non utique
omni modo , ut dictum est ; sed eo sensu , ut
nullus locus esset in omnibus & singulis corrup-
tus ac depravatus : non potuit nisi hanc Vulga-
gatam feligere , quæ post correctionem & emen-
dationem esset regula fidei & morum pro omni-
bus fidelibus , quibus necessariam esse illam re-
gulam satis ex se perspicuum est. Et sanè hæc
est , quæ usq[ue] est Ecclesia à longissimo tempore ,
ut præcisa ab illis maculis. In quo Ecclesia ipsa
Spiritu - Sancto ducta non potuit decipi. Hæc
ipsa est , iterum dicam , quam partim ex puris-
simis fontibus vertit S. Hier. partim emendavit
à mendis , quæ in eam irrepserant , ut præter
ea quæ supra diximus , testes sunt plures sanc-
torum Patrum : Aug. qui lib. 18. de Civit. di-
cit : Non de fuit temporibus nostris Presbyter ,
Hieronymus , homo doctissimus , trium linguarum
peritissimus , qui ex Hebreo in Latinum divinas
scripturas convertit : cuius tantum litterarum

laborem Hebrei testantur esse veracem. Sandus Gregor. qui lib. 20. Moral. cap. 24. ait: *Quia hæc nova translatio ex Hebreo nobis eloquio, cuncta verius transfudiſe prohibetur; credendum est quidquid in ea dicitur, &c.* Sanctus Isid. qui, lib. 6. Ethim. cap. 5. habet: *Presbyter Hieron. trium linguarum peritissimus, ex Hebreo in latinum eloquium divinas scripturas convertit, eloquenterque transudit, cuius interpretatio cæteris anteponitur.* Idem sensere quotquot Sancti Patres de hoc post illos scripsere. Immò præter testimonium Platinae in vita Sancti Damasi: ubi assertit hunc summum & sanctum Pontificum voluisse tunc illam versionem dare in usum Ecclesiæ communem; quod postea factum est: *Sanctus Hieronymus ipse in præf. testes advocat Hebreos de veritate suæ versionis: suosque ad illos reprehensores provocat: testaturque lib. de vir. illustr. & lib. 2. contr. Russin. Græcos quædam volumina, quæ ipse ex Hebreo in Latinum verterat; ex Latino in Græcum traduxisse.* Ex quibus manifestum est, quo jure Ecclesia ex omnibus aliis editionibus selegerit vulgatam latinam Hieronymianam præ cæteris: quam ut authenticam declaraverit, & præstiterit, ut à mendis omnibus purgaretur; ut factum esse ostendimus.

PROPOSITIO LII.

Nec putas à nobis hic asseri: quod Ecclesia universalis Scripturæ tribuerit auctoritatem authenticam, & supremæ infallibilitatis, quam illa non haberet in se; cum tamen sit verum Dei verbum scriptum, ut toties diximus: vel quod penes Ecclesiæ potestatem sit,

aliquid illi vel addere vel detrahere vel mutare, istud enim falsum esset sanè & implicitorum sibi mente effigere. Hic solùm asseritur Ecclesiastis sua illa approbatione, certum fidelibus facere, quod illud & non aliud sit verè verbum Dei ac scriptura; illique fidem esse adhibendam: ac proinde potuisse illam scripturam certam facere quoad nos; ratione assentientiae perpetuae ac infallibilis Spiritus - Sancti, quam ei Christus promisit, Ioan. 15. ubi de Spiritu Sancto loquens, dicit se daturum illum Paracletum alterum, ut maneat vobiscum; *Ille vos docebit omnia, & suggesteret vobis omnia*, &c. non secùs ac Cancellarius, & qui Pontifici vel Regi à secretis est, certa facit quoad nos, diplomata pontifícia & regia. Ab aliis Hæreticorum objectionibus abstineo: quæ certè levissimæ yisæ sunt.

PROPOSITIO IV.

Verum quis ferat interim impudentissimam Kemnitii calumniam in hac parte? qui asserere non erubuit Vulgatam Latinam non alio fine fuisse transformatam; quam ad statuenda dogmata pontificia, ipsumque Concilium Trident. eam declarando authenticam, eosensu quo dictum est, decrevisse; ut pro his quæ Spiritus-Sanctus dictaverat in fontibus Hebræis & Græcis, ea recipiantur à fidelibus, quæ à Librariis mutuata vel mutilata sunt vel addita. Menita est certè hic iniquitas sibi. Eténim cum hæc nostra vulgata sit omnino eadem, cum ea quam partim traduxit, partim correxit S. Hieron. præcisus illis mendis ac Libratorum aut Typographorum erroribus: quibus nihil

obstantibus Scriptura Dei providentiâ , in ea
versione conservata est in te incorrupta ; & quâ
usa est à tot sâculis Ecclesia ; quomodo potuit
ipsa transformari , ad statuenda dogmata ponti-
ficia , quæ nec ipse , nec sibi similes , au-
tent ad tempora illa referre . Vnde hunc Hæreticen
acutissimè uiget Cardin. Bellarm. Si enim ,
inquit , transformata est Latina Vulgata , quam
constat à S. Hieron. ante undecim sâcula tra-
ductam ad statuenda dogmata pontificia ; fue-
runt igitur illis temporibus hæc dogmata : ideo-
que sunt antiquissima : & quæ illis opponuntur ,
utpote Hæreticorum , nova ac recentia . At istud
neque Kemnitius , nec cæteri Sectarii admittent :
nisi se novatores esse fateantur . Si vero tûm
ille , tûm alii , contendant in vulgata nostra esse
plures errores , ut absque dubio appellant ea
quæ ab ipsis mutuata dicuntur , & mutilata à Li-
brariis & Typographis ; instat idem Cardinalis ,
& sapienter advertit in illo adversario meram
principii petitionem : dum errores appellat ,
quæ suis Hæreticis dogmatibus opponuntur ; &
nos catholicas veritates esse contendimus ; veri
errores sunt , qui supra numerum deprehenduntur ,
in eorum versionibus ; in nova translatione No-
vi Testamenti per Lutherum ; mille arguuntur
immutata loca , etiam ab aliis Hæreticis , vel
addita vel detracta . Nec certè Sectarii omnes
in nostram Vulgatam invehuntur ; multi verita-
te ejus , integritate , ac perfectione , planè con-
victi ; ut Pelicanus , Besa , Molinæus , &c. eam ,
ut decet , laudibus cumulant .



PROPOSITIO V.

Quod autem Vulgata Latina sit sola authentica assertivè, licet ex jam dictis manifestum sit; ut potè, quatenus de nulla editione alia Ecclesia id declareret: satis superque confirmant corruptio & depravatio cæterarum editionum; perfectioque ac integritas vulgatæ latinæ: quas art. præced. tractavimus: & de corruptione ac depravatione aliarum sufficienter ex eo probantur illæ: quòd Ecclesia ad solam latinam vulgatam declaravit esse recurrentum, tamquam ad normam fidei & morum: ac proinde tamquam ad cæterarum exemplar. Contra quæ non facit quod aliqui opponunt; nempe quòd debeat etiam Ecclesia græca habere suam versionem; enjus usus penes ipsam sit: Id enim non prohibetur per nostram sententiam, ut patet: potuit namque nostra Latina Vulgata post correctionem & emendationem suam græcè traduci; quæ si sit nostræ conformis, erit planè infallibilis autoritatis: poteritque Ecclesia usum ejus permittere in divinis Officiis, Lectionibus, Prædicationibus, &c. ut permittere notum est iis qui Romanæ Ecclesiæ subsunt. Idem dic de Hebraica, Caldaica, &c. quibus non tollitur; quòd vulgata nostra sit una authentica quasi originaliter: eò quòd aliæ instantium habeant auctoritatis, inquantum illi conformes sunt: & instantium corruptiones & depravationes annotentur in illis, inquantum deviant ab ea, ut diximus.

PROPOSITIO VI.

Hinc habet nostra vulgata, quod contineat infallibilem veritatem, & sensum quem spiritus Sanctus intendit in omnibus & singulis partibus suis, quantumvis minimis & utique non minus quam Scriptura originalis: quidquid in contrarium asserat Vega, lib. 15. in Concil. Trid. cap. 9. ubi fatetur quidem contra Haereticos nostram vulgatam authenticam esse, eo modo quo diximus, in his quae pertinent ad fidei dogmata & mores; eo sensu, ut nullum dogma hujusmodi contineat in fide aut moribus perniciosum; sed contendit in aliis minoris momenti, puta narrationibus, exemplis, &c. puram non esse.

Contra Veganum facit in primis historia, quam reffert Turrianus Congregationis Cardinalium, cui prae fuit Alciatus sub Gregorio XIII. Hanc coegerat Pontifex ille, ut responderetur quæstiōni propositæ ab aliquibus Doctoribus cuiusdam Accademiæ de sensu Canonis & decreti Concilii Trid. de Vulgata Latina; Doctoribus pollicentibus, se in eam ituros sententiam; quam Sancta Sedes decerneret amplectendam: responditque illa congregatio nihil posse assecurari, quod vulgatæ latinæ repugnet; etiamsi sola esset periodus, seu clausula, aut membrum, syllaba aut iota unum. Deinde quia ut evidens est: si posset aliquid vel minimum corruptum, aut depravatum admitti; perperam in illo decreto juberet Ecclesia usum vulgatæ latinæ in divinis Officiis, in dogmatibus Fidei, & morum proponendis. Ad istum enim partes illæ magis essent oppositæ, quam uti-

les bono fidelium : ut nemo negabit. Denique, quia sicut in fontibus è quibus est traducta latina vulgata , non debnit esse vel levius mendoſitas , aut corruptio , aut depravatio ; alioqui eſſet quoque in versione ipsis perfectè conformi : & ſi vel partes minimæ vulgatae eſſent mendosæ, nullus poſſet eſſe uſus ipsius in Ecclesia : quæ non potheſt nobis errores proponeſe , qui abſque dubio rejicerentur in ipsam , immò & in Spiritum - Sanctum : ſicut rejicerentur mendositates originalium , è quibus traducta eſt Vulgata Latina in Deum auctorem illorum.

Nec repondeas ; poſſe illos errores aut falſitatem eſſe ex incuria , vel negligentia , aut malitia Librariorum aut Typographorum ; cum de his hic non agatur ; ſed de his qui ſe tenerent ex parte Interpretis , vel authoris : nec negamus adhuc eſſe plures hujusmodi errores Librariorum. Quod ſi urgeas Ruffinum & S. Aug. hanc nostram vulgatam latinam reprehendiffe etiam ut correctam & emendatam à S. Hier. Resp. de Ruffino non eſſe mirum ; qui fuit hostis perpetuus S. Hier. ab Augustino verò nego fuiffe reprehensam , qui eam tamquam veracem laudavit , ut oſtenſum eſt. Solūm judicaverat iſte , tunc necessariam non fuiffe bono Eccleſia ; quām tamen eadem Eccleſia judicavit neceſſariam deinceps. Si demūm quis inſtet, multa eſſe loca in Latina Vulgata , quæ ab originalibus diſſident : Respondetur id eſſe falſum de diſſidentia inducente errorem , vel minimum illorum , de quibus hic agitur.

PROPOSITIO. VII.

AD cujus confirmationem sequentia advertenda sunt : quibus planè refellitur hæc instantia. 1. Multa sæpe incepè & impetrè in Vulgata reprehendi quasi discordantia ab originalibus ; cum tamen nec discordent , nec potuerint verti fideliūs ; ut patebit ex dicendis in partibus sequentibus , ubi de libris biblicis in particulari. 2. Dissensum illum , si quis aliquando videatur , non esse in sensu , licet ejus conformitas ab omnibus minimè percipiatur : sed solum in verbis. 3. Dato quòd sensus Vulgaris & fontium , utpote Hebraici textus & Graeci , sint aliquando diversi ; id non arguere contrarietatem inter illos : sed multiplicatatem solum provenientem ab ubertate significacionum. Ideoque nihil mirum est ; si interpres unum ex sensibus alteri prætulerit. 4. Ex illis defectibus , qui Vulgatae tribuuntur , comparatae cum originalibus ; plures esse puræ negationis ; quatenus desunt aliqua verba vel sententiae , quæ ad sacrum Textum pertinebant ; quæ cum nec falsitatem inducant , nec vitient Textum sacrum , auctoritati Vulgatae nostræ nihil detrahunt : non secùs ac defectus partium , quæ à Scriptura exciderunt ; Scripturam hanc non diminuit ; cum Deus voluerit ipsum sic esse , & quòd partes illæ solùm citatæ remanerent in aliis partibus residuis. 5. Quia specierum vocabula apud Hebræos sunt incerta ; idecirco interpretem potuisse aliquando genus pro specie ; & aliquando unam speciem pro alia ponere. Etenim quando vox originalis Textus est dubia ; satis est si transferatur aliquid , quod sit simile signi-

sicato ejus ; dummodo non varietur sensus , ut non variari ostendimus circa arbores , animalia , &c. 6. Vulgatum Interpretem sententias textus originalis expressisse aliquando magis sensum sensu quam verbum verbo reddendo ; eò quod voces & motus idiomatum non possint in similia verba transferri. Istudque sit ad tollendam aequivocationem & amphibologiam , sive verba restringendo , sive ampliando , sive etiam addendo verba , quæ non sunt formaliter in originali ; sed solum aequivalenter. Et hoc est quod intendit decretum Trident. quando jubet Vulgatam suscipi cum omnibus partibus suis , prout in Ecclesia Catholica libri Canonici legi consueverunt , v. g. Exod. 2. desunt hæc verba in Hebreo , quæ etiam apud Septuaginta omissa sunt : ut potè . Alterum ve- ro peperit , quem vocavit Elieser , dicens Deus enim patris mei , adjutor meus , & eripuit me de manu Pharaonis . Contextus enim ea requiri- bat cum constet ex cap. 4. non unum , sed plures fuisse Moysi filios , quorum nativitas re- latur cap. 18.

PROPOSITIO VIII.

CVM ex dictis hactenùs constet , non solum prælatam esse Vulgatam nostram cæteris quibuscumque editionibus ; sed etiam solum nunc temporis authenticam , & fidei ac morum regulam modo prædicto propter rationem al- latam ; non utique expressè & directè , ut par- ret ex verbis decreti ipsius. Duæ sunt optimæ congruentiæ , quæ manifestant hanc proposi- nem nostram : Prima ; quia cum sit perfecta connexio veritatis Scripturæ & certitudinis fæ-

dei ; scripturæ Textus Authenticus semper co-
mitatus est veræ Ecclesiæ ac gentis integratatem
in fide. Ideoque sicut dicitur; ut solus populus Iu-
dæorum haberet scripturam authenticam ; quan-
diu apud eos vera fuit fides , & Synagoga : quæ
deficiente fides Christi ad Gentiles conversos
pervenit : fuit quoque tunc apud istos scriptu-
ra authentica ; & quidem in lingua Græca , quæ
erat apud Gentes communis. Vnde in ipsa Ec-
clesia Christi Græci primò habuerunt Scriptu-
ram authenticam , utpote Veteris testamenti
Græcam versionem à Septuaginta ; quæ facta
est etiam ante Christi adventum : & Novi Tes-
tamenti ipsos primos fontes ut dictum est. Con-
sequens certè fuit : ut demum Ecclesia Latina,
quæ est Sedes Petri , & Magistra omnium Ec-
clesiarum ; ubi fides Christi est perpetuò man-
sura juxta promissum Christi ; jam ultima ha-
beret scripturam authenticam in sua lingua la-
tina : maxime post Schisma Græcorum. Secun-
da est ; quod cum jam lingua Hebræa & Græ-
ca non sint æquè communes ac Latina ; recte à
Deo provisum est , ne Latini Scripturas à Græ-
cis Schismaticis pro majori parte ; aut à Rab-
binis hostibus Ecclesiæ infensissimis mutuaren-
tur : sed haberet Ecclesia Latina scripturam au-
thenticam suo idiomate.

P R O P O S I T I O I X.

Per quod non tollitur , quin possit reperi-
tus hebræa aut Græca editio , quæ veram scrip-
turam contineat ; si tamen sit perfectè confor-
mis editioni Vulgatae , quam Ecclesia ut authen-
ticam & solam declaravit ; præcipue , quia , ut
liximus , corruptæ ac depravatæ sunt à multo

tempore Hebraica & Græca ; qua fuerunt olim originalia exemplaria & fontes , quandiu in sua paritate permanserunt. Ex quibus vides , convinci falsitatis Calvinum ; dum dicit per Decretum citatum rejici Codices Hebræos & Græcos. Quod verum quidem est de corruptis & depravatis : falsum autem de illis , si qui permanerunt incorrupti : vel de his qui purgati & emendati sunt deinceps , si qui sunt hujusmodi. Ex quibus discis Vulgatam nostram non debuisse corrigi & emendari per originalia Hebræa & Græca , ut nunc sunt : utpotè corrupta & depravata.

PROPOSITIO X.

Sed hæc Vulgatæ Latinæ prælatio & declaratio ejusdem pro authentica scriptura & fidei ac morum regula ; non impedit , quominus possint conferri loca difficultiora & obscuriora Vulgatæ cum originalibus hebræis & græcis , in his utique partibus , quas certum est , non esse corruptas : atque ideo posse Vulgatam hoc modo corrigi & emendari mutuâ illâ comparatione , quæ non dat , ut per se patet , aliquam auctoritatem illis originalibus , supra Vulgatam nostram ; ut manifestum est ex his quæ hactenùs diximus , sed quia multa ex hoc subsequuntur commoda & utilitates fidelibus.

Prima est : Quia per hunc recursum tolluntur ambiguitates verborum , quæ sèpè continentur in ipsis nominibus ; confundendo adjективum cum substantivo ; unum casum cum alio ; genus cum genere , &c. in ipsa Latina Vulgata : quæ in ea dissolvuntur ex inspectione Hebreorum aut Græcorum fontium : v. g. Pro-

verb. xi. habetur: *Circulus aureus in naribus suis mulier pulchra;* ex Hebræa discitur *suis*, non esse ablativum pluralem pronominis *suis*: sed esse genitivum nominis *sus*. Quando Matth. 3. legitur; *Potens est Deus suscitare filios Abraham;* docet Textus Hebræus Abraham esse in dative, non autem in genitivo. Ioan. 7. ubi dicitur: *Tempus meum nondum advenit;* habetur ex Græco verbum illud, non esse temporis præteriti, sed præsentis.

Secunda est: Quod per recursum ad textus originales energia & proprietas orationis medius penetrantur. Sic ubi Vulgata habet Exod. 1. *Edificavit illis domos;* Textus Hebræus importat fœcunditatem, & filiorum copiam. Psal. 38. *Ecce mensurabiles posuisti dies meos;* Textus Hebræus indicat mensuram brevissimam, nempe quatuor digitorum.

Tertia: Quia per hanc inspectionem emendantur aliqui Librariorum errores, qui in Vulgata contigere. Sic quia aliqui Latini Codices legebant aliquando Ecclesiastici 45. dedit illi *cor ad præcepta;* ex inspectione Textus Græci legitur jam, dedit illi *coram præcepta.*

Quarta: Quia quando Latini Codices variant, non potest aptius firmari; quæ lectio sit alteri præferenda, quam per recursum ad fontes, quæ parte incorrupti sunt. Sic quia Tobiae 5. vers. 6. aliquæ versiones latinæ habent: *quibus ante iu-raverat;* ut ostenderet illis terram, lacte & melle manantem: Vulgata habet; *ut non ostenderet;* eo quod in Hebræo constanter legitur particula *non.*

Quinta: Quia multa nomina hebraica & græca de industria in Latina Vulgata relicta sunt, antiquitatis sanctioris reverentiâ: qualia sunt,

v.g. *Alleluya*, *Hosanna*, *Abba*, *Encania*, *Nemonia*, *Parascere*, &c. quæ ut intelligantur & explicentur, recurri necesse est ad Textus Hebraicos & Græcos, ut docet S. Aug. lib. 34 de Doct. Christ.

Sexta : Quatenus voces hebraicæ & græcæ habent diversas significationes ; ut patet ex illo Isa. 5. *Expectavi ut ficeret uvas* : *fecit autem labruscas* : *cujus loco vertunt Septuaginta* : *fecit autem spinas*. Et Ioan. 29. *Videbunt in quem transfixerunt* : *pro quo etiam vertitur* , *in quem insultaverunt*. Constat tunc recurrendum ad fontes illos ; ut magis propria lectione latina eruatur.

Septima : Quia cum Hebræi & Græci habeant suos idiotismos & adagia ; ex studio & inspectione textuum illorum intelliguntur quæ vix intelligi potuissent. Sic quando Ioan. 1. legitur, *gratiam pro gratia* , intelligitur omnis gratia eō quod sit Hebræus idiotismus. Ut adhuc colligitur ex illo Iob. 1. ubi legitur : *pellem pro pelle dabit homo* : quo ut patet, significatur *omnis pellis*. Sic discimus idem esse, filii dilectionis : (quæ est phrasis hebræa :) ac filii dilecti.

Octava : Quia sèpè fit, ut vox hebræa vel græca, lusum præbeant, qui nequit in aliena lingua servari, immo nec intelligi ; nisi per hunc recursum, v.g. vox *soced.* *nucem*, & *vigilias* significat ; vertit Vulgatus Interpres Item. 1. *virgam vigilantem* : non autem *nucem* ut per priorem lectionem esset major connexio cum sequentibus. Nam ibidem Deus inducitur sic respondens Prophetæ : *benè vidisti, quia vigilabo ego super verbo meo.*

Nona : Quia etiam per textus vitiosos &

corruptos malæ fidei convincuntur Iudæi , & Græci Schismatici ; dum per eos deteguntur falsitates ipsorum , ut patet de Iudæis , Psal. 91. ubi legendum est , ut legitur in Vulgata ; *Dominus regnavit à ligno* : cum tamen hanc partitulam , utpote à ligno , Iudæi abraserint , ad tollendam Fidem mysterii Crucis. Idem dic de Hæreticis ; qui cum jactent se suas versiones ex fontibus confecisse ad suos errores confirmados : ad ipsos fontes provocandi sunt : ut eorum falsitates detegantur. Sic quando pro eo quod habet Vulgata nostra , Psalm. 118. Inclinavi cor meum ad faciendas justifications tuas , propter retributionem : verterunt illi in finem loco , propter retributionem : ad tollendum meritum bonorum operum , ut convincuntur per textus hebræos & græcos. Similiter eos convincimus verum sacrificium in Ecclesia remansisse ; quod est sacrificium *Missæ* , ostendendo in textu græco haberi græcè , Lytourgordon quod significatur sacrificantibus , Act. 13. ut vertit Erasmus ; quamvis communis versio habeat ministeriantibus , posito genere pro specie ministerii.

Decima est convictio simul & consolatio doctissimorum de fidelitate latinæ nostræ vulgatae ; dum istam deprehendunt fidelissimè expresisse , quæ incorrupta habentur in ipsis originalibus hebræis & græcis.

Ex quibus inferendum est , quoties aliquid mendosi reperitur vel in ipsis textibus hebræis & græcis , aut contrarium nostræ Vulgatae , aut contradictorium in aliis versionibus quibuscumque esse prorsus rejiciendum : si vero quod in ipsis succurrit , sit solum diversum ; istudque compatiatur textus originalis , quæ parte mendosus non est : admitti potest ut

habens probabilem sensum : si autem ē contra non sit conforme illi originali , relegandu est planè tamquam extraneus . Quòd si aliqua consueto relicta sunt in Romanis correctionibus Vulgata , de quibus suprà ut minùs clara , minùsque elegantia , sicut aliquando succurrunt ; nemo privatus audeat aliquid mutare ; sed si sit vir doctus , poterit adnotare & iudicio Ecclesiæ remittere : ut tali annotatione utatur aliquando ipsa ; si novam editionem velit instituere ; prout judicaverit . Si quidem Scripturam interpretari , vertere , aut corrigere donum est Spiritus - Sancti , non concessum singulis : sed solum perfectè fidelibus , & in sacra doctrina maximè exercitatis ac versatissimis , agentibus ex legitima auctoritate superiorum in Ecclesia , ut docet exemplum S. Hier . qui cum esset æquè sanctus ac doctus : & de quo Ecclesia ipsa testatur Deum suā providentiā sibi eundem providisse ut doctorem maximum in scripturis exponendis , ut dictum est : eas tamem latinè non vertit , aut de novo , correxit ; nisi auctoritate & iussu Damasi Summi Pontificis .





QUÆSTIO VII.

*De aliis editionibus Scripturæ particu-
laribus & famosioribus.*

AD HVC ad causam materialem Scripturæ pertinet quæstio de editionibus cæteris, maximè de famosioribus particularibus & de singularibus hic pertractare, quæ necessaria sunt ad notitiam singularium. Idcirco de his inquiritur articulis sequentibus. In 1. De editione Hebraïca. In 2. De Chaldaïca. In 3. De Syriaca. In 4. De versione Samaritana. In 5. De Arabica. Et quia versiones Græcæ multæ fuerunt, quarum maximè celebris est quæ dicitur Septuaginta Interpretum; in 6. inquiretur de græcis versionibus communioribus. In 7. De hac versione Septuaginta Interpretum; de qua plura differenda sunt. In 8. Denique de præcipuis Latinis versionibus ultra Vulgatam: de qua sufficienter dictum est quæstione præcedenti.



ARTICULUS I.

De editione Hebraica.

PROPOSITIO I.

HE BRAÏCA editio appellantur illi libri Biblici, qui hebraicè primum scripti sunt; vel etiam chaldaicè aut syriacè: quatenus duæ istæ linguae, quæ ab hebraicâ ortæ sunt, ad ipsam reducuntur. Hæc autem fuit authentica à quo tempore scripta est: & quandiu sancta & sana fuit Synagoga Iudæorum, ubi verus Deus solùm agnoscetur, & excolebatur. Hujus editionis fuere transumpta innumera propemodum. Nec dubitandum est, quod saltem in schismate Samaritanorum à Iudeis corrupta sit aliquando: vel etiam propter diversas captivitates, in quibus sic corruptam diximus, ut opera Esdræ indigerit ad eam corrigendam ex inspiratione & directione Spiritus-Sancti, qui auctor ejus est. Et neque etiam ambigitur, malitia Iudæorum, maximè post Christi tempora; ne de sua obstinatione arguerentur, corruptam & depravatam esse in multis suis partibus; præsertim ubi de Christi adventu, & mysteriis ejusdem clarè aliqua erant prænuntiata; quæ impleta fuisse demonstrantur. Illius autem non potuit esse translatio de hebræo idiomate in hebreum: benè autem ejus partium, quæ primitus scriptæ sunt chaldaicæ vel syriacæ: sed totaliter in-

linguas alienas, ut evidens est de ipsa versione
græca septuaginta Interpretum.

PROPOSITIO II.

DE hac hebraica conveniunt Doctores, ut nunc est, & ad manus nostras pervenit, multis locis & partibus corruptam esse ac depravatam. Quod mirum non est, cum non sit amplius scriptura authentica & fidei morumque norma, sed sola Vulgata. Ex quo non tollitur, quod possit recurri ad textum ejus fontalem, quâ parte incorrupta est; propter ea quæ dicta sunt. Nec quod possint Hebræi Codices dici veram scripturam continere: si à nostra Vulgata in nullo discordent aut illi disconveniant. Est adhuc alia ratio, seu argumentum hujusce depravationis: quod scilicet Indæi libros aliquos sacros & canonicos, qui ab Ecclesia ut tales suscipiuntur; excludant à Canone Scripturarum; & ex hoc vera & canonica Scriptura dici nec potest nec debet hac hebraica editio.

Objiciunt qui contra sentiunt: Scriptura non habet ab Ecclesia auctoritatem; sed à Spiritu-Sancto, qui est auctor ejus principialis. Quomodo igitur editio hebraica, quæ est à Spiritu-Sancto, negari poterit esse nunc canonica ac prorsus authentica?

Respondeo hanc editionem habuisse quidem quod fuerit canonica & authentica; quandiu fuit incorrupta, & minimè depravata; pro toto illo tempore quo Deus voluit illam sic esse. Addo insuper scripturam non habere quidem ab Ecclesia auctoritatem primariam & quoad se, sed à Spiritu-Sancto: bene autem secundariam

& quoad nos : propter rationem supra-dic-tam.

Vrgent : Ecclesia decrevit, ut omnes novæ translationes tempore sancti Hieronimi emen-darentur operâ ejus per Textum Hebraicum. Quomodo igitur potuit censeri editio hebraica non canonica aut non authentica ? Siquidem puri non possunt esse rivuli à fonte tur-bato.

Respondetur sic decretum ab Ecclesia , quo tempore hebraica editio non erat ut fuit deinceps tot erroribus inquinata : eò quod Ecclesia ipsa non definierat , quod definiuit nuper in Trid. nempè Vulgatam esse nunc solam au-thenticam. Ex quo planè solvitur instantia con-tra sententiam nostram hic allata.

PROPOSITIO III.

JAm si quæras : Quando facta fuerit hæc cor-
ruptio ac depravatio hebraicæ editionis : &
quæ fuerit causa hujus corruptionis ac deprava-tionis. Ad primum dico, incertum esse, quan-dò præcisè illæ incœperint. Ad secundum verò respon-dent communiter Doctores corruptionem illam & depravationem ortas esse. 1. Ex negli-
gentia seu incuria Scriptorum seu Librariorum ;
atque inscitiâ ; quatenus propter similitudinem
characterum facile decipi potuerunt. 2. Ob pu-ni-
torum multitudinem ; quæ cum minutissima
sint, ac vix possit unum distingui ab alio , sic
potuerunt variari dictiones , sententiæ , ac sensus:
non secus ac apud nos variatis vocalibus : unde
unum sit pro alio positum , immo aliquan-do contrarium. Et 3. est malitia & obstinatio
Iudeorum propter rationem allegatam supras;

quæ licet totum Textum non corruerint, Deo istud minime permittente, potuerunt tamen in locis pluribus illam corrumpere (sicut de facto corrupte :) & ubicumque hebræa editio cum nostra Vulgata non consentit. Quod olim Iudæis exprobrarunt multi Sancti Patres. 4. Denique negligentia ipsius Sinagogæ deficientis, aut plane emortuæ.

PROPOSITIO IV.

Non tamen putandum est Hebræos omnes Codices esse corruptos , saltem in omnibus partibus ; quia improbabile omnino est , Deum voluisse permettere hanc generalem corruptionem & depravationem in primis suis Scripturæ fontibus : idcirco alicujus immo & magna auctoritatis est hæc editio ; quamvis authenticæ jam amplius non sit : ut ad ipsam recurri liceat in prædictis occasionibus , ut dictum est. Adde quod omni probabilitate caret , voluisse Iudæos omnes Codices sacros corrumpere.

PROPOSITIO V.

Qvando autem facta sit ejus corruptio , quam nunc habet , in locis omnibus in quibus à Vulgata Latina discordat ; ac proinde post Christi adventum , valde incertum est . Nam illam fuisse puram & incorruptam temporibus Christi , & consequenter ante adventum ejus ; scilicet ex eo manifestum est , quod Christus ipse numquam Iudæos arguerit illius depravationis : ut advertunt Orig. lib. 8. in Isai. & S. Hier. in cap. 6. ejusdem Isaiæ . Sed è contra

eos ad lectionem scripturarum adhortatus est; ut patet ex illo Ioan. 5. verbis supra citatis: *scrutamini scripturas*, &c. eisdem ipse est interpretatus sèpè in Sinagogis: ab eodem citantur in Evangelio multa, ut erant in ipsa editione hebraica: nemo nescit quòd Herodi percontanti, ubi nasciturus esset Messias: constanter responsum esse à Scribis & Doctoribus legis, in Bethlehem, juxta vaticinium Michææ, & in Bethlehem terra Iuda, &c. quem locum citat Matth. cap. 2. Quod etiam brevi aliquo tempore post Christi mortem corrupta & degravata non censeretur, ex eo similiter & facile infertur, quòd ea testimonia quæ citantur ab Apostolis Veteris Testamenti, sint ea ipsa, quæ leguntur in Hebreico Textu: quamvis non negetur citata ab his aliquando fuisse, ut erant in translatione Septuaginta. Quod nihil obstat: cum adquata facrit versio Septuaginta editioni hebrææ. Deinde si ob finem aliquem Iudæi corrupissent Codices omnes Hebræos, maximè propter testimonium de Christo allatum ab ipsis: quod tamen factum non esse confirmant multa de Christo testimonia, in hac editione contenta: præterquam quòd impossibile moraliter fuisset, in omnibus transumptis ejus illa suppressere. Denique cum S. Hieron. vixerit sèculo quarto post Christum: & constet ipsum plures libros ex Hebreo vertisse; saltem tunc aliqua exemplaria erant incorrupta, & nequaquam depravata, licet potuerit tunc esse aliquis error levis immixtus, quem poterat ille faciliter deprehendere ac evitare.

De editione seu versione Scriptura Chaldaica.

PROPOSITIO I.

QVI A libri bibliæ Iudith, Tobia, Esdræ, Daniëlis & Ieremiæ Chaldaicè primitus ex parte saltem, scripti sunt; potuitque de facto contigisse; & satis probabile factum sic esse; ut tum illi, tum alii in linguam Chaldaicam traducerentur: rectè dici potest Scriptura Chaldaicè scripta; tam editio quam versio Scripturæ Chaldaica. Versio ex hebræo fonte traducta; sive puro, sive cum chaldaeo illi permixto, pro ea parte quæ non fuit scripta chaldaicè: quæ autem chaldaicè scripta, absolute editio dicitur. Vulgo appellatur Paraphrasis Chaldaica; eò quod sit versio Paraphrastica: ab aliis *Targum* vocatur; quod idem est, ac interpretatio propter idem. Hanc negat Ribera prudiisse ante tempora S. Hieronymi: vel ex hoc solum, quod ipse ejus mentionem non faciat, sed quia hæc opinio singularis fundatur in auctoritate negativa; non debet certè prevalere contra sententiam communioram aliter opinantium.

PROPOSITIO II.

DE auctore hujus versionis seu interpretationis non convenient, qui de argumento hoc hactenùs pertractarunt. Aliqui, & quidem Iudai-

principiè estimant auctorem ejus fuisse Ezechiel : quidam Jonatham Benusiel Indæum , qui vivebat annis uno & viginti ante Christi adventum ; ipsumque asserunt totum Vetus Testamentum traduxisse ex Hebræo in Chaldaicum : utique non de verbo ad verbum ; sed de sensu ad sensum. Ex quo habet , cur dicatur Paraphrasis Chaldaica. Sed communior est opinio aliorum , qui tribus Rabbiniis hanc paraphrasticam versionem attribuunt : seu ut melius dicam , asserunt tres diversas hujus nominis versiones à singulis illorum factas ; non equidem integras ac totales , sed partiales ; quæ in unam coahuere omnium librorum Veteris Testamenti.

PROPOSITIO III.

TRes autem illi sunt subsequentes. Primus est Aquila Ponticus ; qui Chaldaicè *Onchesles* nominatur ; Pentateuchum solum Chaldaicè transtulisse dicitur. Secundus est Ionatas Benusiel , hoc est , filius Vzielis , de quo mox supra : & istam affirmant idiomate Chaldaico vixisse ex Hebræo libros Iosuë , Iudicum , Regum , & Prophetarum. De illo estimant Galatin . & Burgenſ. scripsisse ante Christum natum , sed Genebrard. & Sixt. Senens. qui fatentur hunc vivisse quidem etiam paulò ante Christi nativitatem , negant scripsisse nisi post Christum natum ; quo etiam tempore constat ipsum vixisse. Tertius fuit Ioseph cæcus , quem testantur aliqui , fuisse discipulum Simeonis , qui Christum accepit in Templo in ulnas suas ; quâ die patri est præsentatus : materque ejus Virgo Deipara legem implevit Purificationis ; quamvis nec ista , nec ille ad hanc utramque legem implevadum

obligarentur. Hunc autem Joseph traductorem Chaldaicum perhibent Psalmorum, Job, Ruth, Esther, librorumque Salomonis. Nec miseris aliquos libros sacros sponte ab illis omissos, quia non erant in canone Iudeorum.

PROPOSITIO IV.

QVIA VERÒ MOX Soprà diximus hanc versionem seu interpretationem Chaldaicam adhuc appellari *Targum*, & duplex *Targum* circumfertur; de utroque quid communiter sentiant Auctores, hic breviter narrandum est. Duplex est igitur hujusmodi *Targum*; unum Hierosolymitanum appellatur, aliud Babylonicum. Ad quorum explicationem necessarium præmittendum est lingua Chaldaica fuisse triplicem dialectum: scilicet, Babyloniam, Hierosolymitanam & Syriacam, sic dictam in specie; de qua solum articulo sequenti: Babylonica est, quæ floruit in Regno Babyloniae maximæ puritatis & elegantiæ; quæ idcirco fuit aliquando norma linguarum cæterarum: & ista iterum duplex est; alia antiquior, cuius erat usus apud Babylonios; quo tempore exulabant apud illos Iudei: & longo tempore ante: & ista dicuntur Daniel & Esdras majorem partem historiæ suscripsisse: & alia recentior, quæ fuit in usu centum circiter post annis: tam in urbe Babyloniam, quam in Iudea, inter ipsos reduces Iudeos; puritate longè distans à priore propter commixtionem diversorum populorum. Dialectus Hierosolymitana est, quæ usi sunt Iudei, postquam è captivitate Babylonica in patriam reversi sunt; qui iui nativi idiomatis fere obliti aliqua mix-

tæ ex Chaldaïca & Hebræa lingua utebantur: tūm Hierosolymis; unde dicta est Hierosolymitana: tūm etiam in tota Indæa. Et ista adhuc dividebatur in Hierosolymitanam simpliciter, & in Syro - Hierosolymitanam, quæ est ipsa in specie Syriaca habens plura admixta ex lingua hebræa; utpote ex aliquibus ejus verbis, idiomatis, adagiis, &c. & in Syro - Comagenam, hoc est, Antiochenam: quæ erat propria Antiochiae & regionum, quibus hæc præter maximè finitimarum: quæ in aliquibus à pure Syriaca differebat.

Quibus præmissis facile satis intelligitur, Targum Babylonicum appellatam esse interpretationem illam Scripturæ Chaldaicam; quæ lingua Chaldaicâ secundum dialectum Babylonicum traducta fuit à Targumistis, qui eā usi sunt, (& quidem Babylonicâ recentiori:) utpote ab Aquila Pontico & Ionata; de quibus supra. Eā etiam usi sunt Talmudistæ ad suum Talmud Babylonicum scribendum: à quo sic dictum est; non secus ac lingua illa vocata est Targumica & Talmudica. Hierosolymitanum verò Targum sic appellatum est; quod versio ejus esset in lingua Hierosolymitanam simpliciter à Iosepho cœco, qui fuit Auctor trium Agiographorum, scilicet Iob, libri Psalmorum, ac Proverbiorum; & quinque libellorum, qui ab Hebræis vocantur *Megilloth*, nempt Ruth, Threnorum, Cantorum, Esther, & Ecclesiastis. De quibus mox supra; non tamen cum ista speciali distributio-
næ.

PROPOSITIO V.

HÆc editio seu versio Chaldaïca fuit apud Iudæos maximæ auctoritatis ; ut asserit Liran. in cap. 49. Genes. ubi docet hunc ejus usum fuisse apud Iudæos ; ut si quis textus Hebraicus esset obscurus , quem illi non intelligerent : statim ad editionem , seu Paraphrasim Chaldaïcam recurrebant : nemoque erat iprorum , qui ei contradicere ausus fuisset ; ut addit Raymund. Pugio.

PROPOSITIO VI.

EIUS certè auctoritatis non est in Ecclesia ; quidquid in contrarium asserant Vitach. Danæus , & Iunius Hæretici ; qui contendunt ipsam esse omnino incorruptam : immo & aliqui Doctores Catholici , qui putant saltem Aquilæ Paraphrasim totius Pentateuchi esse integrum . Qui sufficienter refutantur omnes de ea totaliter sumpta , ut tres partes prædictas continent , ex omnibus fabulis Iudæorum & Thalmudistarum nugis , quibus scater : ut facile apprehendet , quisquis eam attentè leget . De Paraphrasi Chaldaïca Aquilæ in Pentateuchum fateor idem non posse asseri ; ut etiam observat Emin. Card. Ximenius in præf. Biblior. Compluten. qui idecirco hanc solum partem de tota illa versione propter hoc ipsum , retinuit in iisdem Bibliis Complutensibus . Verum ; tamen , quia malum est ex quolibet defectu , ut aint Philos. tamen quia Ecclesia ipsam non suscipit , ut canonicam , nec à fortiori ut authenticam ; manifestum est , non esse in Ecclesia hujuscce auc-

toritatis: cui non parùm quoque derogat Auctor, utpote à fide apostata, de quo intrâ.

PROPOSITIO VII.

Non tamen diffiteor eandem editionem seu versionem esse nobis in Ecclesia Dei alicujus utilitatis. Nam præterquam quòd per eam voces obscuriores Hebraici textus, sententiae & loca aliquando explicantur; saltem pro illa parte, quæ vel incorrupta remansit; vel si quos errores aut nœvos habeat, leviores sancunt & dicuntur, quam in aliis partibus, & pauiores. Certum est sèpè Doctores Catholicos ex ea argumentum sumere; si non simpliciter & absolute efficax, quo planè convincantur Iudei, de his quæ controvertuntur inter nos & istos: saltem ad hominem, ut vocant; suppositâ auctoritate quam Iudei huic versioni attribuant. Sic Genes. 49. quandò Hebræa in hoc vaticinio Iacob de Messia venturo haber: *Nos auferetur sceptrum de Iuda, aut Dux de femore ius: donec veniat qui mittendus est: Chaldaica legit: Donec veniat Christus: Quo nihil clarius esse potest. Quando numer. 24. dicitur solùm: Orietur stella ex Iacob, &c. vertit Chaldea: Magnificabitur Christus. Quæ magis urgent Iudeos, qui nolunt admirtere pro sua cæcitate & obstinatione Christum jam venisse, & hominibus visibiliter apparuisse ad recipiendas in tribus Magis primitias gentium.*

ARTICULUS III.

De Editione seu versione Syriaca.

PROPOSITIO I.

ERRA Toto cœlo, si quis putat Syriacam editionem eandem esse ac Chaldaicam. Etenim cum linguae illæ diversæ sint; sive Chaldaica genericè sumatur; quod nequit competere Syriacæ, quæ est una ex ejus speciebus; sive specificè cum illarum quilibet sua habeat diversa multipliciter vocabula, diversos idiotismos, diversaque adagia; diversæ quoque debent censeri editiones illæ, seu versiones: nisi forte Syriaca latâ significatione dicatur Chaldaica; quatenus est ejus dialectus, ut obiter diximus artic. præced. immo & Hebreæ; vel quia proles est, sicut & Chaldaica Hebraice lingue, quæ fuit omnium mater, ut dictum est supra; vel quia Hebræi aliquando illâ usi sunt. Sunt enim non solum diversa vocabula, idiotismi, &c. sed etiam characteres trium hujusmodi linguarum, verborum conjugationes, affixi, punctorum notationes, sonus vocalium, &c. Totum istud clarè demonstrat S. Basil. in Hexam. homil. 2. in Genes. ubi illas versiones distinguens in illud Genes. 1. ubi nostra Vulgata Latina habet; *Spiritus Domini ferebatur super aquas*: Syriaca versio legit; *Spiritus Domini foræbat aquas*: Et Chaldaica: *Spiritus Domini insufflabat aquas*. Ex quibus satis patet

poterit male confundi ab aliquibus versiones illas.

PROPOSITIO II.

Quod clarius adhuc manifestabitur; si observetur Hebræos, cum usque ad captivitatem babyloniam hebraicè solum loquerentur; in longa illa ac diurna captivitate septuaginta annorum propriæ ac maternæ linguæ oblitisci cœpisse: & alienæ assuefieri, ut posse, Chaldaicæ, seu Babylonicae. Verum quia hanc non valebant perfectè pronuntiare, semperque aliquid de hebræa retinebant: hinc natam esse tertiam linguam mixtam ex Hebraicæ & Chaldaicæ, quam habuerunt deinde pro vulgari & materna; quâ Christus Dominus dicitur usus, eamque suo ore divino consecrassæ; loquendo, docendo, monendo, &c. Hæc autem Syriaca dicta est à regione Syriæ, ubi maximè in uso fuit, etiam post discessum Iudeorum: dicta adhuc est Hierosolymitana, propter usum quem Hierosolymis habuit deinceps, cuncta aliqua majori admixtione dictiōnum, idiotismorum, &c. & in tota Iudea; immo & Syro-Cōmagena, seu Antiochena; quæ ex Antiochia in reliquias Syriæ partes est propagata. Ac tandem Hebraica appellata est; non quod eadem esset cum antiqua Hebræa, sed propter usum vulgarem Hebræorum; eo sensu, quo vulgares linguæ diversorum populorum in Gallia v. g. linguae Gallorum dici possunt; distinctæ tamen & Gallica proprie & specialiter sic appellata.

PROPOSITIO III.

PRæterquam quod fuerunt aliqui libri publici Syriacè primitùs scripti, tam Novi, quam Veteris Testamenti; ut infrà videbitur: facta est versio seu translatio librorum utriusque Testamenti Syriaca. Refert istud ex S. Basil. Scalant. de Testamento Veteri; extatque versio hæc Syriaca in Bibliis Parisiensibus, & Londoniensiibus. De Novo Testamento similiter Syriacè translato, fidem faciunt sacra Biblia composita ex clarioribus versionibus, in quibus ista versio simul cum aliis reperitur: Non equidem adæquate & complete, ut videre est in Bibliis Regiis Philippi II. in quibus desiderantur caput VIII. Evangelii secundum Ioannem, in quo refertur historia mulieris adulteræ, Epistola 2. Petri: duæ posteriores Ioannis Epistole, Iudæ, & Apocalypsis. Ex quo occasionem arripere olim aliqui, ante Decretum Trident. vel negandi hæc singula esse partes Scripturæ: vel dubitandi. Immò negant adhuc Hæretici; quasi verò auctoritas Interpretis incerti præponderare possit auctoritati Ecclesiæ ductæ à Spiritu - Sancto? Adde Possevinum affirmare in apparatu se accepisse à Maronitis Montis Libani, versiones partium prædictarum extare in Bibliis Orientalibus idiomate Syriaco.

PROPOSITIO IV.

INcertum est quis fuerit Auctor hujus Syriacæ versionis: vel saltem non planè constat. Siquidem Syri teste Luca Burgen, contendunt fuisse Sanctum Marcum Evangelist.

tam , Tremelius quidam Apostata è Iudæo Christianus , immò & Monachus , è monacho Calvinistā , & è Calvinista iterum Iudæus , vult fuisse Apostolos , vel eorum discipulos , cui è Catholicis subscrabit potissimum Amiras . Sed quis credat Syris , gratis & sine ullo testimonio id affirmantibus ? Tremelii rationes evidenter absurdæ sunt : duas scilicet istas nobis proponit : altera est elegantia styli ; quasi verò character apostolicæ scriptionis sit styli elegantia ? Siquidem Apostoli & cæteri Scriptores sacri potius affectarunt ut plurimū sermonem popularem ; propter jam dicta . Altera est defectus versionis prædictarum partium ; cum hinc potius demonstretur , nec Apostolos nec eorum discipulos potuisse partes illas rejicere ex scripturis , quas esse veram scripturam constat , Ecclesiam deinceps definiisse in Decreto Trident . ex Spiritu - Sancti revelatione . Amiras demum , qui maximè fundatur in ea veneratione , quæ legitur hæc versio Syriaca apud Orientales præcipue Novi Testamenti , in Ecclesiis Syriae & Mesopotamiæ , acutè refellitur à Bellarmino & Gravina , respondentibus , rationem seu potius congruentiam hujus Doctoris , probare quidem antiquitatem illius versionis ; non autem quod Apostolica fuerit . Addi potest , esse prorsus incredibile & omnino improbabile , Marcum aut Apostolos aut Discipulos Apostolorum fuisse Autores Syriacæ versionis ; cum constet , nec Clement . Alex . nec Origen . nec Athanas . nec Theophil . nec Epiph . nec Hieronymum , qui omnes in Syria vixere , ullam hujus ullibi fecisse mentionem . Hinc solùm inferri potest factam fuisse hanc translationem seu traductionem post eorum tempora .


PROPOSITIO V.

EX his & prædictis, constat versionem hanc non esse divinæ & infallibilis auctoritatis; sicut nec sunt duæ præcedentes nec subsequentes; de quibus in hac quæstione: Tum, quia à Spiritu - Sancto illam non accepit; nec sic declaravit Ecclesia, nisi aliqua sit, quæ sit Vulgata nostræ Latinæ perfectè conformis: Tum etiam, quia satis patet esse corruptam ex defecitu partium, de quibus suprà. Nec minus ex falso interpretatione, quâ voluit interpres iste favere Pelagianis Hæreticis; dum vertit ad Rom. 5. vers. 12. pro eo quod habet Vulgata Latina; in quo omnes peccaverunt. in ipso quod omnes peccaverunt, ut legit hæc Syriaca: Vbi insinuare videtur rationem, propter quam mors pertransiit in omnes homines esse; quia ipsi peccaverunt singuli: quod prorsus invertit sensum Apostoli, qui loquitur ibidem de peccato primi parentis, in quo peccaverunt posteri ejus, quatenus ipse erat caput humani generis. Vnde sicut posteri erant futuri participes ejus felicitatis, si iste perseverasset in gratia; ita fuerunt privati justitiæ originali ipso peccante. Quod utique ex comparatione quam assert Apostolus primi Adam peccantis, & totam naturam humanam maculantis, cum Christo secundo Adam, totam naturam reparantis. Qui Christus Deus homo, & omnis peccati omnimodo incapax, non potest sine implicantia includi in illo numero peccantium in Adam. Immò nec mater ejus Virgo Deipara maximè immaculata; quæ speciali privilegio fuit ab omni omnino peccato immunis sive originali, sive actuali;

non tantum mortali , sed etiam veniali in qua-
cumque materia , in quo excedit cæteros quoniam
cumque sanctos inferiores.

PROPOSITIO VI.

Est tamen in Ecclesia hæc versio Syriaca
alicujus utilitatis : & propter hoc , sicut de
prædictis , dicendum de ea ; ex ipsa & aliis bi-
blia composita unâ cum versione vulgata au-
thentica , constituit vulgo fit. Duæ istæ affe-
runtur ejus utilitates , seu commoda 1. est , quod
in multis conducat ; ubi corrupta non est , ad
difficultatum aut obscuritatum explicationem .
2. est : quod in titulis & sectionibus capithm ,
mentionem faciat jejuniorum , venerationis
Crucis , vigiliarum , precum pro defunctis , ut
videtur in exemplari Syriaco Venetiis edito
anno 1609. cuius testimonio urguntur multum
Hæretici nostri temporis potissimum : cum isti
eam , ut authenticam suscipiant. A quo non pu-
tavit se posse liberare prædictus Tremel . quam
hac singula ab illo exemplari expungendo ; ut
testis est Genebrardus .



ARTICULUS IV.

De versione Samaritana.

PROPOSITIO I.

VERSIO Scripturæ Samaritana, quæ non est omnium librorum bibliorum Veteris Testamenti; non abs re vulgo dicitur *Pentateuchus Samaritanus*. Etenim cum è libris Testamenti veteris Samaritani solum reciperen^t *Pentateuchum*, qui Religionis Iudaicæ; cui illi erant additissimi: (de his intellege, qui veterem suorum patrum religionem non abjecerant, ut *Idolis* servirent, sicut in pluribus accidit:) summam complectitur. Nihil mirum est, eos quinque hos libros collegisse & versione sibi propriâ; qui essent tota illorum *Scriptura*; idiomate Samaritano traduxisse.

Hujus scriptio originalis fuit caræteribus Samaritanis; sed lingua hebraicâ (quæ tunc erat illis & Iudæis communis,) traducta; vel ex hebræo idiomate primigenio, vel ex Hebræo-Samaritano in purè Samaritanum: cum autem in paucis ab Hebræo dissentiret lingua Samaritana, adhuc hebræa latissimè appellabatur; sicut & syriaca & chaldaica: ut patet de voce *Golgôta*, quæ licet sit Syriaca, dicitur tamen Hebraica, Ioan. 19. Vnde ipse *Pentateuchus Samaritanus* propter idem, potuit latè Hebræus nominari.

PROPOSITIO II.

JAM ponitur hic inter vetustissima exemplaria primævi textūs. Hunc doctissimus Presbyter Oratorii Ioannes Morinus non ita pridem è tenebris eruit post silentium tot annorum, fecitque juris publici: ipsumque admiscerunt ceteris versionibus antiquioribus, in Heptaplis Parisiensibus: isque etiam in Bibliis Polyglottis Londinensib. cernitur anni 1657. Hujus versionem tribus linguis factam volunt Auctores communiter, utpote, Samaritanā, Arabicā & Græcā. De hac ultima dubitatur: cum jam amplius non extet; bene autem duæ priores, quæ leguntur in mox prædictis bibliis compositis.

PROPOSITIO III.

NVlla autem versio Samaritana scripta est litteris Hebræis, quales nunc sunt. Quod ideo adjecimus hic; quia omnia Biblia Hebræa, sive ad usum Iudæorum, sive ad usum Samaritanorum, erant scripta characteribus Samari-tanis; sive sermo esset purè & strictè hebræus; sive latè, ut appellari diximus Chaldæum quoque, Syriacum, & à fortiori Samaritanum. Ratio evidens est: quia nimirum Iudæi reduces è captivitate, characteres samaritanos tempore Esdræ mutaverunt in Assyrios: tūm propter divisionem, quæ erat inter utrumque populum illum, & schisma seu dissentionem. Siquidem regnante Roboam filio Salomonis, cum iste contra consilium senum subditos supra modum opprimeret, ut narrat sacra Scriptura: decem Tribus desperatione ductæ ab eo defecerunt, Deo ma-

lum hoc permittente, ad punienda peccata **sive** Salomonis, **sive** Roboam: duabus solum Tribus stantibus pro Roboam, à quibus institutum est Regnum Iuda, cuius caput fuit Ierusalem. Alii è contra duce Ieroboam instituerunt Regnum Israël ex decem Tribubus: & civitatem Samaranitam deinceps ædificarunt, quæ esset totius Regni caput. Quam sic appellatam vocant Sameron, à quo Rex Amri emit montem in quo constructa dicitur, & à nomine utriusque istorum Samaria vocata. In qua licet multi religionem pristinam abjecissent, & in Idololatriam prolapsi essent; aliqui ipsam corrupserint; quidam tamen retinuerant. Plura namque fuerunt hominum millia, qui non curvaverunt genua ante Baal, ipsa Scripturâ attestante: tam etiam, non solum propter hanc divisionem regni utriusque, Iudæ scilicet & Israëlis: sed etiam quia Indæ fuerant characteribus Assyriis assuefacti: de quo satis dictum est supra.


PROPOSITIO IV.

HAEC versionem seu editionem fuisse antiquissimam docent sancti Patres: maximè cum Eusebio, Cyrill. & Hieron. qui ejus meminerunt, tamquam operis vetustissimi. Fuit illa Hebrææ, quæ tunc erat authentica, perfectè conformis; ut ex eo maximè patet; quod erat pro veris fidelibus hujusce legis, qui cultum Deo debitum fideliter exhibebant: quibus certè aliquid aliàs defuisset, ad fidem conservandam, & mores dirigendos necessarium. Quod fatis evidenter confirmat laudatus Morinus; quando asserit illum Pentateuchum Samaritanum, qui nunc corruptus & depravatus ad ma-

nus nostras pervenit, ab antiquo illo discrepares; ut sibi planè visum est; factâ utriusque collatione, & locorum multorum utrorumque exemplarum.

PROPOSITIO V.

Hinc fortè oritur quòd Samaritani contendunt se habere exemplar seu transsumptum legis primò data Moysi, hebraicè quidem scriptæ; sed characteribus samaritanis, scriptum diebus Phineæ, filii Eleazari, filii Aaronis; Sichimis ad montem Garisim asservatum. Vbi addunt Pontificem suum imperare ad Synagogam dirigere: (scilicet illo tempore quo sic illi scribebant, fundati in illa antiquitate & paritate sui Pentateuchi Samaritani.) Verum quām falsum istud sit facile convincitur; tūm ex silentio Iosephi Historici Iudeorum exactissimi, qui nullibi loquitur, nec de illo volumine sic asservato; nec de illo Pontifice regente hanc mundi plagam, aut dirigente Synagogam. Tūm etiam ex Historia, quam refert, lib. 12. antiq. Iudaic. cap. 6. de victoria quam reportarunt Ierosolymitani, seu Iudei de Gerasimianis contendentibus de prærogativa Templi: quam quique illorum sibi attribuebant corona Ptolomæo Philometore: pacto seu sponsione factâ, ut qui eam non demonstrarent; lite caderent, & capite plecterentur: quod Gerasimianis accidisse commemorat.



PROPOSITIO VI.

EX quibus infertur, per antiquam esse quidem hanc versionem Scripturæ partialem; quæ certè eādem esset veneratione digna ac Hebræa, & Syriaca: si tūm istæ, tūm illa, puræ & incorruptæ permanissent. Quamvis illis non deberetur nunc infallibilis auctoritas; nisi quatenus Vulgatæ nostræ, quæ sola authentica est, conformarentur; ejusdem tamen utilitatis est in Ecclesiæ ac præcedentes; quatenus per eam loci obscuri possunt illustrari, & fides confirmari contra Infideles & Hæreticos. A quo auctorē fit, & ex quo tempore, non planè constat. Cértum est tamen, conscriptam esse multo tempore ante Christum natum; & non multo post Esdram & Nehemiam; ut ex illo colligitur, quod eadem causa, quæ Iudaeos impulit ad versiones conficiendas, seu paraphrases idiomate sibi noto; movit quoque ad illud ac determinavit Samaritanos.

PROPOSITIO VII.

IDem omnino dicendum est de Pentateucho Samaritano, characteribus arabicis scripto; non autem phrasi & sermone: in quo distinguitur à versione Arabica, de qua art. sequenti; quod nēmpè ejusdem sit auctoritatis ac illa, quæ scripta est characteribus samaritanis, & quæ adhuc etiam Hebreo-Samaritana & Chaldæo-Samaritana dicitur: ut potè nullius auctoritatis, si depravata sit & corrupta; sicut eas esse non ambigitur. Eset certè ejusdem infallibilitatis ac Vulgata; si istius esset expressio fidelissima: quantumvis non esset regula fidei, & morum

per se & directè; ut est Vulgata Latina ex Ecclesiæ declaratione. Auctor & tempus hujuscæ versionis; sicut & præcedentis incerta sunt: licet fatendum sit, factam esse post Mahumetem; ante quem lingua Arabica nondum propagata fuerat, simul cum ejusdem damnabili superstitione: immò nec probabilitate caret, confectam esse post tempora Saadiæ, circa annum Christi 900. quatenus habet multa communia cum versione Pentateuchi arabica ejusdem auctoris; qui illo vivebat tempore, de qua in particulari, sit

ARTICULUS V.

*De Arabica versione Scripturæ Sacrae
aliisque affinibus.*

PROPOSITIO I.

PRAETER Pentateuchum Samaritanum, seu versionem Samaritanam, sermonem quidem & phrasim Samaritanis, sed litteris seu characteribus arabicis scriptam, est & alia versio Arabica Scripturæ Sacrae; non solum characteribus, sed etiam sermone scripta Arabicō; ut videre est in Bibliis compositis; quæ eam continent cum prædictis, propter utilitates & commoda, quæ hinc Ecclesiæ resultant: tūm ad confirmandam veritatem Scripturarum, tūm ad earum intelligentiam.

PROPOSITIO II.

Multiplex est ac diversa versio scriptura Arabica. Nam insprimis est versio Rabbi Saadiæ, anni Christi 900. litteris hebraicis, ad usum Sarracenorum Iudæorum, qui armis suis & victoriis religionem suam, simul & linguam arabicam longè latèque propagarunt. Hæc autem versio solius est Pentateuchi, quam abhinc 100. circiter annis Constantinopoli Typis edidere Iudæi qui illic commorabantur. Illa autem melius Paraphrasis, quam versio appellanda esset; in qua interpres, ut advertunt periti, à vocibus immò à phrasibus hebraicis, longius quam par esset, recedit. Ultra quam est adhuc alia versio arabico sermone, quamvis characteribus hebraicis, ut præcedens, olim edita in Mauritania: cui novam lucem dedit Erpenius anno Christi 1622. Et quidem litteris arabicis: istamque præfert hic Auctor præcedenti; quod sit magis de verbo ad verbum, magisque sensum exprimat.

PROPOSITIO III.


Dinde præter duas mox dictas arabicas versiones Iudaicas, sunt aliæ arabicæ diverse, tam Veteris, quam Novi Testamenti; ut fidem faciunt volumina diversa, quæ eas continent. Præcipuæ illarum dicuntur Syriaca, & Ægyptiaca; sic dictæ ab his nationibus, apud quas usum obtinuerunt: ut testes sunt Augustin. Iustinian. Episcop. Nebiensis, qui Syriacam Arabicam secutus est in sua editione Psalmorum: & Cornel. à Lapid. qui Syriacam vocat

adhuc Antiochenam , & Ægyptiacam ~~salio~~ nomine appellat Alexandrinam ; earumque exemplaria testatur extare in Biblioteca Vaticana & Medicæa. Ægyptiacam continent Biblia Parisiensia & Londinenſia. De auctore & tempore quo factæ sunt illæ translationes seu versiones , dubitatur hactenūs. Probabile tamen videtur ambas scriptas non multo tempore post Saadiam , quandò lingua arabica cœpit esse uisitata. Verū cum duæ istæ sint utriusque Testamenti ; recensentur aliæ quæ sunt vel Veteris Testamenti tantum , vel Novi tantum , vel partium istorum. Harum quæ primo loco nobis succurrerit , est versio arabica Psalmorum per Gabriëlem Sionitam , & Victorem Scialac Romanæ editiōnis anni 1619. quam tamen præcessit , quæ fuit edita anno 1616. opera August. Iustin. Episc. Neb. citati. Post quas enumerantur secundo loco tres versiones Evangeliorum Arabicæ. Prima fuit Romæ edita sine punctis , cum versione latina interlineari. Secunda ibidem Typis excusa sine latina versione : incerti quidem auctoris ; sed tamen antiqui & docti. Tertia non solum Evangelia , sed alios quoque Novi Testamenti libros continet. Hanc Thomas Erpenius Leydæ arabicè edidit in lucem , anno 1616. ipsam confundunt aliqui cum ea , quæ Romæ excusa est propter illarum conformitatem. Ultima ista , simulque ea quæ fuit Sionitæ , cum totum Novum Testamentum contineant , præcipue habentur : posteriorque idcirco inclusa est in Bibliis Parisiensibus . dicta Alexandrina , seu Ægyptiaca , propter usum , quem obtinet in Alexandria & Ægypto ; tradueta , ut fatetur Interpres , ex antiquo codice , quo Ægyptii uebantur à 300. annis & amplius ; annexa

Veteri Testamento ejusdem versionis , cum Erpiniana ex Syriaco arabicè : ut ex eo conjicitur , quòd Syriaco vicinior appareat , quam græco . Denique est insuper diversa à prædictis versio arabica , quæ habetur in Bibliis Poliglottis Briani Vvoltani , anni 1660. nñā cum versionibus Samaritana , Chaldaica , Græca Septuaginta Interpretum , Vulgata Latina , & originalibus Hebræis .

PROPOSITIO IV.

Taceo de Æthyopica , Persica , &c. de quibus nihil novi dicendum succurrit : sed tūm de istis , tūm de singulis arabicis , idem sentiendum est , ac de Hebræa versione , Chaldaica , &c. utpotè , si quæ incorruptæ reperiantur ; magna esse veneratione dignas ; propter verbum Dei scriptum , quod continent : quod ex eo agnoscerunt ; si à Vulgata authentica non discordent . Nulla tamen earum authentica est , nec regula & norma fidei , ac morum : licet per eas illustrari possint , quæ obscura sunt : resolvi quæ sunt in vulgata difficultiora , &c. de quibus sat dictum est .



ARTICULUS VI.

De græcis versionibus Scripturæ.

PROPOSITIO I.

CV M h̄ic sermo non sit de editionib⁹, quibus libri sacri græcè scripti sunt primitūs : ut sunt ferè singuli libri Novi Testamenti , ut dicetur : & liber secundus Machabeorum , ut multi afferunt de quo infrā , neque de correctione errorum , qui diversis temporibus illapsi sunt : sed de versionibus græcis totius Scripturæ qua parte versione græca ista indiguit : certum atque indubitatum est , hujusmodi græcas versiones fuisse multiplices , ac diversissimas ; ut patebit inductione seu enumeratione & expositione præcipuarum ; excepta versione Septuaginta Interpretum ; de qua toto articulo sequenti : quæ non potuit esse totius Scripturæ , etiam Veteris Testamenti ; sed illorum librorum , qui ante ipsos scripti fuerant & ut satis per se notum est .

PROPOSITIO II.

PRATER versionem Septuaginta longo tempore ante Christi adventum , enumerantur duæ versiones græcæ Veteris Testamenti . Altera dicitur ejusdem Aristobuli , cuius citantur hæc verba libri ejus , scripti ad Ptolomæum Philometorem . *Antiquissimum est leges* *¶*

disciplinam nostram, Platonem diligenter fuisse secutum. Non enim latet, si quis attentius eum legat; perlectam ab eo, & quidem diligenter Scripturam fuisse. Scimus etiam omnes ante Demetrii Phalerei tempora: immo vero ante Alexandrum & Persarum Imperium; quinque Moysis libros in graciam linguam, quamvis non commodè, traductos fuisse. Pro ista versione stant Genebr. in Chron. Serrarius in Prolegom. Bibl. cap. 16. q. 1. & Bellarm. lib. 2. de Verb. Dei, cap. 5. alii opinantur hanc versionem esse incerti auctoris.

Altera, quæ recensetur, adhuc durante lege scripta, ante tempora evangelii, & quam volunt fuisse librorum Veteris Testamenti, qui jam erant hebraicè, vel chaldaicè scripti; dicitur prima omnium absolute. Quod videntur confirmare verba Aristobuli mox citata contra Rabbinos & Philonem, qui contendunt primam absolute versionem fuisse ante omnem græcam; translationem quandam Bibliorum factam ex hebræo textu in Chaldæum, quod omnino incertum est. Cardinal. Baron. ut conciliat contendentes; asserit fuisse primam perfectam. sed his diutiùs immorandum non est.

PROPOSITIO III.

PRÆCIPAX versiones græcæ, & quidem totius Scripturæ tam Novi, quam Veteris Testamenti; ac proinde post Christi mortem, & profidelibus in lege gratiæ seu evangelicæ, sunt septem subsequentes.

Prima fuit Aquilæ natione Pontici, patri Synopæi, qui vixit teste Epiph. anno Christi 120, sub Pontificatu Sixti. Imperat. Adriano.

Fuit hic primū Gentilis, deinde Christianus; utriusque Matheseos peritissimus: & ob hoc ipsum maximè charus Imperatori: à quo præfectus est Hierosolymæ restituendæ, prius à Tito dirutæ. Ibique urbe restaurata ex Apostoliconrum Discipulorum prædicatione ad fidem conversus, ab iisdem baptizatus est. Verum quia Genethliacis intentus, sive nascentium horoscopo designando, ab Ecclesiæ Pastoribus admonitus & increpatus; cum ab his nugis abstinere obstinate recusasset, pulsus est ab Ecclesia. Hujus autem ignominia & nimia, ut putabat severitatis impatiens, abnegato christianismo proselytus Iudæorum efficitur, ac circumciditur; è Christiano in Iudæum commutatus à Iudæis brevi linguam hebraicam edocitus; ~~grecas~~ (quam linguam optimè callebat; divinas scripturas ex hebræo ~~grecas~~ traduxit: taxans translationem Septuaginta Interpretum; maximè ubi testimonia proferuntur de Christo venturo, quo posset utcumque injuriam alcisci sibi illatam ab Ecclesia, ut injustè opinabatur; odiumque omnibus propalare, quo flagrabat in Ecclesiam Christi & Religionem, quam defruerat impius ille Apostata. Editio hæc, ut referunt Hieron. & Sever. sic incohatur, cap. 1. Genes. in capitulo, vel in summa fecit Deus cælum & terram. Terra verò erat inanitas & nibil. Duas affirmant Scalant. & Serrar. factas fuisse ab Aquila versiones græcas: unde aliqui una utuntur; altera alii: probantque multis exemplis & citationibus.

Secunda est versio græca Symmachi, natione Samaritani; qui repulsus à suis de Principatu, quem ambiebat, ad Iudæos transfugit: à quibus iterum circumcisus, pro more, quem mu-

tuō obſervabant Iudæi & Samaritani ; eos scilicet circumcidendi , qui ex alterutra parte tranſibant ab aliis ad alios. At cum inglorius degeret inter Iudæos ; Christianam Religionem amplexus est ; nec diū in fide perseveravit : non enim multo post tempore lapsus est miserè in hæresim Ebionitarum ; quorum erroribus imbutus commentaria ſcripsit. Primum in Matthæum, juxta dogmata illorum hæreticorum , in in quibus quantum potuit , conatus est Christum ostendere purum hominem fuſſe ; occaſione ſumptu à carnali génératione ejus , quæ in capite primo hujus Evangelii deſcribitur. Deinde ſcripturam totam tranſtulit de hebreo in græcum idioma ; non de verbo ad verbum , ſed de ſenu ad ſenſu. Vivebat anno 209. ſub Zephirino Summo Pontifice , imperante Severo.

Tertia eſt Theodotionis natione Pontici , ut placet Epiphanio , vel Ephesini , ut plures alii reſtantur. Hic , dum Christianus vixit , fuit Tatiani & Marcionis feſtator : à quibus ad Iudæos transſugit , & circumciduſus eſt : atque ubi apud illos , & ab hiſ lingua hebraicam edocuſus eſt , græcam translationem edidit Veteris ſolum Testamenti imperante eodem Severo. Hanc versionem non reprobat Ecclesia ; ut potè , quæ Daniēlem legit ex ejus interpretatione ; ut teſtis eſt S. Hieron. præf. in Daniēl.

Quarta eſt ſine ullo nomine auctoris ; eſtque ipſiſſima , quæ olim ab Origene reperta eſt apud urbem Ierico , cum multis aliis voluminibus hebræis & græcis tempore Antonini Caracallæ Imperatoris , qui Severo patri ſuccellit. Præter quam , dicitur alia ab eodem reperta , teſte Epiphanio , in littore Actiaco apud Nicopolim , ſimiliter in doliis incluſa , & occultata , abſque

nomine proprii auctoris. Ex quibus & aliis editionibus seu versionibus idem Origenes duo genera exemplarium confecit ; utpotè Exapla simul & Tetrapla, ac Octapla ; sic dicta à numero columnarum quæ factæ sunt in singulis paginis. Nam cum ex græcè idem sonet, ac sex, tessares idem ac quatuor, & octo idem græcè & latine significet : Exapla appellantur, quæ habent in paginis sex columnas ; in quarum prima continentur Scripturæ Textus Hebraicus litteris hebraicis. In secunda idem textus hebraicus græcè scriptus ; propter eos, qui litteram hebraicam legere nesciebant : in tertia textus græcus versionis Aquilæ : in quarta Textus item græcus versionis Symmachii : in quinta adhuc Textus græcus versionis Septuaginta Interpretum : & in sexta demum Textus græcus versionis Theodotionis. Hæc eadem Tetrapla dicitur : non propter columnas quatuor ; cum sex esse constet ; sed propter quatuor diversas interpretationes græcas. Et quia duæ adhuc interpretationes græcæ quatuor prædictis, & duabus hebraicis, superadditæ sunt in alio exemplari : versio hæc, quæ cum istis octo columnis reperitur ; octapla propter hoc nominatur. Priori istarum præfixit interpres litteram E. quæ est nota numeri quinarii ; quatenus in ea continentur quinque versiones ; scilicet hebræa una, & græca quatuor. Posteriori verò litteram Z. quæ est nota numeri senarii : quatenus sex solum interpretationes in ista continentur, licet octo columnas habeat. Et hinc est, quod Octapla appellatur, ut dictum est.

Quinta est ejusdem Origenis : non quod ipse scripturas ex hebreo græcè transtulerit ; sed quatenus versionem Septuaginta Interpretum sic

emendavit; ut multis ex Theodotione admixtis novam fecisse videatur, designans astericis, hoc est, signis stellæ radiantis; quæ deesse videbantur in illa eorum versione: & contra, quæ erant superflua obelis seu veribus. Tantæ autem auctoritatis & publicæ approbationis fuit hæc græca editio; quando primam prodiit; ut brevi teste S. Hieron. Epist. 89. ad Aug. ferè bibliotecas omnes repleverit. Communem eam appellat idem S. Hieron. in cap. 16. Isa. vocat etiam Palestinam, præfat. in lib. paralyp. quatenus ejus lectio in usu erat apud Syros & Palestinos: de qua idem sanctus Doct. hæc scribit. *Alexandria & Ægyptus in Septuaginta suis Hesychium laudat auctorem: Constantinopolis usque ad Antiochiam Luciani Martyris exemplaria probat: mediæ inter has provinciæ Palestinos Codices legunt, quos ab Origene elaboratos Eusebius & Pamphylus vulgarunt; tosusque orbis hac inter se varietate compugnat.*

Sexta est S. Luciani Presbyteri primum Antiocheni; deinceps, ut aliqui putant, Episcopi Nicomediensis: qui Martyrium subiit pro Christo sub persecutione Diocletiani & Maximiani; circa annum 280. Vir ille sanctissimus & disertissimus ubi advertisset in editionibus Biblicis, præcipue Septuaginta Interpretum; multa vitia obrepisse: multo labore versionem novam composuit versioni Septuaginta maximè correspondentem; viis cæteris codicibus Biblicis, ac expensis accuratissimè; atque etiam cum editionibus hebraicis frequenter collatis. De hac testatur S. Hieron. præf. in Psalter. manibus scriptam sui Auctoris, Nicomediaz fuisse repertam in turri quadam à Iudeis calce illata; quasi voluissent in perpetuum observatam;

& occultam ; ne in manus Christianorum umquam perveniret. Additque ejus inventorem fuisse Origenem , quam tamen constat , illum nec in suis Exaplis , nec in Octaplis reposuisse. Fuit hæc apud Græcos communis , & vulgata ; appellata ab aliis Lucianæ à nomine sui Authoris.

Septima est Hesychii Monachi , patrisque multorum Monachorum , & sancti Hilarionis amicissimi. Iste siquidem amicum suum Hesychium hæredem reliquit libri Evangeliorum , quem sua manu scriperat , cucullæ & pallioli , quæ erant universæ opes ejus. Hesychius autem cum esset linguae græcae peritissimus , ac scripturæ sacræ Lector assiduus , græcam hanc translationem totius scripturæ instituit ; usus maximè versione Septuaginta pro Veteri Testamento , eamque emendans ab illæpis erroribus , & antiquæ fidei restituens. Pro Novo verò suâ solùm industria totum opus confecit. Ex quibus colligitur , quantum aberrent , qui ipsam Hesychio Ierosolymitano attribuunt , viro alioqui doctissimo ; verū , qui floruit imperante Theodosio juniore ; noster verò sub Imperio Theodosii senioris : sub quo , ut S. Hieron. fidem facit : asseritque editionem hanc fuisse tunc usitam in omnibus Ecclesiis Alexandriæ & Ægypti. Ex quo fit , impossibile prorsus esse Hesychianam translationem esse opus Hierosolimitani , sed solùm antiquioris ; de quo hic .

PROPOSITIO IV.

DE his versionibus singulis idem dicendum est quod de Hebraica , Chaldaea , Syriaca , &c. ut potè magnâ dignas veneratione ; qua par-

te incorruptæ sunt ; & à nostra Vulgata Latinat non discordant : nullam tamen illarum esse authenticam; eò quòd Ecclesia ut talem declaraverit solùm esse Vulgatam Latinam : non negamus tamen alicujus utilitatis esse & commodi : quatenus ex illarum inspectione in locis ubi incorruptæ sunt ; explicantur obscura si quæ supersint in nostra Vulgata ; vel dubia , si quæ sponte recta in ea sint , quæ ad fidei mysteria , vel morum præcepta non pertinent.

PROPOSITIO V.

NEc dicas : hinc sequi Ecclesiam Græcam carere jam Scripturā Græcā authentica. In hoc enim non videtur grave incommodum; cum habeat Latinam Vulgatam, cui potest græca aliqua penitus conformari , corrigendo singula, quæ à nostra dissentunt ; ut nec illi renuant, qui habent cum Ecclesia catholica communio nem perfectam ; seque subjiciunt legibus Ecclesiæ ; ac proinde declarationibus & definitionibus ejus. De Schismaticis nihil mirum est eos qui fide carent , carere etiam verâ scripturâ , si Vulgatam nostram Latinam non suscipiant ut authenticam post decretum Tridentini. Contraque nihil facit ; quòd Ecclesia græcis fidelibus permittat usum Scripturæ græcè scriptæ in publicis Officiis & Lectionibus : cum supponatur, ut certum & indubitatum , editiones biblicas , quibus ad hoc utuntur , in nullo discordare ab editione Vulgata authentica. Nunc autem quia multò plura diceenda sunt de versione græcâ Septuaginta Interpretum , de ea sit specialis.

ARTICULUS VII.

De Graeca versione septuaginta Interpretum.

PROPOSITIO I.

PRÆSUPPONENDUM est tanquam certum & indubitatum omnibus, factam fuisse versionem Scripturæ Sacræ à Septuaginta duobus Interpretibus Iudeis hebraici & græci idiomaticis peritissimis, ex hebræa lingua in græcam: sive nomine linguae hebraicæ sumpto stricte ac propriè, sive latè; prout Chaldaica aliquando Hebræa appellatur: quatenus sunt aliqui, qui contendunt, interpres illos priùs chaldaicè traduxisse textum hebræum; deinde chaldaicam illam versionem in græcam: quod parùm facit ad nostrum propositum. Occasio hujuscæ versionis fuit, Deo sic providente, desiderium ingens Ptolomæi Philadelphi Regis Ægyptiorum, sibi comparandi libros sacros Iudaorum; qui erant celeberrimi toto orbe terrarum, versos ex hebræo in græcum idioma: ad complendam famosissimam illam bibliothecam quinquaginta quatuor millium, & octingentorum voluminum manuscriptorum in charta, ut aiunt, facta ex junctis Nili; cum jam cessasset usus corticum; in quibus olim scribebatur. Quos certè obtinuit, simulque septuaginta duos viros doctissimos in legę; quos ab Eleazaro summo Sacerdote expetie-

rat ad hoc opus consilio Demetrii Phalerei, quem præfecerat illi Bibliothecæ. Viri autem illi in diversis cellulis separatim positi singuli, vel saltem in qualibet cellula bini, sic facile & feliciter opus suum perfecerunt intra dies septuaginta duos: ut dicantur omnes, non solum in eodem convenisse sensu; sed etiam verbis, literis, accentibus, articulis, &c. Quod fieri non potuit absque miraculo, ut patet: quia verò tum circa historiam hanc Septuaginta duorum Interpretum, & hujus versionis authores: tum circa versionem ipsam moveri possent plures difficultates; resolvendæ supersunt hæ propositionibus subsequentibus. Sit igitur

PROPOSITIO II.

Non potest absque temeritate negari Septuaginta duos Interpretes fuisse ab Eleazaro summo Sacerdote missos ad Regem Ptolomæum in urbem Alexandriam ad traductionem istam seu translationem conficiendam: tum, quia id expressè afferunt plures Historici fide dignissimi: tum, quia id traditione perpetuâ usque ad hæc nostra tempora pervenit, ab anno ante Christum natum ducentesimo nonagesimo primo; quando facta dicitur hæc versio Alexandriae; selectis ad hoc à Summo Sacerdote Indæorum sex Doctoribus sapientissimis è Tribubus singulis: Quæ cum sint duodecim, constat sex viros è Tribubus duodecim sumptos constituere numerum præcisè virorum septuaginta duorum.



PROPOS. III.

PROPOSITIO III.

Quod si quis in contrarium opponat viros illos seu Principes Synagogæ, ac Doctores, hoc est, primos ac principaliores, vulgo dici solum Septuaginta, non autem septuaginta duos viros, ut nos assursumus. Respondetur facile; tum vulgi opinionem, quæ satis communiter levvi fundamento nititur; nihil derogare posse veritati & fidei historiæ; tum etiam satis vulgare esse apud homines; parvum numerum majori conjunctum, maximè in simili circumstantia; pro nihilo computari: ut patet exemplo centumvirum Romanorum, qui erant in rei veritate centum & quinque judices; utpotè tres electi ex Tribubus singulis; Tribus autem illæ Romanae erant triginta quinque, ex quo resultat, numerum illorum judicium fuisse centum quinque, qui tamen non appellantur nisi centum-viri, ut dictum est.

PROPOSITIO IV.

Non magis nos movet quod instant Lutheri aliqui cum Manstro aliisque novatoribus: scilicet tempore Regis Ezechiae decem Tribus Iudeorum fuisse in Mediam asportatas: quomodo igitur potuerunt longo post tempore esse Tribus illæ duodecim Iudeorum: è quibus singulis fuerint selecti illi Interpretæ.

Respondetur enim, levem prorsus esse instantiam, quæ certè gravior esset, ut patet, si eodem tempore quo decem illæ Tribus fuerunt asportatae; dicerentur à nobis selecti illi Interpretæ è tribus duodecim: propter contrarietatem

N

sen contradictionem, quam nemo nisi valde obtusus non deprehenderet. Dico è contra multum favere nobis, hanc longam temporis moram, quæ fuit à captivitate ad redditum illarum tribuum, ut manifestè colligitur ex cap. 1. Iudith. & 2. in quibus legitur, quām fuerit ingens multitudo Iudeorum, qui noluérunt se Nabucodonosori subjicere. Quod satis indicat remansisse è singulis tribubus plures, è quibus potuerit fieri hæc electio. Adde quod circa tribus illas asportatas, non debet intelligi captivitas hæc de singulis generum, sed de generibus singularum. Quis neget præterea, temporibus Christi remansisse tribus Iudeorum distinctas cum dicatur de Anna filia Phanuelis, quæ Templo adfuit quando Christus fuit ibi presentatus; fuisse de Tribu Azer. immo & post Christum; cum Jacobus suam epistolam dirigat duodecim tribubus, ut habetur in hujus epistolæ Canonica inscriptione: à fortiori erant tribus illæ duodecim tempore Eleazari Summi pontificis.

P R O P O S I T I O V.

Urgent alii Iosephum historicum Iudeorum: assere, Ptolomæum non aliâ mente postulasse Septuaginta duos illos interpres à summo Sacerdote; nisi ut occasionem arriperet vexandi Iudeos. Et deinde ut addunt aliqui; certum est ex historicis illius ætatis, Philadelphia fuisse infensum Demetrio Pharereo: ex quo inferunt falsam esse nostram sententiam.

Respondendum est, pace illorum dictum sit, magis falsum est quod objicitur ex Iosepho; cum constet Ptolomæum, post illam interpre-

tionem fuisse in Iudæos mitiorem : de quo testantur aliqui , remisisse plura millia Iudæorum , quos Lagus pater ejus captivos duxerat. Ad instantiam vero superadditam : esto , fuerit Ptolomæus infensus Demetrio aliquo tempore , vel ante , vel post ipsam interpretationem ; si post ipsam , non video quid probet istud contraria nostram propositionem : si ante illam ; potuit rediisse in gratiam Regis Ægyptiorum ; quid quæso facit etiam id contra nostram sententiam ?

PROPOSITIO VI.

Probabilior certè est illorum sententia , quæ affirmant illos Interpretes in cellulis 72. separatim hanc versionem græcam elaborasse ; ut præmisimus : tūm , quia hæc est opinio Sanctorum Patrum antiquiorum , qui minus à tempore hujus traductionis distant aut recedunt : ut sunt S. Iust. Mart. qui vixit secundo sæculo. Hic in exhort. ad Mart. refert , se vidisse vestigia cellularum apud Alexand. S. Iren. lib. hær. cap. 25. Clem. Alex. qui vixit secundo sæculo , lib. 1. Strom. pro hac stat sententia ; immo & quanto sæculo Cyril. Hiero. ipsi subscribit Cathec. 4. S. quoque Epiph. eod. sæculo , qui putat non fuisse tot cellularas , sed binos in singulis fuisse inclusos. Et S. Aug. qui lib. 2. de doctr. Christ. c. 7. asserens versionem illam fuisse miraculosam ; quid aliud quæso nobis innuit ? De S. Hieron. fateor , ipsum non fuisse hujus opinionis nostræ : fundatum maximè in eo quod suis temporibus affirmat non fuisse vestigia hujusmodi cellularum. Quod certè non negamus : cum jam effluxissent tunc septinginti & amplius anni ; quod nullâ ratione derogat testimonio S. Iustin

Martyris , qui ducentis & amplius annis S. Hieronymum præcessit : ubi si advertas quæstionem hanc esse de facto , & historialem pure ; nec spectare ad veritatem ac mysteria fidei : immo nec ad sensum Scripturarum ; in quibus temerarium planè esset à tanto viro recedere : nihil peccare nos contra debitam illi reverentiam ; de hac ipsa historia sentientes , quæ alii Sancti Patres testificantur ; & quæ nobis videntur magis hanc versionem commendare , quæ fuit olim tantæ auctoritatis in Ecclesia , ipso S. Hier. test. Nec certè negabit aliquis , Deum qui per Sybillas , quas dono Prophetiæ evexerat , tanquam præmio temporali castitatis ; plura mysteria nostræ Religionis in Christo complenda prænuntiaverat ad confusione gentium ; potuisse similiter ad Iudæorum instructionem , & fidem illorum confirmandam ; & reverentiam Scripturarum : atque etiam ad convincendos gentiles , quibus hæc parabatur miraculosa translatio ; de veritate Scripturarum , & cultu vero Deo , & utique soli debito. Hactenùs de hujus interpretationis auctoribus ; jam de ipsâ interpretatione , sit.

PROPOSITIO VII.

Est autem hæc græca interpretatio non solum Pentateuchi ; sed etiam librorum omnium Veteris Testamenti , qui tunc extabant , scripti hæbraicè , vel partim chaldaicè ; sic docent Sancti Patres Iustin. Martyr. in Dialog. cum Triph. Iren. lib. 3. cap. 25. Clem. Alex. lib. Strom. Epiph. lib. de pond. & mens. Euseb. &c. contra Philon. & Ioseph. opinantes eos græcè vertisse solum Pentateuchum.

Veritatem nostræ sententiæ confirmant in primis diversa testimonia tam Novi Testamenti, quam Sanctorum Patrum; à quibus etiam citantur auctoritates deductæ ex omnibus aliis libris Veteris Testamenti, ultra Pentateuchum, juxta versionem Septuaginta Interpretum. Deinde quia omnino improbabile est, illos tantum temporis insumpsiisse ad traducendum solum Pentateuchum. Insuper, quia nec minus incredibile est; sic fuisse planè satisfactum Regi Ptolomæo; quia non minus expeterat græcam versionem cæterorum librorum bibliorum qui tunc extabant, quam Pentateuchi; ut per se notum est. Denique, quia quæri posset ab adversariis, à quibus fuerint reliqui libri græcè traducti? Quos tamen constat fuisse sic traductos à tempore Ptolomæi. Nec quæso nobis opponant S. Hieron. qui in locis, quos pro se citant adversarii; magis loquitur dubitando, quam asserendo: neque etiam Ariostam auctorem celebrem illius temporis; à quo hæc historia potissimum recensetur, dum dixit Interpretes illos vertisse libros legis. Quis enim nesciat per libros legis intellige Veteris? Sic appellari vulgo, non solum quinque priores, quamvis isti strictâ significatione sic dicantur: verum etiam cæteros quoscumque.

Sed dixi: qui tunc extabant. Constat enim ante illam interpretationem libros Machabæorum non fuisse scriptos adhuc: siquidem notum est, vixisse Ptolomæum Philadelphum ducentis ferè annis ante finem Machabæorum. Florebat enim ultimus Simon anno ab orbe condito 3912. Ptolomæus autem Philadelphus anno 3730.

PROPOSITIO VIII.

Versionem hanc fuisse omnium Græcarum perfectissimam, nemo est qui possit ambigere: immo & fuisse authenticam toto illo tempore quo Ecclesia eā usā est, dum esset incorrupta. Etenim cum nulla alia sit ē Græcis versionibus, cujus fuerit usus communis in tota Ecclesia, quis abnuat illam cæteras omnes suā perfectione superasse; fuisseque authenticam? eō quod non solum approbationem obtinuerit Ecclesiaz saltem tacitam; sed etiam ut dictum est, citentur in Noyo Testamento, & apud Sanctos Patres testimonia Testamenti Veteris juxta illam Græcam versionem.

PROPOSITIO IX.

Contra quæ sanè nihil faciunt, quæ nobis Hæretici objiciunt; nimirum 1. quod Interpretes isti plura prætermiserint oracula Prophetarum; de Christo præsertim, & sanctissima Trinitate. 2. Quod etiam ab his textui Hebraico sint multa superradita. Et 3. esse quoque in hac versione nonnulla, quæ cum Hebraica veritate videntur pugnare. Siquidem ubi habet Hebraicus Textus Genes. 26. Venerunt servi, & nuntiaverunt & dixerunt, invenimus aquam; in versione Septuaginta invenitur; non invenimus aquam, quæ sunt invicem contradictoriæ pugnantia, ac prorsus opposita; ut vides.

Etenim tria hæc nihil derrahunt ejus perfectioni: non utique primum in quo S. Hieron. Interpretes illos sic excusat; ut afferat, eos ne-

que negligenter nec malitiosè plura illa de Christo & sanctissima Tinitate prætermisssæ : sed prudenti pioque consilio ; tūm , quia hæc non erant illis planè perspecta : ideoque sa- tiūs duxerunt ea verbis ambiguis , & obscu- rioribus interpretari ; quæ deinde clarius evul- garentur exorta luce evangelicâ. Non item secundum quia , ut optimè respondet idem S. Hieron. de optim. Gener. Interpr. in illis ver- sionibus , non tam consideranda sunt verba , quām sensus : ad quem Septuaginta Interpretes nihil de suo addiderunt ; licet verba aliqua quæ deesse videbantur in Hebraeo textu ; in sua interpretatione adjunxerint ad sensum clarius exhibendum. Neque demum tertium , quod testimonium citatum ; cum non aduersetur dogmatibus fidei : & utraque versio historiæ posset æqualiter aptari : dicendum est , potuisse Interpretes recentiores habuisse præ manibus alia exemplaria Hebraica , juxta quæ sic ver- tendum foret , propter particulam hebræam Lo. quæ aliter posita significat non ; & aliter , ei. Et hinc est , quod Sancti Hier. & Aug. sic in hac parte loquantur. Prior de optim. Gen. Interpr. Discrepant , inquit , Septua- ginta Interpretum nostraque translatio : & tamen sermonum varietas spiritus unitate con- cordat. Posterior vero , lib. 18. de Civit. cap. 44. Multa , ait , sunt apud Septuaginta In- terpretes ; que cum ab Hebraica veritate dis- crepare putentur : si bene intellecta fuerint , invenientur ei non esse contraria.

PROPOSITIO X.

DIversos habuit status hæc versio miracu-
loſa; quatuor potiffimum, qui hic enu-
merantur. Primus est, in quo fuit in sua purita-
te & integritate; non ſolum ante adventum
Christi, quando fuit in magna veneratione;
tam apud Gentes extereras; quam apud Iudeos,
qui non poterant non venerari, quam inſo-
lito Deus ipfe miraculo venerabilem omnibus
proposuerat; immo eam in Novo Testamento
citari voluerat: fed etiam aliquo tempore
post Christum natum: quando fuit authenti-
ca, & fidei Norma, morumque Christiano-
rum; quandiu fuit incorrupta & integra, uſum-
que obtinuit in Ecclesia. Secundus, quando in-
cepit depravari temporibus S. Iustini Mart.
& Tertull. Quā tamen ætate corruptio ejus
non fuit essentialis, remansitque authentica.
Tertius, in quo depravata eft in multis exem-
plaribus; licet non in omnibus; pater, tum
ex locis aliquibus, in quibus corruptam fuiffe
manifestum eft; v. g. Ion. 3. ubi pro eo
quod citatur ex textu Hebraeo, *Adhuc qua-
draginta dies: & Ninive ſubvertetur.* Legi-
tur in versione Septuaginta, adhuc tres dies,
&c. in qua item translatione Septuaginta In-
terpretum, dicitur in Genesi. Mathusalem
vixisse annos quatuordecim post diluvium.
Cum iſtud fit contra fidem historiæ, ut ob-
ſervat S. Aug. lib. 15. de civit. cap. 13. tum
etiam ex contentione inter eosdem Sanctos
August. & Hieron. dum prior Lib. 2. de Doctr.
Christianæ cap. 15. censet versionem Septua-
ginta Interpretum præferendam eſſe Hierony-

mianæ ; quantumvis istam catholicam , Canonicam , & perfectam non denegaret : sed periculum timeret subversionis atque scandali , propter communem usum & publicam auctoritatem quam obtinuerat translatio Septuaginta Interpretum. Posterior è contra contendebat istam esse corruptam ac depravatam ; intellige in his codicibus seu exemplaribus quæ ipse præ manibus habebat. Quartus status est quem habet eadem translatio post duas correctiones suas ; alteram Cardin. Xymenii editam Compluti ; quam sic correctam continent Biblia Regia , & alteram Sixti V. Summi Pontif. qui etiam veterem emandavit , usus operâ Cardin. Carraffæ , & industria plurium Doctorum : quæ bis fuit Romæ Typis excusa ; scilicet græcè 1586. & latinè 1588. in qua plura leguntur , quæ non extant in ullo alio Codice Græco. Et ihæc certè incorrupta est , non tamen amplius authentica : cum Ecclesia solam Latinam talem declaraverit , ut ostensum est.

PROPOSITIO XI.

EX quibus constat falsam esse opinionem Montoyæ & aliorum , qui contendunt ipsam fuisse semper incorruptam , immo & modo authenticam. Contra primum est , quod de ejus corruptione seu depravatione aliqui sancti Patres sensere : quæ potuit contigisse , vel ex negligentia , aut imperitiâ Librariorum , vel ex malitia Iudæorum , qui vel obscuraverant , vel abstulerant , quæ de Christo fuerant in Scriptura Veteris Testamenti prænuntiata. Nec minus demonstrat correctio duplex , & emendatio quæ indiguit. Quod si auctores illi solum

intendant per eam incorruptionem versionis Septuaginta; quod scilicet in omnibus Codicibus fuerit multis erroribus immixta, non tamen eo sensu; ut idem loci & partes, ubique eandem depravationem acceperint; bene autem, ita ut una pars, quæ fuit in aliquo, vel aliquibus corrupta; in aliis remanserit integra, sicut de nostra Vulgata ante correctionem ejus diximus: non negatur eo sensu posse dici incorruptam propter rationem eandem. Quia scilicet non est probabile voluisse Deum permittere corruptionem totaliem hujus versionis miraculosæ; sicut non permisit Vulgatam Latinam totaliter depravar. Sed male hinc infertur posse dici amplius authenticam, ut mox supra dictum est. Non tamen negari potest illam esse divinæ & infallibilis auctoritatis in his omnibus, in quibus à nostra Vulgata non discordat: sicut de characteribus & versionibus asseruimus, quæ sunt eidem vulgatae perfectè conformes: immò per istam, non secus ac per Hebræam, Chaldaicam, &c. quā parte sunt incorruptæ, potuisse & posse corrigi & illustrari; si quæ in Latina Vulgata correctione aut illustratione indigent, vel si erit opus apud eos qui ius istud habent, de quibus supra.

PROPOSITIO XII.

Tam si quis querat an testimonia citata à Scriptoribus Novi Testamenti ex Veteri fuerint omnia desumpta, vel à Textu Hebreorum ab ista Græca translatione; afferendum est non omnia fuisse desumpta ab ista translatione, sed aliqua ab ipsa; & alia ex He-

bræo Textu. Constat enim ex Evangelistis, Mathæum, Marcum & Ioannem citasse ex Hebræo, ut patet ex illorum lectione: Lucam verò tam in Evangelio; quam in Actibus Apostolorum juxta versionem Septuaginta Interpretum. Verùm quia Hebraicus & Græcus Textus aliquando perfectè conveniunt, & aliquando non conveniunt, propter rationem supra allatam, hinc est diversitas citationum, quæ in illis Scriptoribus sèpè deprehenditur. Sic verba hæc Zachar. 12. quæ citantur Ioan. 19. utpote, *Videbunt in quem transfixerunt*, potuerunt à Ioanne citari: quia in Hebræo reperiuntur. Non autem à Luca; quia in versione Septuaginta non sunt sic: è contra Lucas cap. 3. recensens Christi Genealogiam, Cahinam idcirco interposuit inter Sale & Arphaxad: quia ita legitur Genes. 12. in versione Septuaginta Interpretum, quamvis istud non legatur in Hebraico, vel Chaldaico Textu.

ARTICULUS VIII.

*De Latinis versionibus Scripturae ultra
Vulgatam.*

PROPOSITIO I.

MULTÆ ac ferè innumeræ recensentur Scripturæ versiones latino idiomate; ut testis est fidelissimus Aug. lib. 2. de doctr. Christ. cap. 11. dicens. *Qui ex Hex*

N. vij



brae in Grecam linguam Scripturas verterunt; numerari possunt. Latini autem Interpretes nullo modo. Ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit Codex Graecus; & aliquantulum facultatis sibimet utriusque lingue habere videbatur; ausus est interpretari. **H**icit subscriptabit S. Hieron. addens. Apud Latinos tot sunt exemplaria, quot Codices: cum unusquisque pro arbitrio suo vel addiderit, vel substraxerit, quod ei visum est. Ex quo obiter infertur, ante tempora illa nullam fuisse factam versionem latinam, ex Textu Hebreo immediate, sed ex Graeco solum; & quidem ex ipsa translatione Septuaginta frequentissimè. Ratio autem seu congruentia facti hujus assignari potest; quod Vulgata Latina fatura esset, & quidem sola authentica; stupendum non est versiones latinas excedere quascumque alias, vel tamquam præfigia futurorum; in his quæ præcesserunt; vel tamquam efficiens & confirmationes divini hujuscce consilii.

PROPOSITIO II.

EX illo ingenti numero latinarum versionum ultra Vulgatam novem subsequentes enumerantur, tanquam clariores, & magis notæ, de quibus singulis hic aliquid dicendum est particulariter.

Prima est versio Sanctis Pagnini Lucensis Ordinis Prædicatorum, viri doctissimi, & trium linguaram principalium peritissimi; nempè Hebraicæ, Graecæ, & Latinæ: quam iste aggressus est hortante & juvante quoad sumptus omnes Leone X. Pontifice Supremo. In illa Auctor eā quā potuit fide, & diligentia



Vetus Testamentum ex Hebræo Textu in lingnam latinam traduxit multis vocibus hebraicis, quas alii in latinas inflexerant; prolationi hebraicæ restitutis: superpositis accentibus singulis dictionibus: additisque in margine numeris, qui indicant versiculos capituli cujuscumque ipsius Scripturæ. Novum vero ex græco exemplari transtulit, servans ubique vulgatæ editionis auctoritatem. Hanc Veteris Testamenti versionem latinam probant Rabbini maximè: præferuntque cæteris quibuscumque translationibus latinis: Genebrad. è contra Doctor clarissimus eam taxat tamquam minus diligentem, nimis ambitiosam, nimis grammaticam, nimisque æmulam Rabbinicarum minutiarum: in propriis nominibus fluviorum, & hominum patrum fidelem: immò & asperam; quatenus quod dulcius sonat latinis auribus, ad sonum hebraicum voluit attemperare; substituendo, v. g. vocem Iahacob voci Iacob, & vocem Ischaae, voci Isaac, &c. Nec minus huic interpreti adversantur Possevinnus & Erostratus. Testatur prior quasdam ejus annotationes, sive fuerint ab illo editæ, sive operibus ejus insertæ; explosas suis ab Hispanis expurgatoribus, quatenus eis visæ sunt judaizantes. Posterior vero, qui ipsum bellum speciale, & apertum indixit; nihil mirum, si eum ubique ferè carpat ac reprehendat. Ipsum tamen defendit Benedict. Arias Montan. Hispalens. qui etsi non difficitur, multa in hac versione deprehendi, quæ non fuerunt accurate examinata, & expensa ad Hebraicum Textum, neque traducta fideliter: contendit tamen cuncta ab eo sic emendata; ut propè novam traductionem scripserit. Venia certè, immò laude dignus est Pagninus; qui opus summa

& suæ Academiæ Parisiensi , & toti Ecclesiæ submisit , ut decuit . Cujus enim quæso opus lectio ni publicæ exponitar , quod limâ non indigeat , & suos non habeat nævos ?

Secunda est Cajetani , qui in extrema senectute Vetus Testamentum ex Hebræo latinè vertit , & Novum ex Græco : ubi monet ipse Psalmterii translationem factam inspectis versionibus quatuor ejusdem : & ope quorundam Iudaorum , præsertim duorum ; unius neophiti , & alterius in sua Iudaica perfidia , & obstinatione remanentis . Contra hanc insurgunt aliqui , in primis Melchior Canus lib . 2 . de locis , cap . 23 . ubi ipsi reprobat Psalmorum versionem ; quam , ait , dum voluit fidem reddere ; inutilem redidit ad usum Ecclesiæ . Deinde Ambros . Cathar . ejusdem Ordin . & Archiep . Camp . qui contra Cajetani opera sex libros scripsit Annotationum . Denique & Gretserns tom . 1 . in Bellarm . ubi taxat eundem Cajet . tanquam Rabbinicum , solæcum & barbarum . Sed certè quidquid dicant isti ; tūm hac , tūm cæterorum catholicorum versione uti licet , ad elucidationem vulgatae editionis & intelligentiam Scripturæ , ut nemo refragabitur .

Tertia est Forerii Vlisipon . ejusdem Ordin . Præd . qui optimè tres linguis præcipuas callebat ; ut potè Hebraicam , Græcam , & Latinam : fuitque è numero illorum quos præfecit sancta Synodus Tridentina censuræ librorum prohibendorum . Istos libros scilicet Job , Davidis , Salomonis & Prophetarum vertit ipse ex textu hebræo de verbo ad verbum ; ad confirmandam auctoritatem Vulgatae editionis : immò & de sensu ad sensum expressit completestissime ; ut ostenderet auctorem ejus fuisse à Spiritu .

tu - Sancto adjutum ; ejus opera ab omnibus laudantur ac comprobantur.

Quarta est Isidori Clari Monachi Cassinensis, assumpti tandem ad Fulginensem Episcopatum. Hic totum corpus Bibliorum latinè transtulit cum annotationibus & scholiis. Opus ejus cum esset primum fidelibus prohibitum : præcisis deinde prologo , & prolegomenis restitutum est auctoritate Concilij Tridentini , ut patet ex tertia regula Indicis. Fuitque Venetiis editum. De versione Guidon. Fabricij Boderiani , quæ est Novi Testamenti ex Syriaco ; non instituitur hic novus ordo , eò quod in Bibliis regiis continetur.

Quinta est Vatabli ex hebreico & græco tex-
tu. Qui istam cum Tigurina confundunt ; satis omnibus persuadent , se neutram legisse ; deprehendet enim diversissimas , quicumque lectioni utriusque incambet. Hæc fuit aliquando à Roberto Stephano Typis excusa cum erroribus multis , quos ut probabile est , Typographus adjectit , à Fide Catholica alienus : quo-
rum prorsus incapax fuisset Auctor ; vir alioqui doctissimus , & trium linguarum , de quibus supra maximè peritus : idcirco tam ista editio , quam omnia transumpta ejus prohibentur. Salmantica anni 1584. solùm permittitur ; quæ fuit diligentiā Theologorum expurgata ; servatis iis omnibus quæ præcipiuntur in tertia regula Indicis. Vides inter præcitos Interpretes , ac inter ip-
orum opera à nobis ordinem temporum non observari : quatenus ad nostrum institutum nihil faciat ille ordo ; neque ad historiæ verita-
tem.

Sexta est Augustini Iustiniani Episcopi Ne-
bieni in Corsica ex Ordine Præd. assumpti

viri doctissimi, linguarum Orientalium peritissimi : qui floruit sub Leone X. Summo Pontifice , claruitque in Concil. Lateran. sub illo. Hic primus omnium Vetus Novumque Testamentum , quinque præcipuis linguis , ut potè hebræa , chaldaica , græca , latina , & arabica in corpus unum compilavit. Quod Biblia Octapla appellavit ; propter columnas octo , quas instituit in paginis singulis instar Origenis hoc ordine : In prima ponitur Textus Hebraicus : in secunda , istius interpretatio latina verbo ad verbum : in tertia , latina communis seu vulgata : in quarta , versio græca : in quinta , arabica : in sexta , chaldaica hebræis litteris scripta : in septima , latina ipsi respondens : & in octava , scholia quadam brevissima per intervalla sparsa & intercisa , contra errores Iudæorum. Hujus manuscripta dicuntur asservari Genuae in archiviis Serenissimi Senatus. Psalterium fuit in illa urbe typis excusum anno 1516. & Leoni X. Summo Pontificè dicatum.

Septima est Cardinalis Ximenii Archiep. Toletani , necnon Hispaniarum Archicancellarii , sub nomine Complutensium Bibliorum. Complectitur versio hæc tam Novum , quam Vetus Testamentum , linguâ multiplici ; ut potè , Hebraicâ , Chaldaica , Græca , & Latina ; opus quoque Leoni X. dicatum , multa diligentia , curis , laboribus , & sumptibus elaboratum : accedit undique viris doctissimis , linguarum præcipue istarum peritissimis ; & exemplaribus restitutissimis ex Bibliothecis Vaticanâ , Medicæ & Venetiana maximè. Hujus dispositio sic habetur. Continetur in primis in eo opere Pentateuchi triplex editio ; scilicet Hebraica , Chaldaica , & Græca Septuaginta Interpretum :


quibus adnuntur tres latīnae versiones ipsi singulis respondentes: nimirūm hebraicæ latīna Sancti Hieronymi: chaldaicæ alia latīna; & græcæ latīna sine nomine Auctōrum: postrema est interlinearis. Librorum agiographorum & propheticorum solum duplex hic extat editio: hebraica nimirūm & græca Septuaginta, cum latīnis interpretationibus ipsis correspondentibus: Chaldaica idcirco non fuit hic reposita; quod fabulis Thalmudistarum scateat; præterquam in Pentateucho: Libros autem reliquos, qui apud nos canonici sunt, non autem apud Iudeos, græcè solum inclusit cum duplii versione latīnā; nempe unā Hieronymi, & aliā interlineari, à verbo ad verbum. Novum denique Testamentum græcum, ibidem habet contextum cum versione latīnā Sancti Hieronymi, sine ullis tonorum aut spirituum notis; sicut græcè scribebatur antiquitus; adjecto solum apice in polysyllabis ob pronuntiationem, seu prolationem. Additur in fine tamquam complementum operis: Dictionarium Hebraicarum, Chaldaicarum & Græcarum dictionum; cum illis Scripturæ locis, in quibus Hebraica editio sensus multiplicat pro sua fœcunditate & concordantiis pluribus.


Otava, alio nomine Biblia Regia, utpotè Philippi II. Regis Hispan. Hæc nihil aliud sunt quam complutensia, iterum à viris doctissimis recognita, atque emendatissimè recusa: additâ paraphrasi chaldaicâ librorum omnium, qui extant in Canone Hebræorum cum vix tunc reperirentur Ximenii complutensia. Hanc editionem Sumptibus Regis hujusce, Antwerpianæ Typis excusam apud Plantinum anno 1578. Benedict. Arrias Montan. sue auxit Apparatu &

Dictionariis : plurimumque in eâ elaboravit. Sed certe tûm in hac editione Antuerpiensi , tûm in Complutensi duo notantur , quæ jure omnino reprehenduntur ab omnibus. Alterum est , quod translatio Septuaginta Interpretum , hic reposita , sit penitus inversa. Siquidem initia capitum & alia plura reperiuntur à sua sede sublata ac delecta , quæ erant in textu hebreico : adde quod pro interpretatione Septuaginta sèpè substituatur versio tûm Theodotionis , tûm Aquilæ. Et hinc sit , quod cum Gregor. XIII. Summus Pontifex istam editionem , non omnino correcitam publici juris fecisset ; consilio ejus qui fuit postea ejus successor , ntpote Sixti V. iste Pontifex factus caravit , ut opera Cardin. Caraffæ , & Flamin. Nobilii cæterorumque perfecta , ut nunc est , in lucem prodiret , cum latina interpretatione Vaticanæ editionis , anno 1588. Alterum est , quod in iisdem bibliis Vulgata non sit pura & fidelis , nec qualis est post correctionem Clementis VIII. immo nec qualis ante fuerat.

Vltimo loco recensemus Biblia Parisiis nuper edita impensis Michaëlis Lejay stadio & operâ Gabriëlis Sionitæ , Ioannis Morini & Abraham Echellensis , quorum tomi sunt 10. & Charta Imperialis , quæ dicuntur Eptaglotta , propter linguas septem , quibus in his Scriptura continetur. Hæc sanè cæteras quascumque editiones similis instituti longè superant , & characterum elegantiam ac pulchritudinem , & chartæ magnificentiam & monumentorum additionem , de quibus filetur in aliis. Etenim hæc continetur Pentateuchus Samaritanus cum sua versione samaritana & latina : Syriaca versio Veteris Testamenti : versio Arabica , quæ singu-

la in Bibliis Regiis non extant. At nec ista editio est sine multiplici defectu, ut observat Domin. à SS. Trin. qui istos recenset: 1. quod præter negligentiam Correctorum, ob quam mendis obscuratur opus adeo magnificum: desit illi Apparatus cum Prolegomenis, appendicibus, variarum lectionum indicibus, &c. quæ ad ejus perfectum complementum spectabant. 2. Quod Latina versione careat, quæ explicet Hebraicum textum de verbo ad verbum. 3. Quod neglecta versione Græca Septuaginta Interpretum Romanæ editionis; isti prælata sit Complutensis: quæ est, ut diximus omnium imperfeci-
tissima, propter admixtionem aliarum versionum Græcarum. 4. Denique, quod pro vulgata Latina correcta ac emendata à Sixto V. & Clemente VIII. alia substituta fuerit, mendis plurimis scatens; contra illorum Summ. Pontif. Decret. De Poliglottis Londinensibus taceo; tūm propter Auctorem Hæreticum: tūm, quia audio propter multa prohibita esse à sancta Sede Apostolica. De prædictis & similibus nulli dubium esse potest; quatenus conformia sunt Vulgaræ Latinæ, magnam habere apud fideles auctoritatem laudeque dignos maximè, qui huic piissimo studio hactenùs incubuerint & in-
cubent juxta datam sibi facultatem à supe-
rioribus.






QUÆSTIO VIII.

De sensu Scripturæ Sacrae.

C A V S A materiali Scripturæ fit transitus ad formam; in qua hæc prima pars Notitiae Scripturæ conquiescat. Ad istam duo adhuc pertinent; de quibus hic inquire potest circa Scripturam in genere sumptam: alterum est sensus ejus; & alterum ejusdem interpretatio. De hac investigabitur quæstione sequenti: in ista vero de sensu Scripturæ. De illo agitur in genere sumpto in artic. 1. Deinde de litterali in art. 2. De spirituali in 3. utque unus per alium melius explicetur; in 4. comparabuntur invicem duo illi sensus: & in 5. inquiretur de sensu accommodatitio.



ARTICULUS I.

De sensu Scripturæ Sacræ in genere.

PROPOSITIO I.

PRÆSUPPOSITO, quod nomine sensu Scripturæ nihil aliud hic intelligatur; quamquod per ipsam nobis exprimitur juxta Dei intentionem, Auctoris ejus principalis, ut communiter ab omnibus admittitur; afferendum est contra Porphy. & Celsum Lutheran. quibus subscribit Erasmus, & maximè contra Kekermanum, qui inter errores pontificios primùm recenset; quod à nobis admittantur plures Scripturæ sensus: afferendum inquam est, plures esse Scripturæ sensus. Id enim expressè docent Sancti Patres consensu unani. Siquidem præterquam quod utroque sensu, hoc est, litterali & mystico scripturas interpretati sunt, quotquot vel totam Scripturam, vel partem ejus aliquam exposuere. S. Gregor. Naz. in Epistola ad Nemes. dicit, est etiam in Scripturis nostris duplex sensus: alter internus, spiritalis; alter externus, nec litteræ cordicem excedens. Sanctus Ambros. lib. 8. in Luc. cap. 18. non una, inquit, tantum figura; sed multiplex in scripturis esse consuevit; ut unus sermo plures species comprehenda. Sanctus Hieron. ep. ad Damas. Non sunt, ut quidam putant, in scripturis verba simplicia, plurimum in his absconditum est. Alius littera, aliud mysticus sermo significat. Idem testati

funt ante, & post istos, vel etiam simul plures alii. Dyonis. lib. de Eccles. Hierarch. cap. 1. Clemens Alexand. lib. 5. Strom. Origenes, Homil. 2. & 7. in Genes. Cyrillus, Prol. in Levit. Chrysost. Homil. 37. in Genes. August. de Civit. Dei, cap. 27. Gregorius Magnus, lib. 20. Moral. cap. 1. Bernardus, serm. 47. & 31. in Cant. Sanctus Thomas 1. p. q. 1. art. 10. Hugo Victor. &c.

Hanc nostram sententiam demonstrant evidenter plura Scripturæ loca; in quibus sub una littera duplex sensus reperitur, ut sunt, v. g. illud Genes. Relinquet homo patrem & matrem; & adhærebit uxori sue: quibus importatur litteraliter indissolubilitas matrimonii quoad vinculum: & tamen eodem loco utitur Apost. 5. ad Ephes. ad significandam unionem Christi cum Ecclesia. Deinde ubi cap. 16. Gen. Scriptura recenset Agar peperisse Abrahæ filium nomine Ismaëlem. Et cap. 21. Sarah eidem peperisse Isaac; quod litteraliter verissimum est. Apostolus tamen ad Galat. 4. explicat locum illum mysticè dicens; Quæ sunt per allegoriam dicta: hæc enim duo sunt Testamenta. Demum illud Oseæ 11. Ex Ægypto vocari filium meum; quo litteraliter significatur liberatio Israëlitarum de captivitate Ægyptiacâ: Christo tamen applicatur Matth. 2. ex Ægypto in Iudeam redeundi post mortem Herodis, &c. Idem confirmat ratio efficax: quia cum respectu Dei non minus res ipsæ significant, quam verba, utpote, qui nec rebus, nec verbis adstringitur, ut homines ipsi adstringuntur: & ipse sit, qui nobiscum loquitur in Scripturis: velitque res sèpè alias res nobis significare; ut patet ex dictis mox, magisque patet: necesse

SCRIPTURÆ SACRÆ. 311

est plures esse sensus etiam sub una littera in Scripturis. Nec minus istud evincunt tres congruentia subsequentes. 1. est ; quod cum verbum creatum , quale est Scriptura , sit participatio verbi increati ; & istud sit infinitè expressivum ; quatenus repræsentat omnia perfectissima , quæ sunt infinita (syncathegorematice intellige ,) debuit de rebus creatis hoc verbum Dei scriptum totum illud exprimere , quod exprimi potest & verbis & rebus. Quod fieri nequit , nisi habeat plures sensus ; ut patet. 2. est : Quia multiplicitas illa sensuum magis commendat Scripturæ excellentiam , & auctoris ejus sapientiam infinitam ; ut observat S. Aug. lib. 2. Confess. cap. 10. & 12. & 13. Constat enim quanto scriptura aliqua fecundior est , eo esse eminentiorem. 3. Quia istud ex hoc conveniens fuisse convincitur , quod sic evitatur ; ne fidei veritas indignis exponatur ; ideoque præter sensum litteralem debuit esse sensus alius , ac proinde iste multiplex asseri.

Nec nobis opponat quis ex illâ multiplicatione sensum sequi infallibiliter esse aliquam in Scripturis æquivationem ; quæ oritur plerumque ex multiplicatione sensuum. Etenim nihil magis falsum est ; quam quod ex nostrâ sententiâ sequi effingitur : quia æquivocatio fundatur in voce , quæ plura significat ; ut videre est , in voce canis , quæ terrestrem , cœlestem , & marinum significat. Non autem provenit ex hoc , quod res & voces significant , ut hic fit ; maximè si per voces significata ordinentur ad ea , quæ significantur per ipsas res. Talis enim sensus uterque à Spiritu - Sancto intenditur ; estque potius sublimitas quædam , & magnificentia divini sermonis , ut diximus.

Quod non videtur in æquivocationibus & amphibologiis, ut erant, quibus utebantur dæmones, dum sua promebant oracula quibus Gentiles decipiebant, v. g. quando respondit *vetus Oraculum Pyrrho*

Aio te Lacida Romanos vincere posse.

Quo nihil obscurius & magis incertum. Quis enim ex hoc certò inferat, an Pyrrhus quem hic oraculum alloquitur, sit victurus Romanos, an Romani Pyrrhum: nihil est in hac Scriptura nostra simile.

PROPOSITIO II.


OMNES illi sensus Scripturæ reducuntur ad duos principaliores seu universaliores; ut potè, litteralem seu historicum; & spiritualem seu mysticum; sub quibus omnes alii continentur, ut infrà dicetur; sive, quod idem est, sensus Scripturæ in genere sumptus dividitur primâ & universalí divisione, in litteralem & spiritualem contra prædictos Hæreticos, qui spiritualem abjiciunt: aliosque plures qui litteralem non admittunt: è quorum numero est præcipue Sebastian. Francius, qui vocat hanc sensum gladium Antichristi; secutus Philonem Iudæum, qui primus hanc errorem excogitavit lib. de vit. contempl. de quo S. August. lib. 12. contra Faust. cap. 39. ait: *Cum Christum non haberet, in quem referret, quæ dicere, ostium non invenit;* & var'is est actus erroribus.

Nostram propositionem probant omnia Sanctorum Patrum præcitata testimonia; qui dum docent sensum Scripturæ esse multiplicem & assignant, ut species principaliores, sensum externum seu litteralem, & internum seu spiritualem;

tualem; ut demonstrant expressè verba citat. Sancrorum Greg. Naz. & Hier. idemque confirmant tūm ratio allata, tūm congruentia ad statuendam prædictam primam nostram hujus articuli propositionem; aperte statuunt assensum hunc utrumque esse necessariò admittendum, bonamque esse divisionem & essentialem sensus Scripturæ in litteralem & spiritualem.

Etenim cum litteralis dicatur, & verè sit; qui per voces seu litteras Scripturæ intenditur, & immediate exprimitur, sive propriā significatione, sive impropriā, hoc est metaphoricā aut parabolicā: spiritualis è contra, qui mediatè, hoc est per res ipsas importatur, quas voces ipsæ immediate significant; & à Spiritu-Sancto intenditur, non secus ac litteralis: Quis non videat inter illos esse rectè distinguendum? Adde quod litteralis in verbis importatur, & spiritualis in rebus per verba significatis, sicut verba significativa sive mediatè, sive immediate significant, invicem contra distinguntur; ita & sensus illi, qui per ea importantur. Vnde consequens est omnem sensum Scripturæ esse vel litteralem vel spiritualem.

Nec potest nobis objici in contrarium sensus accommodatius; qui nec litteralis nec spiritualis est: quia, ut dicetur art. 5. sensus hic nec ipsius Scripturæ Sacræ, nec Scripturæ cuiuscumque alterius sensus propriè est; sed valdè impropriè, de quo hic non agitur; sed de proprio, à Spiritu - Sancto intento. Hanc nostram sententiam ac propositionem magis adhuc confirmabit subsequens.



PROPOSITIO III.

Sensus iste uterque , hoc est litteralis & spiritualis reperitur in uterque Testamento , Veteri scilicet & Novo : ut iatis est manifestum ex locis citatis in prima propositione , & ex innumeris testimoniois , quæ possent adhuc citari Testamenti utriusque , in quibus uterque ille sensus clare deprehenditer : à quibus abstineo ; quatenus istud est obvium omnibus . De veteri duæ sequentes instantiæ probant . Prima est ; quia ejus status id potissimum requirebat . Etenim cum ea quæ facta sunt in veteri lege , & nobis scripto tradita , essent umbræ & figuræ futurorum , teste Apostolo , quibus sic ad eam adunabantur fideles illius temporis , quæ erat revulsa in lege gratiæ ; signis illis adventum Christi , factaque ejus & dicta præfigurantibus : necesse fuiz ut Scriptura Veteris Testamenti , præter litteralem sensum , qui ipsi à nullo denegari potest , haberet insuper & spiritualem , ut clarum est . Secunda ; quia nisi ultra sensum litteralem esset in Scriptura illa Veteris Testamenti , sensus quoque spiritualis ; plura essent , quæ viderentur abjecta , v.g. quod Abraham duos habuerit filios ; unum de ancilla & alterum de libera ; quod Hædus non esset coquendus cum lacte matris , &c. quæ tamen propter sensum spiritualem , sublimia sunt , & digna suo Auctore . De Novo idem probant duæ instantiæ mox aliatæ : nam quamvis in hac lege sit fides magis explicita : (ex quo sensus spiritualis in Veteri fuit magis requisitus :) quia tamen in Novo Testamento multa sunt , quæ figuræ sunt eorum , quæ in futura gloria à nobis sperantur ; & quia quædam leguntur in isto , quibus aliud innui-

ter; ut sunt, v. g. maledictio sicutneæ infructuosa à Christo lata; lutum ex sputo, & pulvere appositum supra oculos cæci à nativitate, &c. satis evidenter infertur necessariò requisitum fuisse sensum quoque spiritualem in Novo Testamento: licet in eò minus, quam in Veteri frequentem. Quod adhuc specialiter manifestat liber Apocalypsis; cuius totus sensus non videatur esse alius; quam mysticus seu spiritualis; immò, & quia Christus ipse, qui est Auctor Novi Testamenti; vitam suam & actus suos sic disposuit; ut nobis in exemplum essent, & in morum instructionem. Hinc sit, quod de eo, in Novo Testamento hic asseritur; nempe istud præter sensum litteralem importare moralem seu tropologicum. Observa tamen hic quæ de utroque sensu diximus, ac de utroque testamento, non esse sic accipienda; ut necesse sit in singulis Scripturæ partibus duos illos inesse sensus. Falsum istud esse infra demonstrabitur; quamvis sèpè, immò & frequentissimè duos illos sensus importet: immò aliquando plures illa, five litterales five mysticos: ratione fœcunditatis ejusdem Scripturæ Sacræ.

PROPOSITIO IV.

Proprium est Scripturæ Sacræ, & nullè alteri Scripturæ commune, duos illos habere sensus: sic docet Sanctus Thomas, I. p. 9. 1. art. 10. cui subscribunt Théologi communiter: probatque rùm auctoritate S. Greg. & 20. Moral. cap. 1. sic habet. *Sacra Scriptura omnes scientias, ipso locutionis sue more transcendent: quia uno eodemque sermone, dum narrat gestum; prodit mysterium.* Tùm etiam O ij

hac ratione efficacissimā , quam leviter attigimus supra : quia scilicet , cum Deus sit Author Scripturæ principalis ; & in ejus potestate sit , non solum voces , sed etiam res ipsas per voces significatas , aptare ad res alias significandas , quatenus ejus supremum & infinitum Dominium , non minus in res extenditur , quam in voces : certum est , ita illas aptasse ; ut nemini potest esse dubium : ad suam magnificentiam in hoc verbo suo ostendendam , atque ad distinctionem & præminentiam Scripturæ Sacrae supra cæteras. Additur , cum homines potuerint quidem voces instituere ad res significandas ; non autem res ipsas , ut per se notum est : evidenter inde colligitur , Scripturæ Sacrae proprium esse , & nulli humanæ scripturæ communae ; duos illos sensus habere. Est enim à Deo , ut auctore suo principali , non autem ab hominibus.

PROPOSITIO V.

SCIO , nec me latet : nobis opponi ab adver-
sariis in contrarium , duplarem illum sen-
sum in humanis , immò & prophanis reperiri :
ex quo inferant istud non esse Scripturæ pro-
prium. Nam ut instant : Poëtae per suas fabulas ,
& Oratores figuris suis , præter ea quæ voces
sonant , alia legentibus & audientibus signifi-
cant. Addunt esse aliquos qui res ipsas ordinant
ad res alias significandas ; ut nemo abnuet ,
qui legerit Ægyptios in suis Hyeroglypticis ,
Deum representasse moderantem omnia per
Sceptrum Regium , cuius vertici oculus &
auris insidebant , ut dictum est suprà. Sed certè
leviora sunt hæc , quæ à propriâ sententia nos

dimoveant. Etenim quod spectat ad Poëtas & Oratores: non diffiteor posse quidem illos uti fictionibus & figuris ad aliud significandum, quam quod voces illorum & verba sonant. Verum generaliter solum, & per modum similitudinis ad circumloquendum: non tamen ita specialiter, ut possint ipsi res aliquas ordinare ad significandas alias res modo mystico; hoc est, per modum finis vel medii. Quod solius Dei proprium est; qui, ut docet S. Thom. *quod lib. 7. art. 16. ad significationem aliquorum, cursum, adhibet rerum suæ providentiae subjectum*; inquantum ipse est supremus rerum Dominator; quod nequit præstare, ut patet, nulla humana facultas seu potentia. De Symbolis vero & Hyeroglyphycis Ægyptiorum, dico id discriminis esse inter symbola ipsorum, ceterorumque hominum quorundamque, ut homines abuti possint rebus naturalibus iam factis & existentibus; sed à Deo ad suos fines determinatis ad rerum aliarum significationem: propter aliqualem ipsarum convenientiem, ut patet de Sceptro illo ~~deinde~~: sed Deus res ipsas ad hoc ipsum significandum producit, statuit, ac determinat, v. g. quod Ismaël nasceretur de ancilla, ad significandum Vetus Testamentum; & Isaac de libera, ad designandum Novum. Vnde in istis & non in illis est verus sensus spiritualis seu mysticus.



ARTICULUS II.

De sensu litterali Scripturae.

PROPOSITIO I.

SENSUS Scripturæ litteralis non est, ut ipsum definit Abul. in cap. 13. Matth. quest. 8. utpote. Quem quomodocumque *Spiritus - Sanctus* intendit: seu, quem voces, aut res per voces significatae designant, modo à *Spiritu - Sancto* fuerit intentus. Neque etiam, ut aliqui definiunt apud Loream. Tract. 22. disp. 15. scilicet; *Qui à proximo auctore Scriptura fuit intermixta.* Duarum priorum; quæ sunt ejusdem auctoris; & quarum subsequens est solum fusior explicatio: nullitas manifesta est; vel ex eo solum, quod ut iam dictum est, cum tam spiritualis, quam litteralis intendatur à Deo: per istam definitionem non excluditur spiritualis à litterali ut specie distinctus: aoproinde illa non constant differentia, quā consolare debent; nisi velit auctor, (ut à multis accusatur,) abjecere penitus sensum spiritualem: vel saltem ipsum confundere cum accommodatio: intelligens nomine sensus litteralis, tamquam quem faciunt res, quam quem exprimunt voces: Ita ut apud ipsum idem sint sensus litteralis ac proprius: quasi verò etiam spiritualis proprius non sit? & nomine spiritualis intelligi debeat accommodatus; qui improprius est in quo describitur à Catholicis omnibus.

PROPOSITIO II.

POstrema definitio non solum est nulla sed etiam erronea. Deo enim subtrahit, quod sit auctor sensus litteralis, ut evidens est; ac proinde totam vim, & efficaciam Scripturae diluit & enervat in confirmandis Mysteriis Fidei, & morum principiis; quæ magis, ut dicitur, confirmantur sensu litterali, quam spirituali. Adde quod sic Scriptura ipsa verbum Dei non esset, sed pure humanum; saltem quantum ad sensum litteralem: quæ quam à veritate & fide aberrent, nemo non videt.

PROPOSITIO III.

BEnè definitur sensus litteralis à S. Thom.
1. p. q. 1. art. 10. Qui proximè & immati-
tè, ex vocum significatione; sive propria, sive
translatitia, aut metaphorica colligitur. Seu
quod idem est: Qui significatur propriè aut
figurativè. Ratio ejusdem Doctoris Angelici
est: Quia sensus litteralis est ut patet ex ter-
minis, sensus vocum per seiphas; aut qui ex
ipsa verborum significatione rectè accipitur.
Et quia duplex est verborum significatio; alia
propria, & alia figurata; idcirco sensus littera-
lis in Le sumptus, ut continet tam proprium,
quam improprium; rectè hoc modo definitur
seu describitur. Hæc enim explicatio illum
nobis exhibet, ut ab alio quocumque sensu
distinctum. Hoc ipsum confirmant aliqui; quia
non alio modo se habet sensus litteralis, quan-
tum ad hoc in Scripturis Sacris, ac in humanis;
ut clare infertur ex eo quod communibus &

nitatis inter homines verbis & vocibus uti voluit Spiritus - Sanctus in Scripturis : ergo cum voces & verba in humanis aliquando primam intentionem loquentis exprimant, seu conceptum ejus, hoc est juxta id à quo nomen imponitur, seu secundam propriam significacionem ; aliquando secundam seu translatitiam, juxta id ad quod significandum nomen imponitur ; secundum minus propriam significationem. Sensusque litteralis in scripturis humanis dicitur, qui per voces alterutro ex his modis sumptas importatur : ita fieri debet in Scripturis sacris & divinis. Ex his habes ; cur sensus iste litteralis appelletur : cù quòd scilicet, per voces seu litteras primò exprimatur. Externus deinde, quatenus per voces sive ore prolatas, sive scriptas extra exprimitur quidquid in Scriptura continetur. Et demum historicus ; quatenus contenta in Scripturis enarrat, &c.

PROPOSITIO IV.

Sed contra nostram sententiam cum insurgant adversarii ; multos sanctorum Patrum, & quidem insigniorum ; qualis sunt Orig. Ambros. Chrysost. Hieron. August. Gregor., &c. sensum metaphoricum appellare spiritualem : ex quo inferant malè includi in litterali, ut tamen includit nostra definitio • evanescit prorsus objectio hæc ; si respondeatur, sanctos illos Patres sensum metaphoricum dixisse spiritualem ; non utique strictà significazione, sed latissimā ; quatenus sicut includitur spiritus in littera, ita metaphora in proprio sensu : vel quatenus recedit à cortice litterarę, ut ait Sanctus Gregorius Nazian. aut

SCRIPTURÆ SACRÆ. 321
litteræ superficie , ut loquitur Gregorius
Magnus.

PROPOSITIO V.

SI urgeant ; sicut urgent communiter , sensum metaphoricum non convenire vocibus immediate , ut notat Lyran. in prol. 3. postill. bibl. patetque exemplo isto, v. g. quando dicit Scriptura , *vicit Leo de Tribu Iuda* ; vocem illam *Leo* , non significare Christum immediate , sed animal forte ; quod est figura ejus. Respondendum est in exemplo citato , vocem illam *Leo* , de qua hic agitur , significare in se quidem animal forte , melius dicam rugibile ; non autem ut determinatur per voces superadditas ; nempe *de Tribu Iuda* : quibus vox *Leo* conjuncta verè Christum significat ; quod est , ut vides , vocem , quæ ut in se sumpta potuisset pati aliquam equivocationem , determinari ex antecedentibus & consequentibus , ad significandum illum Leonem , qui est Christus immediate. Ex quibus diluitur difficultas proposita : nec sanè facit hic aliquid contra nos auctoritas Lyrani , qui fatetur Scripturam posse esse , immò esse alicubi , sine ullo sensu litterali ; quod brevi ostendetur esse falsissimum.

PROPOSITIO VI.

Q Vandò autem instant Hæretici quidam à nobis inquirentes , quis sit sensus ille litteralis istorum verborum Psal. 90. Super aspidem & basiliscum ambulabis , &c. aut quomodo voces illæ immediate significant ea , quæ

O ✓

his verbis importantur. Respondemus in his & similibus ; distinguendum esse inter id a quo nomen imponitur , & illud ad quod significandum nomen imponitur. Quod explicat Sanctus Thomas i. p. q. i. art. 10. ad 3. in expositione hujus loci , *Brachium Dei cui revelatum est?* In quo sensus litteralis non est ipsa vox figuram exprimens, sed rem figuratam: quæ est virtus Dei operativa , quæ nomine brachii hic exprimitur ; non autem brachium aliquod corporale, quod Deo prorsus repugnat. Ex quibus colligis Psalmistam nomine basilisci & aspidis , non intellectuisse hæc animalia : sed diabolum , ad quem significandum illa assumuntur ; & hoc sensu litterali verum est Christum ambulasse super aspidem & basiliscum , & concutisse leonem & draconem ; hoc est Dæmonem , quem devicit, ut nemo fidelis dubitat.

PROPOSITIO VII.

Sensus iste litteralis Scripturæ in alios ejusdem Scripturæ sensus subdividitur : ut pernitius probabit enumeratio & explicatio preci-
puorum. Prima igitur & principalis subdivisio
sensus litteralis est in proprium & improprium.
Proprius est & dicitur, qui in propriâ vocum
significatione fundatur ; ut est quem reddunt
hæc verba . Exod. 12. os non comminuetis ex
eo ; quibus prohibebatur fractio ossium agni
paschalis in comedione ejus , quæ fuit deinde
figura illius quod Christo in Cruce pen-
denti contigit ; utpote , quod ejus crura con-
facta non sint ; ut fuerunt duorum Iatrorum ;
ut observat S. Ioann. Evangel. citans illud va-
nissimum tunc impletum. Improprius est , qui

fundatur solum in voce translatitia seu metaphorica. Ut est, v. g. *Vicit Leo de Tribu Iuda*, Apoc. 5. Cum autem propria & impropria significatio litteræ sint differentiae plusquam numero oppositæ, dubitari non potest hanc subdivisionem esse generis in suas species. Vbi adverte; proprium sic appellari hic, non per oppositionem ad spiritualem, aut ad accomodatitum; licet etiam sic absolute dici possit; sed per oppositionem ad aliud sensum litteralem, utpote ad metaphoricum. Proprius mox dictus alio nomine dicitur litteralis simpliciter, utpote quatenus oritur ex propria & nativa vocum significatione: improprius vero seu metaphoricus alio nomine allegoricus appellatur, eo quod ex aliena & translatitia & contra oriatur significatione verborum. Sed dixi verborum: nam cum sit duplex allegoria: alia rerum, quæ ut satis patet, ad sensum litteralem propter hoc ipsum pertinere non potest, sed ad spiritualem: & alia verborum, quæ nihil aliud est quam figura orationis seu dictionis exornatio, nomine allegorice sumpto genericè, prout omnia genera schematum includit: & ab istâ dicitur sensus ille improprius seu metaphoricus, atque etiam allegoricus propter jam dicta.

PROPOSITIO VII.

Proprius sensus litteralis, seu is qui dicitur litteralis simpliciter, subdividitur deinde in historicum, ætiologicum & analogicum, ut docet S. Aug. cap. 2. in Genes. Sed membra ista dividentia non tam sunt species diversæ sensus litteralis, quam partes ejus, aut magis

diversi significandi ipsum sensum litteralem proprium, de quo hic agitur. Historicus dicitur, quo exprimitur narratio facti simpliciter; ut est, v. g. quo narratur initio Generos creatio mundi: Aetiologicalis est facti alicujus enarratio, cuius causa seu ratio assignatur; ut, v. g. quando Matth. 1. describitur Angelus alloquens Ioseph, dicens: *Vobis nomen ejus Iesum: Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Analogicus demum est, quo ostenditur veritatem unius loci Scripturæ non modò non repugnare alteri; sed è contra ei penitus conformari. Sic quando Marci 10. Ioannes Baptista introducitur dicens; *Ego vox clamantis in deserto: statim additur; sicut scriptum est in Isaia Prophetæ.* Ad istum autem reducitur ille litteralis sensus, qui est absque figura proprius; quo simile aliquid exprimitur per aliquam simile; ut quando Christus Luc. 6. suos excusat Discipulos vellentes spicas in die Sabbati; dum ad hoc essent fame compulsi, contra murmurantes Phariseos, exemplo Davidis, qui comedit in casu simili panes propositionis.

Dices: Totus sensus litteralis, ut suprà notatum est, appellatur vulgo historicus; ac proindè alias omnes species seu modos sensus litteralis includit: quomodo igitur hic à nobis asseritur; constituere unam speciem aut partem aut modum sensus litteralis proprii seu simpliciter dicti? Et quomodo adhuc hæc subdivisio sensus litteralis proprii legitima esse potest?

Respondeo nullam in hoc esse difficultatem; si à vertas sensum historicum dupliciter dici: scilicet latè seu universaliter; quando nihil

aliud importat, quām expressionem verborum ad ea significanda quæ continent hæc : & hoc modo, & nomine sensus historicus sic accepto, dicitur historicus sensus omnis litteralis. 2. Vocatur sensus historicus à nomine historiæ strictè sumptæ & specialiter : ut est narratio facti aliquujus vel dicti ; & isto modo appellatur species vel pars aut modus sensus litteralis proprii sensus simpliciter dicti, & ita vides legitimam esse hanc nostram sub - divisionem : & sensum historicum, de quo hie quæstio est, alios sensus litterales non includere.

PROPOSITIO IX.

I Mproprius seu metaphoricus, seu figuratus, in tot species sensus litteralis distribuitur, quot sunt species figurarum ; quibus vox vel ornatūs, vel necessitatis gratia à propria significatione ad alienam transfertur. Ad istum reducitur sensus parabolicus, qui verè litteralis est ; quatenus in parabola, id quod primò concipitur, est similitudo seu analogia rei aliquujus cum altera ; & tam illud, quod in exemplum adducitur, quām res, ad quam significandam istud exemplum assumitur, simul importantur : ut patet in hac parabola, quā Christus asserit : *Simile esse Regnum Cœlorum sermento, quod acceptum mulier abscondit in favina satis tribus.* Vbi tam factum mulieris illius litteraliter exprimitur, quām gratia Evangelii, quæ per illud regnum cœlestē, quod debet in corde recipi, & abscondi, significatur. Quod certè in metaphoris non sit : in quibus ad sensum litteralem pertinet solum impropria vocis significatio ; hoc est secundariò

importata: propria verò protrsus excluditur; ut patet in illo Ioann. 19. *Ego sum vitis; vos palmites*: ubi nec vitis, nec palmites propriè dicta exprimuntur; sed Christus ipse & discipuli ejus his verbis significati.

PROPOSITIO X.

Sensus litteralis nihil habet noxii aut mortifici; ut calumniantur Hæretici, maximè Phanatici; sed est utilissimus & maximè salutaris. Sic sentiunt sancti Patres, quotquot argumentum istud pertractarunt. Ath. serm. in illud Evangel. Proseclii in pagum, ait, *hac cum dico, historiam non aufero: non enim spiritu litteram tollimus; sed spiritus vim officiumque littera conservat.* Hieron. in cap. 4. Amos. Debemus Scripturam Sanctam primum secundum litteram intelligere. Et August. lib. 8. de Gen. ad litt. Sanè inquit quisquis voluerit omnia quæ dicta sunt, secundum litterant accipere; id est, non aliter intelligere, quam littera sonat: & potest evitare blasphemias, & omnia Fidei Catholicee predicare; non solum ei non est invidendum; sed præcipue multumque laudabilis intellectus habendus est. Ut verbis, sic factis ejusdem August. sententia nostra confirmatur. Etenim cum ipse diffideret verum sensum litteralem de mundi creatione posse se assequi; figuratè potius solum explicuit singula duobus libris contra Manich. Verum postea sensu litterali comperto libros duodecim scripsit de Genesi ad litteram. De cæteris partibus taceo: è quibus innumeris Sacram Scripturam suis litteralibus commentariis illustrant. Nec diutiùs immoror in re-

censendis triumphis , quos Concilia & sancti Patres in defendendis mysteriis Fidei ex Scripturis secundum litteralem sensum glorioſiſime reportarunt. Nunne Christus ipſe ſenſu litterali scripturæ uſus eſt ad confirmandam matrimonii indiſſolubilitatem ? citans illud Genes. 2. adhæribit uxori ſue. Ipmum Paulus Apoſt. imitatus eſt ; qui r. ad Cor. cap. 15. ex eadem Scriptura ſecundum litteralem ſenſum præcipua fidei mysteria nobis proponit ; aſſerens tra-dere ſe fidelibus quæ accepit : nemp̄ Christum eſſe mortuum pro peccatis noſtriſ ſecundum scripturas , ſepultum , ſurrexiſſe , &c..

PROPOſITIO XI.

Idem omnino manifestant tres ſubsequentes rationes. 1. eſt : Quod cum Scriptores ſacri nihil ſcripferint , niſi ex motione & illustratio-ne Spiritus- Sancti , ut dictum eſt ſuprà , tam ſenſus litteralis quam ſpiritualis scripturæ de-bet eſſe à Deo ut Auctore principali ; quatenus non minius litteralis quam ſpiritualis à Deo in-tenduntur : & litteralis ſit fundamentum ſpiritua- liſ , ut oſtendetur. Idecirco non poteſt eſſe no-eivus , ſed maximæ utilitatis , ut evidens eſt: 2. Quia ſi in Scripturis humanis ſenſus litteralis eo honore dignus judicetur ; ut nemo à ver-borum proprietate recedere prefumat ; unde tam in Iure Civili , quam in Canonico tot ti-tuli habentur de ſignificatione verborum : qua-nco magis in Scripturis divinis illud ipsum ob-ſervandum eſt. 3. Quia ex ſenſu scripturæ litterali innumera ferè à nobis comoda percepim-muſ ; per illum ſiquidem mysteria fidei edocen-tur ; qua ſecundum litteram in Scripturis

continentur ut plurimum ; morum ~~instructio~~
habetur , sive narratione factorum , quibus
Deus vel gravissima peccata punivit ; ut totum
mundum diluvio universali ; Sodomitas igne
cœlesti , &c. vel virtutes sanctorum præmio
etiam temporali remuneratus est ; puta patien-
tiam Iob , fidem , & obsequium Abrahæ , &c.
quibus tatis ostenditur : quantæ sit utilitatis
sensus scripturæ litteralis.

P R O P O S I T I O X I I .

UNUM opponunt nobis testimonium Scripturæ prædicti Hæretici , quo putant sententiam nostram penitus evertere : istud scilicet Apost. 2. ad Cor. 3. nempe , *Littera occidit ; spiritus autem vivificat* ; quæ videntur abjice-
re litteralem sensum tanquam maximè noc-
vum ; sed certè tot modis diversis explicatur hic
locus ; ut nihil minus adstruat , quam quod ad-
versarii imaginantur. Nam 1. ut volunt aliqui ,
hæc verba non de sensu litterali , vero , & legitimo intelligenda sunt , sed solum de apparenti ;
juxta illud August. *Non sonum litterarum ; sed quod ipse sensus significat* , & quod eo sono recte
& veraciter intelligitur , hoc accipiendum est.
2. Quia hic locus solum arguit illos , ut multi
interpretantur ; qui quod erat uno tempore
observandum , putabant debere observari per-
petuò : ut si quis v. g. contenderet præcepta
cærimonialia , aut judicialia Iudeorum esse
in hac lege gratia tenenda & implenda. 3. Quia
si ibidem Apostolus loquatur de sensu litterali
vero ; vel de eo loquitur , quod factum aliquod
levè aut turpè exprimit , aut contra mores in
sensu seu cortice litteræ ; cui neque nos ipsi

putamus immorandum ; sed è contra judicandum sub his contineri sensum aliquem spiritualem seu mysticum. Et in hoc sensu dixit Hieron. in cap. 5. ad Gal. *Multorum ergo malorum occasio est : si quis in Scripturæ carne permaneat.* Et Sanctus Greg. lib. 3. moral. *Aliquando res gesta in facto causa damnationis est ; in scripto autem prophetia virtutis.* 4. Denique quia Sancti Hieron. & August. illud Apostoli citatum , ut potè littera occidit , ad ipsum Decalogum contraxerunt ; cujus præcepta non possunt , nisi ex auxilio gratiae perfectè impleti , non autem ex solis viribus naturæ.

ARTICULUS III.

De sensu Scripturæ spirituali.

PROPOSITIO I.

Sensus spiritualis est qui per res ipsas vocibus significatas ; prout sic , vel sic à Deo ordinantur ad res alias significandas exprimitur : sicut satis evidens est ex jam dictis. Etenim cum sensus litteralis Scripturæ sit , ut ostensum est , quem voces immediate important , sive propriâ significatione , sive impropriâ , seu translatitiâ ac figuratâ ; & spiritualis à litterali contra distinguitur : consequens est ; spiritualem debere in sua definitione superaddere expressionem rerum , ad quas à Deo ordinantur res ipsæ per voces significatae , ut sàpè dictum est. Nihil enim aliud est per

PROPOSITIO II.

Dicitur sensus spiritualis; non quod solum fuerit a Spiritu - Sancto intentus: constat enim ex dictis intentum quoque fuisse & litteralem: neque etiam sic appellatur, quod datus sit ad salutem animae, vitamque ejus spiritualem conferendam ac dirigendam: istud namque praestat suo modo etiam litteralis, neque etiam quod spiritualis in omnibus litterali praeferendus sit, ut spiritus corpori: siquidem infra dicetur, litteralem esse spirituali praeferendum. Verum ex eo spiritualis vocatur; quod sicut anima spiritualis in corpore includitur, ita sensus spiritualis in rebus significatis per voces; vel etiam, quia cum res, ex quibus figura vel allusio constitueret, inferiores sint rebus figuratis; sensus, qui per priores exprimitur, se habet ut corpus: & qui vere per res figuratas, hoc est primari & principaliter significatas, ut spiritus: in quo sensus spiritualis litteralem excedit; cum ab isto excedatur in aliis; ut dicetur. Sensus spiritualis appellatur praeterea mysticus; hoc est occultus, & in secreto absconditus: in quantum distat a superficie litterae; & latet in rebus ipsis: aut ut melius dicam, sub littera legis; in qua fidei mysteria recondita continentur; juxta illud Apost. 1. ad Cor. 2. *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, que abscondita est.* Nec miretur quis: si sancti Patres de sensu allegorico, tropologico & morali satis frequenter loquantur: raro autem de spirituali seu mystico; cum tres isti sint tres species

sensus spiritualis, ut statim dicetur; atque ita sumantur species pro genere; ut sit satis communiter.

PROPOSITIO III.

Sensus spiritualis seu mysticus triplex reat assignatur: utporè, allegoricus, tropologicus, hoc est moralis: & anagogicus ut videtur docere Sanctus Aug. verbis lib. de ver. rel. cap. 5. Discamus, inquit, quis sit modus exponendi allegoriam; hoc est, sensum spiritualem, (siemptā specie pro genere): an sufficiat à visibilibus quæ præcesserunt, usque ad invisibilia recentiora eam perducere: an usque ad animæ perfectiones: an usque ad incommutabilem eternitatem. Et in libro 1. de Genes. ad litter. loquens simul de litterali, qui est fundatum sensus spiritualis; & de tribus speciebus istius; de quo hic quæstio est, dicit: In omnibus Sanctis libris intuēri oportet, que ibi aeterna intimentur; quæ facta narrentur; quæ futura prænuntientur; & quæ agenda præcipiantur aut monentur. Et Sanctus Hieron. Epist. ad Hebid. q. 12. ait: Unus sensus ad fidem & mores pertinet; alter vero quo ad sublimiora tenditur, & de futurorum beatitudine disputatur. In quibus, ut vides è sensu allegorico & morali unam speciem constituit; non infinitam, sed subalternam. Idem omnia in sensisse cæteros Patres notissimum est; vel eò quod omnes qui Scripturam interpretati sunt spiritualiter, seu mystice, ita Deo sic Ecclesiæ providente, divisi sunt ad partes suas impletandas; ut alii allegorice, alii tropologicè, seu moraliter; & alii anagogicè exposcent. Ra-

tionem hujuscè subdivisionis sensus spiritualis, videntur communiter Doctores ex illo deducere; quod tres sensus instituti judicentur ad tres virtutes theologicas confirmandas; ita ut ad fidem pertineat allegoricus simul cum litterali: anagogicus ad spem, moralis ad charitatem; ut duo sequentia carmina innuant.

*Littera gesta docet: quid credas allegoria:
Moralis quid agas: quid speres anagogia.*

Bonitatem hujuscè divisionis, seu potius sub-divisionis demonstrant duo argumenta sequentia. Primum est, quod eum Christus sit *finis legis*, ut ait Apost. ad Rom. 10. qui datus est nobis 1. ut esset auctor gratiæ; verus Messias in lege promissus; mundique redemptor ac instaurator. 2. Ut esset doctor noster, & proinde exemplar omnis virtutis. Et 3. ut esset gloriæ consummator in æterna beatitudine: debuit omnis sensus spiritualis, qui de Christo est; & ad ipsum spectat: esse 1. allegoricus, utpote ad ipsum ordinatus, ut gratiæ auctorem: quatenus quæ præcesserunt in lege veteri reperiuntur impletæ in nova: & idcirco de Christo; & de his, quæ propter nostram salutem operatus est allegorice dicta deprehenduntur. 2. Debuit esse moralis seu tropologicus; quatenus sensus moralis ordinatur ad Christum, ut est exemplar omnis virtutis, & Doctor omnis justitiæ per præcepta, quæ tradidit. Et 3. debuit esse anagogicus, qui exprimit quæ facta sunt, maximè in lege gratiæ; quatenus sunt signa eorum, quæ sicut in statu gloriæ. Et hic, ut patet, ordinatur ad Christum, ut gloriæ consummatorem; de quo ha-

betur Ioann. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, & quem misisti Iesum Christum, &c.*

Secundum argumentum pro nostra sententia confirmanda est: quod cum omnia quæ in sacris litteris traduntur; sint vel ad fidem confirmandam, vel ad mores instituendos fidelium, vel ad statum Ecclesie tam militantis quam triumphantis perfectè cognoscendum; primum præstat non solum sensus litteralis: è quo depromuntur argumenta efficacia ai fidem confirmandam, & defendenda fidei dogmata contra Infideles & Hæreticos: sed etiam spiritualis, qui etiam, ut dictum est, fuit intentus à Spiritu - Sancto; non utique ita communiter, sicut litteralis: bene tamen satis frequenter; quatenus secundum se habet auctoritatem infallibilem; immò & quoad nos; quoties vel per aliquod litterale testimonium scriptoræ aliquid de fide confirmatur; ac proinde si aliquis sacrorum Scriptorum hunc eundem sensum tradidit: vel si Sancti Patres sic exposuerunt, & Ecclesia approbat: & iste est ut patet allegoricus, quo exprimuntur quæ ad fidem spectant Christi incarnati, ejusque doctrinæ & operum: illius enim & istorum figuræ sunt quæcumque habentur in Veteri Testamento. Secundum sensus moralis exhibet, quo exprimuntur quæcumque in scripturis continentur, quibus diriguntur mores fidelium; ut quando assertur; Christum passum, afflictum, mortuum. &c. Santos omnes plura passus libentissime, ut sunt Iob, Tobias, &c. fideles, ut Abraham; fortes, ut Iosuë, Sanson, Iudith, &c. in leg: veteri, & in nova Christum parerem suisse passam, &c. Apostolos & Discipu-

los afflitos , bonis spoliatos , occisos , &c. Tertiū denique efficit anagogicus sensus , quo exprimitur quid futurum sit in gloria cælesti , in his quæ nunc vel creduntur , vel fiunt in Ecclesia militante , vel à Christo etiam facta sunt ; ut potè ejus ingressus in urbem Ierusalem designavit triumphum ejusdem ascendentis in Cælos , & nostrum introitum in gloriam &c.

PROPOSITIO IV.

Quamvis locus Scripturæ quilibet habeat suum litteralem sensum , ut satis manifestum est ex his quæ dicta sunt de illo sensu suprà , non tamen habet sensus spirituales , ut satis patebit exponenti singulas Scripturæ partes : sed locus unus habet unum tantum illorum ; ut patet in eo quod de serpente æneo recensetur à Moysè in Cruce suspenso. Quod suprà sensum litteralem non habet nisi spirituale allegoricum ; quatenus Christum in Cruce mortitum præfiguravit in remedium mortis infernalis serpentis , quo perierat universum genus humanum. Simile videtur in illo Hebr. 23. *Exeamus & nos extra portam improprietatis ejus portantes.* Quod sensum facit solum mortalem ; non autem allegoricum , nec anagogicum.

Locum supra citatum Apost. ad Galat. 4 aliqui Sancti Patres interpretantur cum Apostol. de duobus testamentis allegorice ; alii anagogice de duabus civitatibus ; de Ierusalem scilicet terrestri , & de Ecclesia triunphante , cum eodem qui addit. Illa autem quæ sursum est Ierusalem libera est , que est mater nostra. Verba denique Psal. 74. qui-

bus juravi in ira mea ; si introibunt in requiem meam. Litteraliter dicta sunt de filiis Israël protervis & inobedientibus : allegoricè tamen intelliguntur de his qui fidem abnegantes vel recusantes nolunt introire in requiem Ecclesie ; immo & de his omnibus , qui præceptis divinis non obtemperantes , nec impalui Spiritus - Sancti ; ad aeternam beatitudinem pervenire detrectant. Hæc ut vides , important sensum etiam moralē & anagogicū.

PROPOSITIO V.

AD eo non solum in uno loco reperiſi aliquando tres illos ſenſus ſimul cum litterali , ſed etiam in una ſolū voce . Nam v. g. Ieruſalem , quæ litteraliter ſignificat illam urbem principem Palæstinæ ; allegoricè ſumitur pro Ecclesia militante ; moraliter , ſeu tropologicè intelligitur de anima fideli , & anagogicè de Ecclesia triumphante explicatur .

PROPOSITIO VI.

Cave tamen hinc infetas , in omni Scripturæ loco reperiſi ſenſum aliquem spirituali-lem cum litterali : iſtud enim falſum eſt . Quia ut optime obſervat Caffian. Collat. 8. cap. 3. iſtud Deuter. 6. & Matth. 22. Diliges Do-minum Deum tuum ex totō corde tuo , &c. ſicut & reliqua præcepta , jurisque naturaliſ principia , morales exhortationes ad virtutem , quæ frequenter habentur in libris ſapientialibus , & aliis , non habent niſi ſenſum litteralem ; qui certè ſimul spiritualiſ aliquo modo dici potest ; quatenus eſt de argumento , ſeu materia

spirituali : ut evidens est : sed absolute litteralis est , cum sit , ut patet , historialis.

PROPOSITIO. VII.

DE litterali idem non potest asseri ; quia ut dictum est , nullus locus aut pars Scripturæ est , ubi non reperiatur litteralis sensus : ita tamen ut ubi metaphora est ; sumi debeat sensus , non quod vox ipsa sonat ; sed quem habet in sua figurata & metaphorica significatio[n]e ; ut explicatur illud Cantici Cantic. cap. 7. *Nasus tuus sicut turris Libani* ; in quo debet intelligi prudentia sponsæ , quæ hic describitur ; in quantum media olfacit : hoc est , eligit ad bene operandum , ut sponsus ab ea exigit. Idem dicendum in similibus.

ARTICULUS IV.

Comparantur invicem sensus litteralis & spiritualis.

PROPOSITIO I.

SENSUS litteralis Scripturæ absolute nobilior est ac præstantior , quam spiritualis. 1. Quia ut dicetur mox ; litteralis est basis , & fundamentum sensus spiritualis : quatenus iste ex illo oritur. Etenim in tantum Christus , v. g. spiritualiter , seu mystice designatur in illis testimoniosis legis veteris , in quibus Agnus Paschalis , David , Salomon ,

¶c. intelliguntur habuisse aliqua, quibus ipsum adumbrarent, & quæ verbis ipsis exprimebantur, vel absolute, vel figuratè: modo de quo jam dictum est. Ex quo manifestum est prius illa fuisse significata litteraliter in verbis ipsis Scripturæ, quam Christum. 2. Quia, quamvis secundum se, seu quoad se, æqualis sit certitudo sensus litteralis, ac spiritualis, in quantum uterque est intentus à Spiritu-Sancto; tamen quoad nos, certius nobis innotescit litteralis; qui ex vocum significatione desumitur, quæ nobis notior est; quam analogia, à qua litteralis desumitur; & quia litterali testimonio facilius Hæretici & Infideles convincuntur; nec vim habet convincendi spiritualis, seu mysticus, nisi adhibitis circumstantiis, de quibus supra; consequens est; nobiliorem absolute, ac præstantiorem esse litteralem sensum Scripturæ; quam spiritualem. 3. Quia litteralis est universalior; ut ostensum est: nullus enim locus est, seu sententia, in quibus non reperiatur litteralis; bene autem loci plures, & sententiæ sunt: in quibus nullus exprimitur seu importatur sensus spiritualis,

PROPOSITIO II.

Obiciunt, qui contra sentiunt, Hebræos prætulisse sensum spiritualem litterali. Nam istum appellabant: *Dabbar, Catton*: hoc est ~~verbum~~ parvum: illum verò vocabant, *Dabbar, Gaddol*. hoc est, *verbum grande*. Sed respondetur, istud nihil facere contra nostram propositionem. In hoc enim non comparantur invicem sensus spiritualis & litteralis præcisè secundum se sumpti; bene autem res, quæ

litteraliter significatur, & in figuram assumitur, cum re figurata; ut sunt, v. g. ceremonia, sacrificia, judicia, &c. Veteris Testamenti cum his quæ figurabantur in novo. Et in hoc sensu recte assertur; quæ sic figurabantur, esse verbum grande: quæ vero ea præfigurabant, verbum illud parvum: non autem istud applicari sensui spirituali & litterali, ut hic a nobis spectantur: unde sit

P R O P O S I T I O III.

Sensus spiritualis dici potest perfectior & præstantior litterali secundum quid. Etenim cum sit fundamentum sensus spiritualis, ordinatur ad ipsum tanquam ad suum terminum; a quo accipit aliquam significationem, quam non minus intendit Spiritus-Sanctus; quæve intellectus noster instruitur, & confirmatur de fidei dogmatibus, ac morum præceptis. Quæ singula satis manifestant sensus spiritualis excellentiam supra litteralem; non utique ab-solutam & simpliciter dictam; tūm propter rationes mox supra allatas: tūm quia licet sit æquè certus quoad se; non tamen quoad nos; & hinc est; quod non potest nobis argumenta plerumque subministrare; nisi habeat conditiones & circumstantias, quas supra attigimus.

P R O P O S I T I O IV.

Sicut sensus spiritualis potest esse multiplex in eodem Scripturæ loco; sic etiam & litteralis. Vnde habent inter se quandam æqualitatem, quantum ad hoc. De spirituali, jam ostensum est, artic. præc. de litterali asserunt Sancti Pa-

tres Basil. lib. de Sp. S. Chrysost. hom. 2. in Genes. Hieron. ep. 103. ad Paul. magis vero expressè Aug. lib. 12. confess. cap. 18. dicens. Deus per sermonem unum in litteris sacris plerumque non unum solum ; sed plures etiam litterales voluit significare sententias. Cui subscriptibit fidelissimus ejus Discipulus S. Thom. 1. p. q. 1. ar. 10. Istud probat evidens experientia ; si plura percurrentur tam Veteris Testamenti , quam novi testimonia , in quibus in una littera deprehenduntur plures sensus litterales. Nam , v. g. Exod. 12. ubi dicitur ; *Os non comminuetis ex eo.* Quæ verba de Agno Paschali intelliguntur litteraliter : citantur tamen à Ioann. Evangelista cap. 19. quasi de Christo litteraliter intelligenda : cuius crura non fuere fracta in Cruce , ut fracta sunt duorum Latronum. Vbi habetur : *Hoc autem factum est , ut impleretur scriptura , quæ dicit , os non comminuetis ex eo.* Psalm. 2. legitur , *Filius meus es tu : Ego hodie genui te ;* Istud asserit Apost. ad Hebræ. 1. intelligendum litteraliter de æterna Christi generatione : explicat tamen ipse Auctor. 13. ad confirmandam Resurrectionem Christi. Istud adhuc litteraliter intelligunt alii de ejusdem temporali generatione , & quidem litteraliter : cum eo loco utantur , tūm isti , tūm ille ad confirmandam fidem : quod non sit plerumque nisi auctoritatibus sumptis secundum sensum litteralem. Idem dicendum de illo Isai. 53. Generationem ejus quis enarrabit ? Quatenus hunc locum intelliguant litteraliter Sancti Hieron. & Aug. de æterna Christi generatione. S. Iustin & Tertul. de temporali : alii de resurrectione , quibus fatiguntur verba sequentia ibid. quia

abitissus est de terra viventium : alii demum de regeneratione filiorum per gratiam adopti*uerbi*
juxta illud ejusdem Prophetæ ibid. si posuerit
animam suam pro peccatis : videbit semen lon-
gævum. Matth. ultimo ubi habetur de Christo
sic Discipulos alloquente : Ecce ego vobiscum
sum - omnibus diebus. S. Aug. explicat litre-
raliter de Christo ut Deus est, qui sic non de-
seruit nos, quando Cœlos conscendit. Qui-
dam de assistentia quam præbet Ecclesiae Uni-
uersali : & alii de præsentia Sacramentali. Eo-
dem modo tripliciter intelligunt etiam litre-
raliter istud Apost. ad Philipp. 2. Exinan-
vit semetipsum. Aliis de exinanitione Christi
in sua passione explicantibus ; aliis de carnis
susceptione in Mysterio Incarnationis : aliis
de modo, quo est in venerabili Eucharistia.

PROPOSITIO V.

Nostram hanc sententiam confirmant plures
congruentia : tres istæ potissimum. Pri-
ma est ; quia hæc sensuum multiplicitas littera-
lium maximè facit ad majorem certitudinem
Scripturæ ; cum ea quæ ab Evangelistis, &
Apostolis Novo Testamento citata sunt ex
Veteri, eo majorem habeant certitudinem quoad
nós ; quod habeant in utroque auctoritatem,
in illis sensibus litteralibus diversis ; quorum
tamen unus sit alterius confirmatus. Secunda
est, quia multiplicitas hæc sensuum litteralium
in eodem loco maximè ; commendat homini-
bus, tūm ipsius Scripturæ dignitatem &
excellentiam, tūm etiam auctoris ejus princi-
palis, qui est Deus, ut diximus, sapientiam :
dūm sub una littera multos etiam litterales

sensus includit: quod in nulla Scriptura humana reperi potest; nec præstare ulla crea-
ta, & finita sapientia. Tertiæ, quia hinc
oritur maxima hominibus jucunditas, atque
utilitas: dum mira illa Scripturarum, earum-
que litterarum sensuum fœcunditate provo-
cantur ad plures carundem intelligentias per-
quirendas, & obtainendas: iuxta illud psalm. 118.
*Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui inven-
ni spolia multa.*

PROPOSITIO VI.

Hic autem plura advertenda supersunt ad
huncque sensum pertinentia. 1. Quæ di-
ximus de multiplicitate sensuum litteralium non
esse intelligenda de eodem capitulo libri alicu-
jus Scripturæ secundum diversas partes; in hoc
enim nulla difficultas videtur; nec de litterali,
nec de spirituali. 2. sensum spiritualem & lit-
teralem in eo quidem equiparari; quod plures
possunt esse illi sensus— tam litterales, quam
spirituales in una sententia, seu in uno loco
Scripturæ: sed nec tres illi reperiuntur in sin-
gulis, ut satis ostensum est. **N**e **V**triusque ra-
tio Duyallii est, & quidem optima: quia licet
illa multiplicitas sensuum commendet ipsam
Scripturam & auctorem ejus: decuit tamen,
ut non essent in uno contextu plures sensus
frequenter; maximè litterales: sed unus ple-
rumque in uno contextu, juxta communem
hominum consuetudinem; nisi quoties Deus
eius auctor judicavit illos esse multiplicandos;
quoties, quando, & ubi opus esse ipsi visum
est: qui voluit supra litteralem addere spiritua-
lem in Scripturis suis. 3. In hoc discrepare in-

ter cætera sensum litteralem & spiritualem ; quod litteralis saltem unus reperiatur in singulis contextibus , sive proprius ; quando sententiæ fine ulla figura verborum res exprimit , ut sunt in se ; sive impræcarius ; quando contextus est figuratus : quo tempore sensus Scripturæ non appellatur ipse , qnem exprimit figura ; sed quem facit res ipsa figurata , seu latens sub figura , v. g. quando dicitur : *Ego sum vitis vera ; vos palmites* : sensus litteralis non est , quod Christus sit vera vitis ; & Discipuli veri palmites ; sed quod Christus sit infundens Discipulis fidem , gratiam & charitatem , &c. ita ut significatio ipsorum verborum metaphoræ à tali sensu litterali protinus excludatur ; nec ideo sensus dicatur impræcarius , quod ipsam figuram exprimat : sed quatenus significatio rei figurata non exprimitur , nisi per illam figuram : sensus vero spirituallis non reperitur in singulis contextibus , ut vidimus ; sed in aliquibus. Deinde sicut sensus spiritualis triplex assignatur , diversus in specie , ita & litteralis , ut ex dictis manifestum est : discrepant tamen , quia in spiritualibus unus non est proprius , aliis impræcarius ; sicut in litteralibus reperitur. 4. Ex signo , & re significata non posse fieri sensum unum litteralem , ex utroque compositum , contra Rullum Basil. Tum , quia cum ut ipse fatetur , litteralis sit , quem verba exprimunt , ut sunt rerum signa , quas immediate significant ; & in loco quem citat , ut potè : ex Ægypto vocavi filium meum ; si significetur , sicut contendit ipse , educatio filiorum Israël ex Ægypto ; non facit hæc significatio sensum litteralem ; sed spiritualem , pimirum allegoricum relationem . importan-

tem ad Christum ex Ægypto redeuntem : unde nihil hoc exemplo probat, ut evidens est : tum etiam quia si in eodem contextu duo sint significata distincta per illa verba immediate declarata : duo sunt sensus litterales distincti ; non autem unus , ex signo & significata compositus. Multò minus potest aliquis sensus esse compositus ex litterali & spirituali : quia licet uterque sit à Spiritu - Sancto intentus ; non tamen æquè principaliter ; ut dictum est ; & aliunde litteralis est , quem verba faciunt , & spiritualis quem res faciunt per verba significatae ; quamvis aliquando sensus litteralis pro spirituali falso sumatur. De litterali mixto ex proprio & metaphorico vix audeo contradicere Catharino , istud exemplum afferenti ex 3. Genes. ubi dicitur ; *Serpens erat callidior cunctis animanib[us] terræ* , ubi dictum istud vult intelligi de Diabolo ; quod de serpente recensetur : non equidem de Diabolo simpliciter : sed ut latebat in serpente ; cuius conditiones dum illi attribuuntur , videntur sensum mixtum ex proprio metaphorico efficere. 5. Denique esse certas regulas distinguendi , quando plures sunt sensus spirituales , aut litterales in eodem contextu. De spiritualibus satis ex jam dictis evidens est ; nam si contextus ille allegoriam importet ad aliquid factum , vel faciendum ; vel ad mores informandos fidelium ordinetur : vel aliqua jam facta referat ad statum gloriæ futurum , quis non admittat sensus illos , ut distinctos ? vel tres , vel duos , vel unum ; vel omnes simul , vel aliquem in uno contextu.

PROPOSITIO VII.

DE distinctione litteralis gravior difficultas est, ideoque sequentes regulæ statuuntur. Prima est, quod arguantur multi sensus litterales in uno contextu; si ex ipso & verbis ejus servata connexione antecedentium & consequentium, & intentione narrationis illi manifestè colligantur. Secunda est: si Sancti Patres pluribus modis eundem contextum expresserint, nihil enim tunc evidenter; quam ibi esse plures sensus litterales. Tertia est; si in alio loco Scripturaræ verba eadem alio sensu proferantur. Quarta si narratio ipsa commodissimè duos aut plures sensus patiatur. Quinta & omnium certissima est Ecclesiæ interpretatio.

PROPOSITIO VIII.

Circa hæc est observandum in primis, quando sunt plures sensus litterales sub eodem contextu; illum esse pro certo habendum, & præferendum cæteris, quem verba ipsa magis exprimunt. Certum est enim omnes illos sensus diversos non esse certos æqualiter; deinde qui magis accedunt ad proprietatem verborum magis esse indubitos: ut patet exemplo vocis *in principio*; quâ incipit liber Genes. de quâ nemo non videt, nobis potius designare initium, seu principium temporis: quam Dei verbum æternum; quod tamen, ut aliqui Sancti Patres asserunt; ibi significatur: non utique ita propriè. Denique si quando expositores diversa sentiant: ut monet S. August. lib. 1. de doctri. Christi cap. 31 in ex-

positione unius contextus quod singuli sentiunt; verum & prius inveniatur; omnes illos sensus, dummodo inter se non pugnant; admittendos esse, ut probabiles; non autem ut indubitatos: nisi forte tanta sit auctoritas interpretum; & congrua expositio diversorum; ut plusquam probabile sit, omnes illos sensus intentos esse à Spiritu - Sancto: ut patet de illo Isaiae 53. Generationem ejus quis enarrabit? Tunc enim etiam certi sunt singuli. An autem scriptores sacri omnes illos sensus litterales intellexerint: ac intenderint, asserit de Moysē S. Aug. lib. & cap. mox citatis; & S. Thomas quæstione 4. de potent. art. 3. de aliis quibuscumque sacris scriptoribus.

ARTICULUS V.

De sensu Scripturæ accommodatitio.

PROPOSITIO I.

PRÆTER sensus Scripturæ hactenus explicatos; qui veri sunt sensus illius, est adhuc alius ejusdem Scripturæ sensus, qui verus & proprius ejusdem sensus non est; cum à Spiritu-Sancto intentus non sit: sed sic dici possit: equivocè non secus ac homo pictus appellatur homo; quod satis ex sui definitione, seu descriptione manifestatur. Accommodatitius enim sensus nihil aliud est, quam verborum, imo & rerum, quæ in Scriptura continentur significatio extensa, seu accommodata rebus aliis, quæ non exprimuntur.

muntur in propriis locis ex intentione Auctoris Scripturæ : ut est , v. g. sensus quēm faciunt hæc verba Eccl. 44. *Non est inventus similis illi.* Quando alicui Sanctorum Novi Testamenti applicantur ; quæ loco citato de Abraham dicta sunt. Vbi adverte requiri hic necessariò , quod applicatio hæc seu accommodatio sit præter intentionem Auctoris Scripturæ , exprimendi sensum aliquem vel spiritualem , vel litteralem ; de quibus dictum est. Nam si fiat hæc applicatio à Scriptore Sacro , ut fit Apocalip. 11. ubi Ioannes Apostolus attribuit Enoch & Eliæ ; *Isti sunt duæ olive & duo candelabra , stantes in conspectu Domini:* quod dictum fuerat à Zacharia Propheta ; vel de I·E·S·U Sacerdote & Zorobabele , ut plerique docent ; vel de aliis , ut quidam opinantur : constat , ista in utroque loco habere sensum litteralem & spiritualem ex intentione Spiritus - Sancti : ideoque sensum illum non esse accommodatum , quamvis fiat allusio in loco posteriori ad priorem ; sive usus prioris in posteriori , ut ex se est evidens.

PROPOSITIO II.

Sed dixi præter intentionem , non contra intentionem ; sicut fit ab his qui non utuntur , sed abutuntur verbis aut sententiis Scripturæ vel ignoranter , vel malitiosè , animo blasphemico. Quæ adhuc clariū explicantur comparatione fatis vulgari ejus , quod sæpè fit de carminibus Poëtarum ; quæ aliquando non tantum aliis narrationibus prophanis aptantur , sed etiam Fidei mysteriis præter intentionem illorum Auctorum. Narratur enim de quadam Matrona Romana , quæ florebat circa annum 430. Christo Domino , ejusque mysteriis adaptasse opus ex Virgilii carminibus ; quod inscrip-

fit Virgilio-centonas , ut habetur in Bibliotheca Patrum. Et de Eudoxia uxore Theodosii Iunioris idem asseritur præstissime de versibus Homeri , quos multis historiis utriusque Testamenti similiter applicuit , appellavitque Homero-centonas.

PROPOSITIO III.

Usum hujuscē sensūs accommodatitii licitum esse confirmat mos Ecclesiae ; quæ , ut dictum est , sæpè ea attribuit aliquibus sanctis , quæ constat non habere hunc sensum in Scripturis ; sed alium omnino diversum , sive litteralem , sive spiritualem ; ut posset probari exemplis innumeris , præter locum suprà adductum , qui omnibus Sanctis in particulari attribuitur ; utpote , Non est inventus similis illi : quatenus , ut stella differt à stella in claritate ; sic & sancti in cœlesti beatitudine. Immò & in hac vita mortali habent singulares gratias ; in quibus aliis videntur præstare. Quis nesciat apertissime accommodari beatissimæ Virgini Deiparæ dictum istud Cantici Cant. 4. sponsi ad sponsam ; Tota pulchra es amica mea ; & macula non est in te ? Quod de Ecclesia intelligitur in sensu spirituali ; illique attribui ad ostendendam ejus ab omni omnino peccati labo immunitatem.

PROPOSITIO IV.

ID certè fieri non debet auctoritate cuiuscunque privatâ , sed Ecclesiae universalis ; ad evitandos multos abusus , qui à privatis personis inducerentur ; si singulis inesset ea facultas. Quamvis ipsa Ecclesia non improbet concionatores , uti multis Scripturæ sententiis ad commen-

dandam gloriam virorum illustrium in sanctitate ; dummodo nihil contra fidem aut veritatem proponatur ; ut satis probat usus communis & frequens , neve ab ullo excedatur in hac materia ; ut satis est periculo proximum ; si singuli illi non habeant istorum exempla in sanctis Patribus , virtisque virtute ac pietate insignibus . Idcirco tam venia & laude dignissimi sunt pii Concionatores , qui ad virtutes & gratias , factaque Sanctorum evehenda ; immo & fidei mysteria explicanda ; (non autem utique ad defendenda , & confirmanda , ut dicetur mox) utuntur aliquibus Scripturæ auctoritatibus in sensu isto accommodatitio : quam abominandi & execrandi impii illi , ac blasphemati ; qui ejusdem divinæ Scripturæ testimonijis abutuntur ad blasphemias & facetias ; sic verbum Dei vere adulterantes in sui , & aliorum perniciem ; nec levius peccantes , quam qui fidem abnegantes pedibus conculcant Novi Testamenti sanguinem : cum certum sit pari cultu ac Veneratione Ecclesiam olim coluisse verbum Dei scriptum : si-
c ut perpetuo , ut pat est , venerabitur ; ac ipsum sub speciebus Eucharisticis occultatum . Nec minus coercendi , pœnisque minus gravibus affi-
qiendi ; quam qui libros sacros tradebant olim Ethnicis , quos tunc Ecclesia à suis repellebat omnino ministeriis : nec ad gratiam reconciliationis isti recipiebantur , nisi condigna , & sa-
lutari pœnitentia tam grave scelus expia-
fere .

PROPOSITIO V.

Non potest Ecclesia uti Scripturā in sensu isto accommodatitio ad confirmandas veritates fidei ; sed solum in narratione similes

et; & in orationibus suis sive publicis, sive privatis. Primum istorum evidens est; ex eo quod sensus iste accommodatius non sit verus sensus: nec ab auctore Scripturæ intentus. Unde nulla vis aut efficacia esset argumenti presumpti è Scriptura secundum illum sensum: quem facile possunt Hæretici & Infideles non admittere; nec possent ex hoc erroris convinci, ut patet. Bene autem in narratione simplici, propter contrariam rationem; quia scilicet ad istud non requiritur, quod sensus ille fuerit à Spiritu Sancto intentus. Idcirco nihil impediat, quominus possit ex approbatione Ecclesiæ, propter aliquam convenientiam, aliquid ab eo quod ab ipsa Scriptura narratur, confirmari; factaque & dicta Sanctorum evahi & exornari. E numero sanctorum Patrum Bernardus præ exteris effulget, qui ferè totus est in suis operibus mirificis, in allusionibus ad ipsam Scripturam. Exemplum sit, & quidem unum, quod habet Joquens de Verbi Divini Incarnatione. Dixerat Deus de Adam post peccatum ejus ironice. *Ecce Adam similis nobis factus est*, alibi ad motivum peccandi; quod utrique parenti Diabolus proposuerat: ut potè; *Eritis sicut Dii. Desine jocari. Domine*, ait idem Bernardus, *nec dicas ecce Adam, quasi unus en nobis*; ne forte respondeat tibi: *Ecce Deus noster, non quasi unus ex nobis, sed vere unus ex nobis.* De orationibus publicis quis nesciat plerumque in precibus Ecclesiæ verba Scripturarum usurpari; Psalmosque Davidicos in omnibus communiter sic adaptari & ex quibus probatae manent duas alias partes nostræ propositionis.

PROPOSITIO VI.

EX dictis, hic plura inferenda sunt circa sensum Scripturæ accommodatitium. Præcipuum est; falsam esse opinionem Theodori Mopsuesteni, qui putabat ea quæ à Sacris Scriptoribus Veteris Testamenti scripta sunt, & citantur a scriptoribus Novi Testamenti; dicta esse posteriori loco per quondam accommodationem; ac proinde habere in Novo Testamento sensum accommodatitium, quo possint veritates fidei confirmari. Pro quo illud Petri citatur Actor. 2. *Effundam de spiritu meo super omnem carnem*, &c. quod assumptum est ad confirmandum adventum, seu descensum Spiritus - Sancti super ipsos Apostolos & Discipulos in die Sancto Pentecostes. Illud Michææ; *Et tu Bethleem terra Iuda*, &c. quod citatur Matthæi 2. ad ostendendam Christi nativitatem in urbe Bethleemitica. A quo non omnino dissentit Cornelius Iansen. Gandavens. qui licet fateatur in multis loca multa Veteris Testamenti secundum sensum litteralem aut spiritualem adduci in Novo; contendit tamen esse aliqua, quæ in Novo Testamento usurpantur, per solam accommodationem. Verum cum hunc errorrem proscripserit Vigilius Papa, cap. 22. manifesta est ratio hujuscæ nostræ illationis ac propositionis. Sic loquitur Summus iste Pontifex. *In supra dicto capite; hoc videtur dici, quod ex persona Christi loquens ait; Non derelinques animam meam in inferno: non de ipso Christo predictum fuisse, sed de Populo Israelitico: hoc autem verum eventum ex ipsis rebus accepisse in Domino. Et ideo beatum Pe-*

SCRIPTURÆ SACRÆ. 351

trum ad Christum hanc Prophetiam per evenium aptare voluisse. Hæc sunt quæ asserebat prædictus Mopsuestenus, quæ hac censurâ notat Summus Pontifex, scribens: *Qui ita docet, credit, prædicat, anathema sit.* Deinde quia nec verba Scripturæ citata à Mopsuesteno; neque quæ citantur à Iansenio Gandavensi, ut potè, vox in Rhama audita est, ploratus & ululatus. Ieremias 31. & Osee 2. Ex Aegypto vocavi filium meum: probant intentum ipsorum. Nam in prioribus constat, illa testimonia habuisse sensum suum litteralem & spiritualem: fuisseque vaticinia, quæ in Novo Testamento recensentur ut impleta. Idem dic de posterioribus quæ habent etiam duos sensus litterales, ut observant Interpretes. Nam quod citatur de Ieremias, docet S. Thom. intelligendum litteraliter de fletu ob captivitatem Israëlitarum, & de fletu matrum in occisione Innocentium ab Herode. De loco Osee supra idem assertimus. Denique falsitas illius opinionis adversæ plane demonstratur ex discrimine quod interredit inter meram accommodationem & allusionem. Etenim accommodatio est usus, ut hæc sumiatur, alicujus sententiæ Scripturæ in alio sensu, quem verba Scripturæ ejusdem non exprimunt ex intentione Spiritus Sancti; ut dictum est: & allusio est quando aliqua sententia, quæ in sensu quem exprimebat, sive litterali, sive spirituali, continens vaticinium; in aliquo alio loco recensetur tanquam impletum. Quod frequenter designatur his expressionibus: ut adimpleretur: ut adimpleatur: bene prophetavit, &c. Igitur cum constet, omnia quæ citantur in Novo Testamento ex Veteri esse hujusmodi; habereque singula sensum saltem litteralem, &

aliquando etiam spiritualem, quo exprimitur ⁱⁿ novo impletum esse, quod in veteri fuerat prænunciatum : non potest nisi valde impropriè dici , quod aliqua Novi Testamenti scripta à sacris Scriptoribus reddant sensum accommodatum.

PROPOSITIO VII.

SI autem nomine accommodationis latè significatione intelligatur , quod aliquando, si non sensus ipse , saltem verba assumantur ab uno scriptore , quæ ab alio dicta sunt , sive in eodem , sive in diverso testamento ; non diffideor hanc accommodationem fieri posse multis modis : tribus istis potissimum . 1. usu simplici ; ut quando à Iohanne in Apocal. dicitur de Henoc & Elia ; *Isti sunt due olive.* 2. In orationibus sanctorum , qui ex variis Scripturæ locis verba orationis suæ componunt : ut narratur de Iudith , cap. 2. in qua sic multa concessit ex aliis Scripturæ partibus dicens ; *Qui confidant in multitudine sua : & in curribus suis gloriantur : Dominus conterens bella , &c.* Et 3. Si unum factum adducatur in exemplum alterius facti : ut quando , *Luc. 6.* Christus suos excusat Discipulos , qui ex spicis famem satiaverant in die Sabbati avulsis exemplo Davidis , de quo saprà . Sed istæ non sunt propriè dñe accommodations , sed allusiones , ut manifestum est.

PROPOSITIO VIII.

Denique quod accommodaciones propriè dictæ fieri debeant, vel auctoritate Ecclesie, quæ est columnæ & firmamentum veritatis: vel sicutem non esse contra intentionem Auctoris Scripturarum, ut advertimus: docet exemplum Donatistarum, qui illud Cantic. cap. 1. *Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie;* perperam usurpabant, separantes vocem postremam, ut potè in meridie ab aliis: ut sic ostenderent veram Ecclesiam esse apud ipsos; scilicet in regione illa meridionali; ut refert Sanctus Augustinus lib. 3. contra ipsos, cap. 19. illosque ridet, redarguit acutè, ac plane convincit. cap. 48. urgens à fortiori posse simili argumento, sibi veram Ecclesiam attribuere regiones aquilonares: ex illo Psal. 47. *Latera Aquilonis civitas Regis magni.* Ex quo vides, quā præcautione illo sensu accommodatio[n]e fit.





QUÆSTIO IX.

SEU ULTIMA.

*De interpretatione Scripturæ
Sacrae.*

NOMINE interpretationis Scripturæ, de qua hic agitur, non est intelligenda traductio ejusdem Scripturæ Sacrae de una in aliam linguam, ut ante quæst. 5. bene autem expositio difficultatum, quæ in ipsa Scriptura satis frequenter occurrunt; & in quibus sancti Patres multique Doctores possilios laborarunt, non sine utilitate maxima, pro fidelibus, ex Ecclesiæ facultate & approbatione. Quocirca hic in 1^o art. investigatur, an Scriptura sit obscura; ac proinde an indiget interpretatione? In 2. à quibus hæc interpretatione fieri debeat? In 3. agetur de mediis iudicii Ecclesiastici in illa interpretatione. In 4. denique de modis variis ac multiplicibus Scripturas interpretandi.

ARTICULUS I.

An Scriptura Sacra sit obscura, & indiget interpretatione.

PROPOSITIO I.

QUAMVIS Scriptura Sacra facilis sit in aliquibus locis, in multis tamen est difficultis & obscura. Prior pars hujusce propositio-
nis probatione non indiget: constat enim par-
tes illas, in quibus præcepta continentur, ut
est Decalogus, manifestas esse: v. g. *Diliges
Dominum Deum tuum, &c. proximum tuum, si-
eut te ipsum: licet aliquid difficultatis esse
possit quoadmodum, v. g. ex toto corde tuo,
ex tota anima tua, &c. ut nemo diffitebitur.*
Posterior verò, quæ est contra Lutheranos,
Calvinistas & Iovinianos, quorum hic error
fundamentalis est, ut potè omnium errorum
ipsorum fundamentum; ut ita si possent, ex-
cluderent ac spoliarent Ecclesiam illâ auctorita-
te, quâ pollet, nobis regulas præscribendi pro
intelligentia scripturarum; & singulis faculta-
tem tribuerent, pro suo arbitrio ipsas intelli-
gendi & explicandi: possentque omnia Decreta
Conciliarum, Summorum Pontificum, Sanc-
torum Patrum testimonia, &c. expendere an
conveniant cum ipsa scriptura; ut ipsi eam
proprio quisque spiritu interpretaretur.

Probatur inquam hæc posterior pars contra
illos in primis auctoritate ipsius Scripturæ, quæ

suam obscuritatem ac difficultatem multis locis
testificatur verbis expressis : ut Psalmo 118.
Da mihi intellectum ; & scrutabor legem tuam.
Ibide. Revela oculos meos ; & considerabo
mirabilia de lege tua. Super quæ exclamat Sanctus Hieronymus , epist. ad Paulin. Si tantu
Propheta tenebras ignorantie confitetur : quæ
nos putas parvulos & penè latentes inscitiae
nocte circumdari. Isaïa 20. Et erit vobis visio
omnium, sicut verba libri signati : quem cum
dederint scienii litteras dicent ; lege istum ;
& respondebit, non possum. Signatus est enim.
Osee 4. Quis sapiens & intelligit ista : in-
telligens, & sciet h.ec ? Super quæ idem Sanctus Hieronymus. Obscuritatem voluminis , &
difficultatem explanationis ostendit , &c. E No-
vo Testamento Matth. 13. dicunt Christo.
Discipuli : Edissere nobis parabolam zizaniorum
agri. Idem Evangelista alludens ad illud Psalmi
77. Aperiam in parabolis os meum , inducit
Christum proponentem è Scriptura Sacra , quæ
nullus assequi poterat : istud autem potissimum
cap. 26. Solvite Templum hoc , & in tribus die-
bus readificabo illud. Luc. 24. de Christo dicitur.
Iniciens à Moysè interpretabatur illis in omni-
bus Scripturis ; quæ de ipso erant. Et ibidem.
aperuit illis sensum ut intellegerent Scripturas.
Ioan. 5. Scrutamini Scripturas. Et Actum 3.
Philippus dixit Eunicho. Putasne intelligis qua-
legis ? Et 2. Petr. capite ultimò. Frater noster
Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit
vobis ; sicut & in omnibus epistolis , loquens de
his in quibus sunt quadam difficultia intellectus :
quæ indocti & instabiles depravant , sicut &
alias scripturas ad suam ipsorum perniciem. Ex
quibus vides esse in Scripturis multa obscura &

difficilia, ipsâ Scripturâ attestante. Ab hac non recedunt sancti Patres tam Græci quam Latini. Nam Sanctus Irenæus, lib. 2. adversus Hæreses, cap. 47. ait: *Si ergo in rebus creatis, quedam quidem earum adjacent Deo: quedam autem & in nostram venerunt scientiam: Quid mali est? si & eorum que in scripturis requiruntur; universis scripturis spiritualibus existentibus; quedam quidem absolvamus, secundum gratiam Dei: quedam autem commendemus Deo, & non solum in hoc seculo, sed & in futuro: ut semper quidem Deus doceat; homo autem semper discat, que sunt a Deo.* Sanctus Chrysost. homiliâ 44. in caput 23. Matth. Ergo non sunt, inquit, *Scripturae clausæ; sed obscuræ quidem; ut cum labore inveniantur: non autem clausæ, ut nullo modo inveniantur.* Idem sentiunt ē Græcis S. Iustin. Mart. Dial. cum Triph. Clem. Alex. lib. 2. cap. 6. Origenes libro 1. contra Cels. Ath. Basil. Naz. Cyrilus. Theodor. &c. ē Latinis S. Ambros. Epist. ad Const. 44. dicit. *Mare est Scriptura divina habens in se sensies profundos altitudinem propheticorum enigmatum.* Augustinus lib. 2. de doct. Chr. cap. 6. & epist. 3. & 119. In Sanctis Scripturis nescio multò plura, quam scio. Gregorius Magnus in prol. Moral. dicit. *Magnæ utilitatis est ipsa obscuritas eloquiorum Dei; quia exercet sensum, ut fatigazione dilatetur, & exercitatus capiat, quod capere non potest otiosus.* Sanctus Thomas quodlib. 7. q. 6. artic. 10. *Utiliter est a Deo dispositum; ut veritas in Sacra Scriptura cum aliqua difficultate manifestaretur;* Idem habent Hilarius in Psalm. Isidor. Beda. Rupert. & potissimum Hieron. qui epistolâ ad Paul. ex instituto docet, *scripturas dei non*

posse sine magistro: ostenditque libris singulis
fiuas inesse difficultates, quibus refellitur ac
prorsus evanescit responsio Hæreticorum, seu
potius effugium, dum aiunt scripturas esse
apertas fidelibus, opertas autem infidelibus &
superbis propter eorum cæcitatem & pravum
affectionem. Nemo enim illorum adeo parvum sui
compos est; qui ausu temerario presumat
illos sanctos Patres infidelitatis arguere, aut su-
perbiæ.

PROPOSITIO II.

Demonstratur deinde eadem obscuritas &
difficultas Scripturæ in pluribus locis ra-
tione prorsus efficaci. Etenim cum in ea non
sint nisi res & verba: ex his oritur obscuritas &
difficultas Scripturarum. Siquidem, vel res ipsæ
sunt mysteria fidei, putâ Trinitatis, Incarna-
tionis, Prædestinationis, &c. narrationes &
historiæ à nostris temporibus remotissimæ, &
exhortationes ad actus virtuosos & perfectionis;
in quibus nemo negabit esse multum obscurita-
tis, vel difficultatis propter imperfectionem, im-
becillitatem & improportionem nostram. De
verbis autem seu de modo exprimendi res ipsas,
in Scriptura innumera ferè sunt, quæ nobis
manifestant, hinc orihi adhuc difficultatem at-
que obscuritatem in Scripturis. 1. Est multitudo
seu diversitas sensuum sive litteralium sive spiri-
tualium sæpè in eodem contextu. 2. Est quod
ipsa Scriptura magis aliquando signis aut factis,
res nobis exprimat, quam verbis: ut patet in
Canticô Cant. Apocalypsi & Libris Propheti-
cis. 3. Quod in Scriptura sæpè reperiuntur pro-
positiones, quæ oppositæ videntur; licet reve-

râ oppositæ non sint, ut infrâ ostendetur. 4. Quia ibidem multa sunt ambigua, præpostera, & pluralia multa, quæ tamen singulariter accipi debent. 5. Sunt tropi frequentes in Scripturis, metaphoræ, allegoriæ, hyperbolæ, ironiæ, & alia id genus. His adde nec minus obscuritatis ac difficultatis induci ex parte verborum in ipsis scripturis; quod variis linguis conscriptæ sèpè fuerint ac traductæ; quæ cum habeant suos peculiares idiotismos, propria adagia; ex horum ignorantia factum est, ut male aliqui eas interpretati sint. Taceo obscuritates ac difficultates, quas parit repentina mutatio rerum & personarum, quæ deprehenditur in ipsis scripturis; tam loquentium, quam eorum ad quos sermo dirigitur. Quoties namque fit transitus in illis de littera ad spiritum, de temporalibus ad æterna; de Regibus ad Messiam; de Tyrannis ad Dæmones; ut Isai. 44. de Rege Tyri ad Satanam. Quæ utique non levitatem, aut inconstitiam arguunt, ut perperam nobis Infideles objiciant atque impirè sed potius scripturæ eminentiam suprà cæteras, gravemque ejus difficultatem in locis plurimis; propter quam non licet olim apud Hebreos junioribus ante annum ætatis trigesimum legerè prima capita Genesios, nec Canticum Cantorum, nec primum & ultimum capita Ezechiëlis, nec Canticum Habacuc, ut diximus. Ex quibus manet probatum, obscuram esse ac difficilem scripturam; non solum per accidens, sed etiam per se, ut ex dictis evidenter colligitur. Intellige tamen nostro respectu propter nostram improportionem; ex quo non sequitur, quod dici possit obscura & difficilis per accidens; ut diceretur, si talis esset solum ob cœcitatem, & pravum affectum legen-

tium, ut distitant Hæretici: quod certè dici non potest de sanctis Patribus; quibus tamen ut ostendimus, difficilis visa est locis pluribus. Nec possunt id diffiteri ipsi Hæretici, qui tot lites, & quæstiones movent inter se de vero, ac germano sensu scripturæ, teste Osiandro; qui viginti diversissimas sententias Confessionistis exprobrat de justificatione secundum scripturas.

PROPOSITIO III.

Sed cum contra hæc plura objiciant Hæretici, maximè Lutherani; 1. Si Scriptura difficultis sit & obscura, quid opus fuit ipsam nobis tradi divinitùs. 2. Cum sancti Patres suas probent sententias plerumque per ipsam scripturam, dici poterit probari notius per minus notum; ut per se patet. 3. Istud esse figmentum Catholicorum, ad arcendum populum à lectio-
ne scripturarum, dum eas difficiles, & obscuras assidue vociferantur. 4. Denique, ut addit Vi-
tacherus cum aliis quibusdam: Fideles in Ecclesia primitiva Scripturas legebant, & intel-
ligebant absque Commentariis: immò major est difficultas & obscuritas in eadem Scriptura, ut exposita à Tertull. Iren. & Origene, (quem S. Hieron. appellat delirum & allegoricum in-
terpretem; eò quod plerumque moraliter ac mysticè exposuit, quæ historicè possunt intel-
ligi,) quam sit in ipsa Scriptura in se sumpta.

Respondetur facile ad singula illa: ad 1. Scripturam nobis divinitùs traditam, non utique obscuram & difficilem in locis singulis, sed in plurimis, ut haecenùs probatum est: Nec si-
ne

ne multis congruentiis , de quibus mox inita :
 Nec defuit nobis in hoc divina providentia :
 quæ semper subministravit sacros Interpretes ,
 qui illam nobis illustrarent juxta datam sibi
 sapientiam. De qua interpretatione nihil mi-
 rum, si clariorem scripturam faciat quoad nos :
 nec de ejus certitudine dubitandum est ; cum
 sit à sacris Expositoribus auctoritate Ecclesie ,
 quæ habet assistentiam ad hoc Spiritus - Sancti .
 Ad 2. nihil quoque mirum , quod sancti Patres
 ex ipso Scriptura probent suas sententias & ex-
 positiones , qui non nisi à Spiritu - Sancto illu-
 minati loca difficiliora & obscuriora interpre-
 tati sunt ; neque etiam quod per minus notum
 quo ad se , sed notius quoad nos , explicetur
 minus notum quoad nos , licet sit notius quoad
 se. Istud alii solvunt adhuc subtilius , distin-
 guentes duplē notitiam : unam veritatis rei ,
 & alteram notitiæ verborum. Prior in eo sita
 est ; ut quis intelligat , id quod dicitur esse ve-
 rum : & posterior consistit in claritate seu perspi-
 cuitate sententiæ. Ex quo constat , sententiam
 propriam esse sic notiorem sententiæ figurata.
 Vtramque hoc exemplo explicant ; si quis au-
 diat , v. g. homo vivit & movetur ; utrumque
 istud est illi æquè notum notitiæ verborum ; sed
 notius est illi notitiæ veritatis rei , hominem
 moveri , quam vivere ; quia motus est effectus
 vita , qui nobis notior est. Sic autem notius
 nobis est notitiæ rei , quod dicit scriptura ,
 quam quæ dicunt sancti Patres & expositores ,
 licet sit minus notum notitiæ verborum. Ad 3.
 jam supra satisfactum calumniæ , quæ nobis im-
 ponitur ab Hæreticis de prohibitione lectionis
 Scripturarum. Ecclesiæ namque Catholicæ ni-
 hil magis cordi est , quam ut fideles omnes

Q

gloriantur pabulo illo cælesti : dum præcipit Pastoribus, ut eam frequenter populis explicit ; sapientioribus suadet , ut lectioni ejus assidue incumbant ; rudioribus inculcat , ut eam à suis Pastoribus traditam eā humilitate & veneratione suscipiant, quæ dicit Christi Discipulos ad sobrietatem sapientes ; non autem plusquam oportet , quasi sibi dictum existimantes , quod eñim Synagoga præcipiebat fidelibus illius temporis , scilicet ut Patres suos & majores interrogarent , atque ab his acciperent , quæ præ difficultate , aut obscuritate ipsi non caperent. Ad 4. denique , primævos Christianos assero legisse quidem Scripturas : sed pro his qui non intelligebant ; à Pastoribus expositas habuisse contendeo. Insuper illis viva Commentaria fuisse , nempe Apostolos , Prophetas & Doctores , de quibus dicitur Actor. 12. Erant in Ecclesia Prophetæ & Doctores , Quorum nomine intelligit Lyran. divinorum eloquiorum tractatores : Ideoque Apost. 1. ad Cor. 12. inter gratias gratis datas recenset interpretationem sermonum : in quorum confirmationem Papias , & Clem. Alex. gloriantur se fuisse Discipulos Apostolorum , quibus jam emortuis Iren. & Iustin. commentaria in Scripturas scribere cœperunt. Nec movere nos debet ; quod isti , & qui post eos scripturas interpretati sunt ; ut Tertull. & Origenes , ac tandem Scholastici paulò obscuriores fuerint propter alias subtilitates admixtas ex aliis disciplinis , & propter terminis minus proprios. Nec certè Origenem excusamus ; dum moraliter & mysticè interpretatus est , quæ historicè intelligenda essent. Istud enim non probat contra propositionem nostram , scripturas non fuisse in multis locis obscuriores & difficiliores;

PROPOSITIO IV.

Obscuritatem hanc seu difficultatem scripturarum non sine fundamento reliquit Deus: immò contenditur istud fuisse convenientissimum. Inprimis convenientia externa, quæ in eo sita est, ut diximus; quod Deus illam sic esse voluerit, & judicaverit suā infinitā sapientiā. Deinde etiam convenientia interna, hoc est, se tenente ex parte ipsius rei volitæ, & utique multiplici. 1. est; Quia decuit, ut Verbum Dei scriptum: (quale est Scriptura;) naturam amularetur auctoris sui aliquo modo, de quo scriptum est, *lucem habitare inaccessibilem*. Et quia Deus est incomprehensibilis, & excedens captum intellectus nostri: hinc fortè est; quod legem Decalogi dederit Moyſi in monte Sina in medio caliginis; ut sic innueret: quod sicut Deum videbimus clarè solū in patria: ita illic habebitur perfe&tissima & plenissima intelligentia scripturarum. 2. Quia ut rectè S. Chrysostomil. 44. in Matth. Deus idcirco voluit & statuit: ut alii essent Doctores in Ecclesia; alii discipuli; juxta illud Isaïæ 40. *Loquimini Sacerdotes in cordibus populi: ad hoc, ut servaretur ordo in Ecclesia militante;* qui est in caelesti ac triumphante; ubi inferiores Angelī à superioribus purgantur, illuminantur & perficiuntur, ex Dyonisio; ut haberetur ratio, tam sapientiorum, quam rudiorum; omnesque hoc modo ad se traheret divina Scriptura. 3. Quia decuit, ut esset aliqua in scripturis obscuritas & difficultas: tūm ne nimiā facilitate vilesceret; tūm ut ita acueretur labor, & industria fidelium ejus studiosorum; corumque consequen-

ter meritum augeretur. 4. Denique ad frangendam superbiam hominum ; quatenus ex hoc coguntur suam ignorantiam confiteri : ut videatur Psalmista innuere , Psal. 118. his verbis ; *Declaratio sermonum tuorum illuminat :* & intellectum dat parvulis.

PROPOSITIO V.

Quod si dicas , ex illa obscuritate & difficultate Scripturarum videri omnes Hæreses originem accepisse. Respondetur , hoc esse falsum. Hæreses namque potius ex hominum superbia & malitia ortæ sunt ; quam ex illa obscuritate & difficultate Scripturarum : ut ex eo maximè demonstratur ; quod nullus possit esse locus in eadem Scriptura clarius isto , quo Christus nobis significavit , se corpus suum nobis tradere in venerabili Eucharistia , dicens , *Hoc est Corpus meum* , &c. & tamen apud Hæreticos nostri temporis numerantur plusquam sexaginta diversæ illorum verborum hæreticæ interpretationes : ad quas sensum illorum verborum conantur detorquere ad suam hæresim propugnandam : juxta illud Tertul. de præscript. *Vbi semel alicujus erroris opinio invaserit :* quidquid aliter Scriptura pronunciet ; figuratum homines arbitrantur. Adde quod Deus illi obscuritati , ac difficultati providit interpretem infallibilem , nempe Ecclesiam ; quæ ad hoc & alia habet specialem assistentiam Spiritus Sancti. Ideoque ad ipsam recurrentum est : non autem debet quilibet lector privatus existimare , ut putant Hæretici , se posse ex privata aliqua assistentia , aut revelatione Scripturam intelli-

gere, ac interpretari: ut demonstrant nostri
controversistæ invincibiliter.

PROPOSITIO VI.

JAM ut præcludatur aditus cæteris quibuscumque objectionibus, quæ fiunt ab Hæreticis contra prædicta, tūm ex auctoritate Scripturæ, tūm ex sanctis Patribus; statuuntur quatuor subsequentes regulæ; quibas dissolvuntur penitus adversariorum instantiæ; ut satis patet earum inductione.

Prima regula est: Aliud esse loqui de toto corpore Scripturarum: aliud de aliqua eorum parte. Vnde quando contra obscuritatem & difficultatem Scripturarum nobis opponunt adversarii illud Deuteron. cap. 30. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi, non supra te est: neque procul possumus, &c.* facile respondemus istud de parte Scripturarum fuisse dictum: non autem de toto corpore eorum, ut notum est: nos autem non negamus, quod Scriptura aliquà parte sui sit clara & perspicua; maxime ubi præcepta aliqua nobis proponuntur, ut dictum est; & quidem non solum quoad intelligentiam, sed etiam quantum ad eorum observantiam ex auxilio gratiæ: benè autem negamus de toto corpore Scripturarum; non pro partibus singulis, sed pro aliquibus. Pari modo solvitur quod nobis objicitur ex Apostolo ad Roman. 10. *Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo: Hoc est, verbum fidei, quod prædicamus: id enim de aliqua parte Scripturarum verissimum est;* non autem de singulis. Quod si è contra lex Dei assertur obscura & difficilis; hoc non debet etiam de tota lege intelligi secundum omnes partes

ejus, sed vel de ceremoniali : quæ idcirco difficultis dici potest ; quod contineat umbras & figuræ futurorum præsignificatiæ ; vel nomine legis sumpto pro tota Scriptura ; ut aliquando accipitur : ut , v. g. Ioan. 15. ubi dicitur ; *Vt impletetur quod in lege eorum scriptum est* : non sicutque pro omni parte ejus , ut diximus.

Secunda regula est : Aliud esse loqui de Scriptura Dei in se ; aliud de ea , ut explicata ab Expositoribus sacris , de quibus dicitur ; *Qui elucidant me , æratam eternam habebunt*. Vnde ad illud quod nobis objicitur ex Psal. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum* : Et ex 2. Petr. cap. 1. *Lucerna lucens in caliginoso loco* : Respondeatur id verissimum esse de Scriptura , ut explicata ab his qui facultatem habent eam interpretandi ; de quibus infra , [intellige semper quo ad nos .] Nam in se ipsa clarissima est , & in actu primo : non autem in actu secundo , quo ad nos , secundum locos quos contendimus difficiles & obscuros ; quod satis videtur innuere illud ultimò citatum , utpotè , *Lucerba lucens in caliginoso loco*.

Tertia regula est : Aliud esse loqui de Scriptura absolute : aliud relativè seu comparative. Non enim diffitemur Novum Testamentum dici clarum & apertum comparative ad Vetus : quamvis in illo sint aliqua difficultia : ut testatur Petrus , ut ante citavimus ; & de tota Apocalypsi satis est manifestum. Idecircò quando ad versarii urgent , multa quæ in Veteri erant figuræ eorum quæ in Novo impleta sunt , & quæ ad Christum pertinent ; ut sunt , v. g. ejus venditio , flagellatio , passio , &c. nunc clara esse nobis & facilia ; non diffitemur , inquam , hæc & similia , clara nobis esse atque facilia compa-

riativè. Sed ex hoc non probatur ; quod in Novo Testamento non supersint absolute obscura multa & difficultia ; ut testatur S. August. epistolâ 3. dicens ; *Tam multa, tamque multiplicibus mysteriorum umbraculis operta intelligenda proficientibus restant.* Et certè scriptura Novi Testamenti minus obscura est , minusque difficultis, quam scriptura Veteris; sed tamen non caret absolute suis obscuritatibus ac difficultatibus multis.

Quarta & ultima regula est : In Novo Testamento inter Mysteria & sententias Scripturæ valdè esse distinguendum. Siquidem omnibus jam patent plurima fidei mysteria ex ipsa lectio-
ne eorum ; ut Christum esse natum , passum , mortuum , surrexisse è sepulchro ; cœlos ascen-
disse , &c. Sententiaz autem plures obscuræ sunt
propter interpretationum varietatem. Et ita
solvuntur quæ nobis opponuntur in hac parte
v. g. istud 2. ad Corinth. cap. 4. *Quod si oper-
sum est Evangelium ; in his qui pereunt , est
opertum : in quibus Deus hujus seculi mentes
infidelium excœavit ; ut non fulgeat illis il-
luminatio Evangelii gloria Christi.* Nam præ-
ter quām quod in hoc testimonio non agitur
de intelligentia Scripturarum , ut patet ; sed de
fide in Christum , quæ per Apostolos vivâ voce
annunciabatur multis signis atque portentis :
ita ut qui tunc non credebant , haberentur peni-
tius excœcati ; discriumen ibi Apostolus ostendit
inter Novum & Vetus Testamentum : quatenus
in Veteri homines Christi mysteria non vide-
bant nisi per velamen figurarum & umbra-
rum : quod designabat velamen super faciem
Moysi positum? Cum ea in novo revelata fa-
cie contemplemur . *Si* tamen testimonium ad-

autum de Scripturis quis intelligendum contendit? Certum est, ipsum nihil aliud probare, nisi quod Scripturæ ipsæ sint claræ, perviae, & faciles humilibus & fidelibus; qui sua humilitate, & fide magis sunt ad instructionem idonei, magisque à Deo juvantur atque illuminantur: cum è contra superbi & infideles his auxiliis priventur. Vnde fit illorum excæcatio juxta illud Matth. 11. ubi Christus sic Patri confiteretur: *Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus; & revelasti ea parvulis.* Quam nostram responcionem confirmat S. Hieron. Epist. ad Domn. ridens ipsum, quod gloriaretur, sine magistro non tantum humaniores litteras, sed etiam sacrarum litterarum scientiam didicisse. Scitus ego, inquit, qui me putaverim absque Philosophis scire non posse, &c. Et ut humana contemnam, sine causa Gregorium Nazianzenum, & Dydimum in Scripturis Catechistas habui. Nihil mihi profuit Hebreorum eruditio: & ab adolescentia usque ad hanc etatem, quotidiana in Prophetis, Evangelij & Apostolisque meditatio. Inventus est homo absque preceptore perfectus.

PROPOSITIO VII.

Similiter dicendum est de his, quæ ab iisdem Hæreticis adversus nostram sententiam obiciuntur, ex sanctorum Patrum testimoniosis; ut potè, illorum omnes instantias hinc deductas per quatuor prædictas regulas penitus dissolvit. Etenim ubicumque videntur asseruisse Scripturas esse perspicuas: vel intelligendi sunt quantum ad generalia quædam fidei dogmata: quantum ad disciplinam recte vivendi; quantum ad

partes morales & historiales ; in quibus constat Scripturam non esse difficultem & obscuram. Non autem de toto corpore Scripturarum : vel si de tota Scriptura , non in se spectata , sed ut explicata : vel comparativè, facta comparatione Novi Testamenti ad Vetus ; vel denique circa mysteria , quæ clare proponuntur in Novo Testamento ; nequaquam autem circa sententias Scripturæ ejusdem. Additur & comparatio humilium & superborum , de qua supra ; cum constet , claras dici vel obscuras ac difficiles hic Scripturas nostro respectu ; clareque principi ab humilibus ; quæ superbis obscura videntur. Immò & alia comparatio adducitur de Scriptura sibiipsci comparata , quantum ad superficiem litteræ ; & quantum ad sensū profunditatem. De quibus sic loquuntur Sancti Chrysost. & August. prior. in cap. 3. epist. ad Timoth. ait , Ne temerarii simus in scrutanda profunditate Scripturarum ; intelligentes multos latere in ea locos difficiles. Et posterior de eadem profunditate loquens , comparata cum superficie epist. 3. ad Volum. ait ; Modus , quo Scriptura Sancta contexitur ; quamvis omnibus accessibilis ; paucis tamen penetrabilis est. In quo non pugnat secum Aug. ut putant adversarii : dum sic loquitur , lib. 2. de Doctr. Christ. cap. 6. Nihil enim ferè de illis obscuritatibus cernitur ; quod non plenissimè dictum alibi reperiatur. Id enim non affirmat absolutè de omnibus , sed ferè de omnibus. Ad quam particulam adversarii non adverterunt ; nec nos negamus locum unum Scripturæ obscurum aliquando illustrari per aliud.

PROPOSITIO VIII.

EX his omnibus deducitur conclusio principalis satis hactenùs probata : utpotè Scripturam Sacram interpretatione indigere : quod hac ratione demonstratur. Cum enim constet ex jam dictis , illam esse obscuram & difficultem in pluribus locis ; & aliunde eam nobis à Deo traditam ; ut ejus voluntas nobis planè innotescat , illique obsequamur : colligitur evidentissimè ; voluisse ipsum , ut loca illa obscura & difficultia illustrarentur ; quod non sit , ut evidens est , nisi per interpretationem , quà ipsa Scriptura indiget.

ARTICULUS II.

A quo fieri debeat hæc Scripturæ interpretatio ?

PROPOSITIO I.

ASola Ecclesia Catholica potest esse authentica interpretatio Scripturarum : hoc est à solis Expositoribus sacris , qui ejus auctoritate & approbatione eas interpretantur. Istud autem ex eo manifestum est ; quòd cum interpretatio hæc nihil aliud sit , quam expositio veri sensus Scripturæ , sive litteralis , sive spiritualis ; qui solum est penes Ecclesiam , propter assistentiam Spiritus - Sancti infallibilem , quam habet ad eum declarandum , &

SCRIPTURÆ SACRÆ. 377

definiendas res fidei : ab ea solum potest esse authentica interpretatio Scripturarum , quæ fieri debet ex instinctu & afflato ac illuminacione Spiritus - Sancti , qui est auctor Scripturarum ; & qui solus potest sensum illarum , & intelligentiam communicare viris sanctis & doctis ; quos divina providentia ad hoc opus destinavit . Non utique eodem modo plenissimo , quo communicavit primis auctoribus ; alioqui interpretatio haberet eandem auctoritatem , ac textus Scripturæ , quod nemo admittet . Cum autem Ecclesia id non præstet , nisi per illos sacros expositores ; qui eas ejus auctoritate & approbatione interpretantur , rectè additum est ; interpretationem hanc esse ab Expositoribus sacris . De hoc intelligitur locus citatus , ex 2. Petr. 1. licet de prima scriptione librorum sacrorum explicitetur etiam communiter : scilicet , *Hoc primum intelligentes ; quod omnis Prophetia Scriptura propriâ interpretatione non sit ; non enim humana voluntate allata est aliquando Prophetia : sed Spiritu - Sancto inspirati locutæ sunt sancti Dei homines.* Idem confirmant sancti Patres . Nam S. Hieron. lib. 3. adversus Hæres cap. 4. ait . *Non oportet querere apud alios veritatem , quam facile est ab Ecclesia sumere ; cum Apostoli quasi in depositum dives plenissimè in eam contulerint , que sint veritatis , &c.*

PROPOSITIO II.

Pabant plures rationes ; istæ potissimum .
1. Quia Ecclesia est columnæ & firmamentum veritatis , ut ait Apost. quam regit Spiritus - Sanctus ; qui illi promissus est docturus

cam omnia: ergo & verum sensum Scripturarum docet. 2. Quia e clavibus quæ Pet ro traditæ sunt Christi Vicario , & ipsius Ecclesiæ Capiti visibili , & successoribus ejus ; una est clavis scientiæ, quam etiam habet universalis Ecclesia in Conciliis legitimis congregata : ergo verè hæc cognoscit ex assistentia Spiritus - Sancti verum & legitimum Scripturæ sensum. 3. Quia vera fides, vera doctrina , & vera scripturarum intelligentia ita sunt essentialiter connexæ ; ut ab invicem nequeant separari : si quidem doctrina id docet, quod fides credit, & scripturarum intelligentia est utriusque fundamentum ; ut colligitur ex illo Tertulliani libro de præscrip. cap. 19. dicentis. *Vbi apparuerit, esse veritatem discipline, & Fidei Christianæ ; illuc erit veritas Scripturarum & Expositionum, & omnium Traditionum.* Vnde sit, quod cum in sola Ecclesia Catholica sit vera fides veraque doctrina ; in ipsa sit verus sensus assertatus, ac proinde facultas interpretandi Scripturas authenticæ ; à qua humiliter expertenda & expectanda vera Scripturarum interpretatio. 4. Demum quia hæc vera fuit praxis & usus Ecclesiæ, ut publico ipsius judicio, si quæ essent ortæ Fidei controversiæ ; ac super sensum & intelligentiam Scripturarum ; illæ solverentur ipsius judicio : ut patet exemplo questionis motæ de legalibus & de interpretatione Scripturarum ; sicut testantur Irenæus , lib. 1. aduers. Hæres. cap. 1. & Sanc tus Augustinus Epist. 332. ad Cosent.

PROPOSITIO III.

Per quæ refellitur error Hæretorum opinantium, vel ipsas scripturas nulla indigere interpretationem; sed à quocumque facile deprehendi; quæ sint legitimæ, & ab illegitimis discerni: aut si quid habeant obscuri, posse à privatis fidelibus, ut aiunt, verum sensum intelligi: contra ea quæ supra diximus, & contra præcedentem propositionem, rationesque, & testimonia quibus innititur; & quibus frustra aliquid adderetur. Etenim si sola Ecclesia possit authentice scripturas interpretari; consequens est, hanc facultatem non competere omnibus, & privatis singulis fidelibus; quibus non fuit ulli-
bi hæc Spiritus - Sancti assistentia promissa aut concessa. Deinde esto: fuerit concessus spiritus ille aliquando privatis aliquibus fidelibus: hoc dato, & non concessso, constaret tamen, illos non habuisse eas certè interpretatos sine auctoritate atque approbatione Ecclesiæ: sine quibus, ne dictum est, & per se patet, non potest esse illa exercitudo.

PROPOSITIO IV.

Dixi de interpretatione authentica, ac proinde cui fideles omnes stare teneantur; maxime quantum ad verum & legitimum sensum litteralem, à quo eruuntur præcipua argumenta ad fidem confirmandam, ut dictum est, eamque tuendam contra Infideles & Hæreticos. Nam de sensu probabili non negamus potuisse per accidens in aliquo loco singulari

reperi: sed de hoc in hac parte non controvertitur.

PROPOSITIO V.

SI autem queratur, antequam ultro procedatur, & ex occasione illorum quæ jam dicta sunt; an sensus omnes Scripturæ, qui propter modum innumeris sunt, omnes distinctè in Ecclesia reperiantur & videntur illi probabilius respondere, qui partem negativam teneant. Etenim quamvis certum sit, multos singulares sensus Apostolis traditos illibatè in Ecclesia custodiri; de omnibus tamen & singulis nullà auctoritate, vel ratione convincimur. Satis est, si asseramus totius Scripturæ, ejusque partium singularium sensus, sive à Spiritu - Sancto specialiter revelatos, sive ab Apostolis traditos, in ea assertari; qui necessarii sunt legibus charitatis, & fidei. Quod autem spectat ad sensus questionum abditarum, quæ neque ad fidei dogmata pertinent, neque ad exponenda Mysteria occultiora, aut veritates, quæ extraditione Apostolica ad nos usque pervenerunt. Ad quid enim necessarium fuisset sensus illos assertari in Ecclesia? Cum etiam si opus esset aliquando, Deus non deesset suā infinitā prvidentiā; sed revelaret Ecclesiae suæ.

PROPOSITIO VI.

EX his ac prædictis deducitur, nec apud Hæreticos, neque apud Iudeos, eorumque Rabbinos esse veram ac legitimam Scripturarum interpretationem, non solum authenticam, verum etiam nec probabilem. Nam, si ut ostend-

fum est , in sola Ecclesia sit auctoritas interpretandi authenticè Scripturas : hoc est , cui stare tenentur fideles : immò nec probabiles interpretationes fieri possint juxta proprium cujusque judicium ; nec eo fine ; ut privatus interpres omissis mediis ad eas interpretandas necessariis intendat statuere tanquam de fide suos illos sensus effectos : consequens est ; ut nec Hæretici nec Iudei , eorumque Rabbini , hoc est , Magistri , qui extra Ecclesiam sunt ; & ipsam Scripturam suo judicio particulari interpretantur ; omissis jam dictis mediis , & ad finem mox dictum tendent .
possint habere apud se veram & legitimam scripturarum interpretationem , nec authenticam , nec probabilem.

PROPOSITIO VII.

DE Hæreticis confirmatur in primis . De his enim sic loquuntur sancti Patres . Irenæus lib . 1 . advers . Hæres . cap . 1 . Parabolæ Dominicæ , vel dictiones Propheticæ , aut sermones Apostolicos pervertere conantur ; ut figmentum illorum non sine teste esse videatur . Et Sanctus Greg . lib . 18 . Moral . cap . 14 . Laudari tanquam de excellenti ingenio cupiunt ; quasi nova quedam proferant , quæ in antiquorum Patrum Libris veteribus non penentur : sicque fit , ut dum videri sapientes desiderant ; miseris suis auditoribus stultitiae sermones spargant . De aliis taceo ; cum nec ipsi Hæretici de aliis Hæreticis invicem melius sentiant ; sed eorum interpretationes improbent , ut merentur . Nam sic de Picardis scribit . Lutherus in explicatione octavi præcepti tomœ . Nudo ingenio frexi in Scripturam irrunt .

illotis pedibus, sicut porci: tamquam sit humana scientia; adeo nullo reverentia discrimine versantur in illa. Calvinus de Lutherio, lib. 4. Instit. cap. 17. Excipiunt se verbum Dei habere, quo palam facta est Dei voluntas: nempe si illis conceditur donum interpretationis ex Ecclesia profigare, quod verbo lucem afferat; fateor illos habere verbum; sed quale atom *Anthropomorphitæ*; qui Deum corporeum fecerunt: quale Marcion & Manichæi; cum fingerent Christi corpus vel cœleste, vel phantasticum: citabant enim testimonia; primus Adam è terra terrestris; secundum Adam è cœlo cœlestis, &c. Ex quibus liquet, quam illegitima, imò & periculosa sit interpretatio scripturarum facta ab Hæreticis; quorum plerumque hæreses fundatae sunt in falsis eorum interpretationibus scripturarum. Nam Sabelliani, v. g. hunc locum Scripturæ, *Ego & Pater unus sumus: quo significatur identitas essentiæ divinarum personarum, pessimè de identitate personarum ipsarum interpretantes, negarunt realem distinctionem illatum.* Arriani citantes locum alium, ubi filius dicit; *Pater major me est: quod intelligendum est de Christo, ut homine; de eodem autem illi etiam ut Deo exposuerunt.* Macedoniani male interpretantes hunc locum Apostoli; *Spiritus omnia scrutatur, etiam profundus Dei;* negarunt Spiritum - Sanctum esse Deum, &c.

PROPOSITIO VIII.

DE Iudeis & eorum Rabbiniis, addit Tertull. lib. 3. contr. Marc. cap. 8. Hæreticus à Iudeo solet, ut aspis à viperâ mutuari

njenenum. Et Sanctus Epiphanius specialem affig-
nat rationem falsæ interpretationis ipsorum;
quod ut ait; Sint hostes infensissimi fidelium,
bellumque indixerint dilectio Dei Filio, & Spi-
ritui - Sancto. Et Sanctus Augustinus, lib. de
ver. rel. cap. 15. fideles alloquens satis con-
firmat veritatem nostræ sententiae. Fides vestra,
ait, neque in purgamentis Hereticorum, neque
in languore Schismaticorum, neque in cecitate
Iudeorum querenda est; sed apud eos solos qui
Christiani, Catholici, vel Orthodoxi nuncupan-
tur. Sed ista intellige de Rabbinis solum, qui
a Christi adventu scripsere. Nam interpreta-
tiones Testamenti Veteris illorum, qui florue-
runt, quandiu viguit lex scripta, contemnenda
non sunt: immo nec plane diffitendum est,
posse a nobis admitti aliquas recentiorum Iu-
daeorum interpretationes, in his de quibus
nulla est contentio: maximè si possint ad eluci-
dationem scripturarum conducere. Quo modo
Sanctus Hieronymus illis usus est, qui de se
humillimè fatetur in cap. 7. Osee se juxta He-
braeorum sententiam audacter magis, quam
scienter fuisse locutum. Secutus est enim ali-
quando illas interpretationes, ut expositionem
Hebraicam cum evangelica conciliaret: vel
ut per doctrinam evangelicam corrigendas il-
las hebraicas ostenderet; ubi ab evangelica
diffidebant.

PROPOSITIO IX.

CVm interpretatio scripturarum propter
tres fines istos fieri possit; utpote 1. ad
aliquid fidei dogma dubium contra hostes fidei
confirmandum. 2. Ad majorem explicationem

orum, quæ certò creduntur, atque elucidationem. Et 3. ad sensum spiritualem, non autem litteralem investigandum. Si fiat interpretatio primo fine; debet necessariò esse certa & infallibilis, ac proinde authentica; non autem si secundo, vel tertio fine. Ratio evidens est; prior namque est ad fidem statuendam vel confirmandam; non autem duæ posteriores: sed per unam solum intellectus instruitur, non fides traditur; quamvis elucidetur: per aliam autem aperitur sensus spiritualis: è quo non eruuntur communiter argumenta, ut dictum est, ad dogmata fidei defendenda. Ideoque satis est; si istæ sint probabiles. Nec mirum istud ulli esse debet: eò quod authentica interpretatio scripturæ non sic obliget; quin possimus supra sensum litteralem principalem & necessarium alios sensus invenire minùs principales, & secundarios, etiam litterales; & à fortiori spiritales, vel expositiores & elucidatorios, quantum ad fidem: vel homiliaстicos quantum ad mores: Atque ita sicut non deest in scripturis materia interpretationis; neque etiam desunt, sed multi prodeunt in dies scripturarum interpretes: ita ut hic applicet Sanctus Augustinus illud scripturæ. *Quando homo consummaverit, tum incipiet.*

PROPOSITIO X.


JAM supposito, quod sint tres modi scripturas interpretandi ex parte interpretis: primus, si eam interpretetur juxta mentem auctoris: secundus, si sequatur ipse quod circumstantia temporis non impedit: & tertius, si illud amplectatur quod à fana fide non discordat:

laudabile est, ut qui ad primum non possint pertingere; hæreant in secundo aut tertio, maximè verò & semper in hoc postremo. Quod fieri potest à privatis Doctoribus; qui in illo non excedunt limites interpretationis probabilis. Certa autem & authentica interpretatio de lege ordinaria non potest esse nisi ab Ecclesia: ex eius occasione aliquid dicendum est de interpretatione privata. Idcirco sit

PROPOSITIO XI.

QVIA HÆC privata interpretatio tribus modis potest sic esse, & dici: 1. Ex parte personæ, quæ privata est, & privato spiritu procedit; nullam habens in Ecclesia auctoritatem legitimam, neque ordinariam: qualem habent pastores; neque extraordinariam, qualem haberunt Prophetæ, cum signo aliquo evidenti. 2. Ex parte modi; ut fieret, si persona auctoritate præditâ, omissis mediis, de quibus mox dicetur art. sequent. sequeretur suum particulare judicium. Et 3. ex parte finis; nimirūm, si quis alterutram ipsarum interpretationum intendat; non solā sensus probabiles tradere, sed etiam authenticos: putâ dogma aliquod fidei dubium suâ auctoritate definire. Extra omne dubium est; duas postremas interpretationes esse omnino rejiciendas. Nam licet secunda, neque ex parte personæ, neque ex parte finis privata sit; prorsus temeraria cernitur: & tertia omnino incepta; inutilis & impia. Prima verò nisi etiam ex parte modi & finis privata sit; tolerabilis videtur; nec à Doctoribus Catholice damnatur. Sed certè nec authentica, nec infallibilis esset; cùd quod judicium de vero à

legitimo sensu scripturarum , ac perinde de fide ;
non spectat ad privatos , & auctoritate destitutos .
Quoꝝ nequaquam decuit suavem Dei providen-
tiam , hominibus permittere , ad compescendam
privatorum hominum temeritatem ; sed soli pu-
blicæ auctoritati tribuere : qualem habet Eccle-
sia , ac perinde Concilia legitima & œcumeni-
ca ; summiꝝ Pontifices , quorum vox nobis
declarat veros ac legitimos Scripturæ sensus ,
interpretationesque authenticas . Non autem
additur consensus unanimis sanctorum Patrum ;
ut sibi effingunt Hæretici ; quamvis consensus
hic sit medium efficax ad assequendam veram
interpretationem . Sed hæc singula debent ; ut
vides , intelligi de interpretatione comparata ad
nos ; quia fieri potest , ut privatus aliquis in-
terpres interpretationem faciat , quæ potest
esse certa quoad se , si nempè adhibuerit me-
dia , quæ ad illud ipsum valent perducere . Ex
quibus evidenter infertur , quantum à vero
aberrent Hæretici ; dum statuunt judicio Eccle-
siae tunc solūm standum esse , quando interpre-
ratio scripturarum ipsi scripturæ conformis est .
Tum quia implicat Spiritum - Sanctum , ex
eius assistentia declarat illa sensum esse legiti-
mum , posse aliter inspirare quam conformiter
ad ipsas scripturas ; quarum auctor principalis
est . Tum , quia repugnat , primam regulam , quæ
est hæc Spiritus - Sancti assistentia , indigere
alia regulâ superiori .



ARTICULUS III.

De mediis judicii Ecclesiastici circa interpretationem Scripturarum.

PROPOSITIO I.

ALiqua h̄ic præsupponenda sunt: tria potissimum, tam ad tituli hujus explicacionem, quam ad resolutionem quæstionis factæ in ipso articuli titulo. In primis itaque dicitur h̄ic agi de mediis judicii Ecclesiastici circa interpretationem scripturarum: quod debet intelligi, non tantum de supremo judicio, quod habet sola Ecclesia sic judicandi de veris ac legitimis interpretationibus Scripturæ, easque distinguendi ab aliis quibuscumque falsis & illegitimis, authenticis & probabilibus: sed etiam de judicio illorum, qui Ecclesiæ nomine, auctoritate, & approbatione, easdem scripturas interpretantur; ac proinde de præelectione unius sensus supra alium in ipsa scriptura interpretanda. Deinde quia, ut convenienter Doctores, Ecclesia tam in sensu scripturæ, quam in cæteris Fidei controversiis definiendis, non utitur ordinariè immediatâ revelatione; sed magnâ adhibitâ conquisitione per certa media veritatem inquirit; quibus Deo placuit annexum esse infallibilitatis privilegium eidem Ecclesiæ concessum; ut legimus factum fuisse Apostolis Actor. 15. Idcirco rectè h̄ic agi à nobis de mediis illis, quibus debet tūm ipsa

procedere in judicando seu definiendo de vero sensu; tūm ipsi expositores seu interpretes. Denique tria esse genera mediorum hujusmodi, siue ad sensum Scripturæ, sive ad aliud quocumque Fidei dogma dubium certò determinandum. Primum est causa effectiva talis determinatio-
nis; quæ est gratia Spiritus - Sancti, qui ipsam Ecclesiam docet intùs in corde operans: in quo ejus assistentia confitit; & donum interpretationis sermonum, quod inter gratias gratis da-
tas enumeratur ab Apostolo; quod Deus largitur quibus vult, & quando vult. Secundum est me-
dium probationis seu argumenti, quo syllogis-
ticè concluditur hic quis verus ac legitimus
sensus scripturæ sit; ut sunt ex S. Thom. I. p. q.
I. art. 8. ipsa Scriptura, sacra Traditio, sanctorum Patrum auctoritas, &c. Ad istud autem ge-
nus pertinent jugis & continua Ecclesiæ tradi-
tio, Summorum Pontificum ac Conciliorum de-
finitiones, & unanimis sanctorum Patrum consen-
sus in illis interpretationibus. Tertium deni-
que est certa quadam via, seu ratio, quibus
sensus ille eruitur: ut sunt collatio partium
Scripturæ inter se, observatio antecedentium
& consequentium, notitia styli, phrasium, &
idiotismorum scripturæ, linguarum peritia, &c.
Alii vocant hæc media regulas & claves, quibus
sit ingressus ad intelligentiam scripturarum; de
quibus agunt multi sancti Patres, ut Hilar. Cy-
rill. Aug. & Clemen. Alexandr. qui lib. 7.
Stro. dicit, *Hæreticos falsam solum habere cla-
rem, & clam perfozzo Ecclesiæ muro, non tam
in domum veritatis ingredi, quam eam transgre-
di, facti participes & duces mysteriorum anime
impiorum.* Quibus sic presuppositis de singulis
differendum restat. Vnde sic

PROPOSITIO II.

Primum illorum mediorum, quod ut patet, est ipsi interpretationi extrinsecum; vel ex eo necessarium esse demonstratur, tam ad veram interpretationem quæ sit à sacris Expositoribus; quam ad judicium Ecclesiæ de ipsa: quod ejusdem Spiritus - Sancti instinctu fieri debeat, ac judicari interpretatio; quo Scriptura fuit primum hominibus tradita. Et hinc est; quod interpretationem aliquam authenticam definitura Ecclesia, & fidelibus traditura precibus assiduis in primis id à Deo expostulat; quod non minus necessariò ab his præstandum est, qui ex dono Spiritus - Sancti, ut potè interpretationis sermonum, Scripturas interpretantur: sicut à viris sanctis factum est Testamenti utriusque. David Psal. 118. sic orabat Deum ad Scripturas intelligendas: *Da mihi intellectum;* & scrutabor legem tuam: Et filius ejus Salomon Sap. 8. *Dixi ex totis præcordiis meis;* da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, &c. Sanctus Hieronymus epist. ad Paulin ait; *Hoc donum Dei querunt Judei & Hæretici:* ideo legunt quidem Scripturam Sacram; sed verum ejus sensum invenire numquam possunt. Et Sanctus Aug. lib. 3. de doctrina Christ. cap. 37. addit: *Non solum admonendi sunt studiosi venerabilium litterarum;* ut in Scripturis sanctis general locutionum seiant, & quomodo apud eos aliquid dici soleat, vigilanter advertant, memoriterque retineant; verum quod est præcipuum, & maximè necessarium; orent ut intelligant. Sed nec solus orationis fervor necessarius est; qui ex fide & spe ortum habere debet, ut clarum est, de quibus ha-

betur Act. 8. *Nisi crederitis; non intelligetis etiam extenditur ad fidem charitate formatam; ac proinde bonis operibus conspicuam spem ipsam includentem; juxta illud Ecclesiastici 1. Concupisces sapientiam; serva iustitiam, hoc est, omne genus virtutum: & Dominus præberbit eam tibi.* Sed omnium præcipua vera humilitas commendatur sacro interpreti; ut colligitur ex illo Matth. 11. *Abscondisti hæc à Sapienibus: & revelasti ea parvulis.* Nec certè prætermittenda est diligens & assidua meditatio; quam Christus ipse videtur commendasse potissimum ad intelligentiam Scripturarum. Dicit enim Ioannis 5. *Scrutamini Scripturas.* Quod explicans Chrysostom. ait. *Idecirco Dominus effodere profundius jubet; ut quæ altè delitescant, invenire possimus.*

PROPOSITIO III.

Medium secundum, quod est probationis, est etiam ipsi interpretationi extrinsecum, ut patet, continens non secus ac præcedens, multa media specialia: potissimum tria hæc; traditionem Ecclesiarum, Conciliorum, Summarumque Pontificum definitiones: & Sanctorum Patrum consentientem interpretationem; ut dictum est. Quod necessarium adhuc est Ecclesiarum ipsi ad judicium de ipsa interpretatione ferendum; sicut etiam ad determinandum quocumque fidei dogma dubium; si quod de novo oriatur. Etenim revelatio fidei nova debet antiquæ fidei Ecclesiarum inniti, & veteribus revelationibus, quæ nobis per tria prædicta media innotescunt. Quod ut magis adhuc elucescat; observandum est, determinationem fidei tam circa sensum

sensum Scripturarum, de quo hic agitur solum, quam circa alia fidei dogmata, posse fieri duobus modis. 1. Si verus ac legitimus sensus aliquius Scripturæ partis, vel aliquid sit de novo determinandum, tanquam de fide, quod ante non erat explicitum omnibus fidelibus; & ad istam determinationem inutilia fuissent hæc media, cum solis Apostolis, & Ecclesiarum Magistris id solum competebat. 2. Si sensus verus ac legitimus, vel aliquid de fide alias determinatum, in dubium esset revocatum: & ad istud requirantur prædicta media. Quod autem dictum est de judicio Ecclesiæ, quantum ad determinationem legitimi sensus, debet quoque intelligi de Expositoribus; qui ut reddant hunc sensum, debent necessariò uti his mediis; si dubius sit. Nam qui primum expresserunt; solo Spiritus - Sancti magisterio id præstitere.

PROPOSITIO IV.

Circa tertium medium: Quod est proprium & intrinsecum; estque sub quo plura alia specificè continentur; tria ista maximè: primum est collatio seu comparatio loci unius Scripturæ cum alio; Novi Testamenti cum veteri. Secundum est observatio consequentium & antecedentium. Et tertium sunt peritia linguarum, styli, phrasium, idiotismorum, immò tum ipsius Scripturæ cognitio; tum etiam naturalium scientiarum comprehensio, &c. Circa istud, inquam medium; asserendum est illa tria esse tam judicio Ecclesiæ, quam ipsis Expositoribus valde utilia. Immò & ultimum esse necessarium ad Scripturas intelligendas; non utique pro singulis generum, hoc est, pro fin-

gulis vel fidelibus, vel Expositoribus; sed pro generibus singulorum: ita ut aliqui habeant in Ecclesia illam peritiam linguarum, notitiam phrasium, & idiotismorum, &c. Quæ certè probatione non indigent; cum experientia constet illa omnia plurimum juvare, tum ad interpretandas, tum ad intelligendas Scripturas. Sed adhuc hæc tria genera medium clarius innotescunt: si comparentur ad invicem. Idcirco sit.

PROPOSITIO V.

CVM primum & secundum genus includant media divina, & ordinis superioris, ut patet ex his quæ diximus, & ex eo quod divinæ auctoritate nitantur & Christi promissionibus; ex quo habent quod infallibilia sint; nemo non videt illa superare atque excedere quæ continentur in tertio genere, seu medio: utpotè puræ humana; quæ saltem per se & solitariè sumpta, probabilia potius, quam certa & infallibilia dici debent: nec per se sufficiunt ad intelligentiam Scripturarum; quidquid contendant Hæretici; ne nobiscum impellantur confugere ad Ecclesiæ auctoritatem, ac judicium. Istud clarè demonstratur vel ex hoc solum, quod media hæc sint nobis communia cum Hæreticis, qui ex his falsas omnino effutunt interpretationes; quibus falsa sua dogmata statuunt: eum Iudeis, qui his abutuntur ad eas interpretationes effingendas; quibus si possent, Christi adventum negent: cum Paganis, qui mediis illis Scripturas sic interpretantur; ut vel incredibilis reddant; vel eas penitus evitant.

PROPOSITIO VI.

Quare præsupposito, quod ista media specia-
lia hujus generis secundum se sumpta
probabilia sint solum, & incerta; utilia vero tan-
tum, ac certa, quatenus mediis secundi ge-
neris subjiciuntur; hoc est, traditioni Eccle-
siasticæ, definitionibus summorum Pontificum,
& Conciliorum, & unanimi consensui Sanctorum
Patrum. Certum est; primam speciem me-
diorum hujuscæ tertii generis, ut potè solam
collationem Scripturarum, non esse medium
infallibile & efficax; sed ut plurimum incer-
tum, & fallax, ad Scripturas interpretandas. 1.
Quia in ipsa Scripturarum collatione, sive
partis cum parte, sive Veteris Testamenti cum
Novo; non tam videtur aliquid similiter, vel
dissimiliter dictum, ex locorum aut testimonio-
rum similitudine, aut dissimilitudine; quam ex
pravo affectu & præjudicata sententia, ea con-
ferentium, seu comparantium, ut patet ex lo-
co supra citato: *Hoc est Corpus meum: quod*
ut diximus, sexaginta falsis interpretationibus
conantur Hæretici nostri temporis locum adeò
clarum detorquere ad suum Hæreticum sensum.
2. Quia neque eadem dictio, neque eadem
phrasis ubique in tota Scriptura idem sonat. 3.
Quia plura sunt loca in Scripturis quæ semel
dicta sunt; ideoque cum aliis nequeunt conferri,
&c. 4. Quia funesto constat experimento; Hæ-
reticos omnium temporum collatione illâ hal-
lucinatos errasse turpissime; ut ostensum est de
Sabellianis, Arrianis, Macedonianis.

PROPOSITIO VII.

Contra quæ, si opponas Sanctos Patres assertere, maximè Origenem, Chrysostomum, Aug. collationem hanc plurimum lucis afferre ad intelligentiam Scripturarum: Respondat tunc; illos fuisse locutos supposita auctoritate Ecclesiæ; non autem ista seclusa: ut tamen volunt Hæretici. Et in hoc sensu solùm intelligendi sunt illi Sancti Patres & alii. Origenes dūm ait, homiliā 24. in num. Facilius in Scripturis agnoscetur, quod queritur, si ea pluribus locis quæ de eadem re scripta sunt, exempla proferantur. Chrysost. homil. 3. in Genesim, afferens sacram Scripturam seipsum exponere, & neminem errare sinere: & Augustin. lib. 2. de doctr. Christi. Cap. 6. dicens; Nihil sere de obscuritatibus Scripturae dicitur, quod non alibi plenissimè dictum reperiatur.

PROPOSITIO VIII.

Non absimile de secunda specie mediorum tertii generis statuendum est: nempe de obseruantia antecedentium & consequentium in Scripturis. Ista enim quamvis ad verum Scripturæ sensum nos possint perducere, ut docent Sancti Patres, præsertim Clemens. Alex. & August. ac proinde ad legitimam interpretationem: (intellige ut subduntur mediis secundi generis:) Non tamen sunt infallibilia secundum se sumpta; ut evidenter confirmant, quæ ante dicta sunt supra, arti. 1. hujuscæ questionis, nempe quodd tota Scriptura non sit una oratio continua; multominus demonstratio methodi-

ea; sed in eodem contexu ejus, ut docet S. Gregor. lib. 20 moral. cap. 1. *Historicis mystica, mysticis historicæ permiscentur*: Sæpè fiat transitus de uno ad aliud; sæpè genus sumatur pro specie, & species pro genere: aliqua narrantur proprie, alia figuratè: aliqua præpostera, alia dicta per anticipationem, &c. Ex his evidenter colligitur, per illam inspectionem, seu observationem antecedentium & consequentium præcisè, non posse nos ad perceptionem veri ac legitimi sensus pervenire, nec veram consequenter ac legitimam interpretationem obtinere.

PROPOSITIO IX.

DEnique quantum ad peritiam linguarum, notitiam styli, phrasium, &c. quæ continent tertiam speciem hujusmodi mediorum; quæ diximus necessaria in specie, & non in individuo: negatur ista sufficere ad veram, & legitimam Scripturæ interpretationem; esseque regulam certam, ac infallibilem pro hac interpretatione (intellige præcisè secundum se spectata.) 1. Quia hæc sunt media purè humana & naturalia. 2. Quia in illis phrasibus, stylo, idiotismis, multæ sunt exceptiones. 3. Quia cum non unus, sed plures sint auctores proximi librorum bibliorum utriusque Testamenti: modi loquendi in his diversissimi sunt, innumeræ quæ propemodum formulæ. 4. Quia experientia constat, Hæreticos illa phrasium, styli, idiotismorum observatione, linguarum peritiæ, ope naturalium scientiarum, non potuisse haec nus veram aliquam interpretationem obtainere; sed erroribus plenam campingere, nec usquam

verum in omnibus ac legitimū sensū aſsequi
potuisse. Ex hoc vides, quām pugnantia scri-
bant Vitach. & Grifus, qui contendentes hæc
& similia media ſufficere; prior limitat, di-
ſens; Si cuncta legitima tradantur: Et poſte-
rior, addens; Si illa media adhibeantur ſine pre-
judicio, ſine arrogantiā, & contendendi studio.
Etenim quomodo dici potest, cuncta ab his le-
gitime tractari, ſine praējudicio, ſine arrogan-
tia & studio contendendi; qui ſacras traditiones
abſciunt; Conciliorum ac Summorum Pon-
tificum de his definitiones, ac demum Sanc-
torum Patrum in his interpretandis conſensum
unanimem.

PROPOSITIO X.

JAM si queras: quomodo ſcientiæ naturales,
de quibus dicūm eſt inter hæc poſtrema me-
dia recenſeri; poſſint huic Scripturæ interpre-
tationi inſervire: cum illa media non ſint om-
nino ſufficientia, nec infaſibilitia; cum illæ ple-
rumque erroribus ſcateant.

Respond. breviter; quia illæ inter locos
Thologicos reponuntur à Theologis, cum S.
Thoma. Nec certè huic obſtant errores illa-
rum: quia à Scriptura & Theologia corrigan-
tur: quæ ſunt ſcientiæ ordinis omnino ſuperio-
ris; lumenque iſtarum ſuperius eſt, ut nemo
dubit: non ſecus ac lumen ſensus, licet
ſæpe decipiatur; juvat intellectum in ſua in-
tellectione: à quo tamen ita ſensus ipſe corri-
gitur, ut intellectus eum in iis ſolum ſequatur.
Quæ judicat veritati conſentanea. Siquidem
ſcientiæ naturales ſe habent ad fidem, quæ in
Scripturis remanet, tanquam in organo per

quod Deus nos alloquitur, & instruit; sicut lumen sensus ad intellectum: quatenus fides est supra rationem; sicut intellectus est supra sensum. De his igitur prout ab ipsa Scriptura contiguntur; mediisque secundi generis subduntur; idem dicendum est quod de mediis aliis tertii generis hic dicta sunt.

ARTICULUS IV.

De modis interpretandi Scripturas.

PROPOSITIO I.

PRÆSUPPOSITO quod nomine modi interpretandi, nihil hic aliud intelligatur, quam ratio & ordo, seu ars, quam servant Interpretes in exponendis Scripturis; præmonendum est, ad clariorem hujuscce articuli resolutionem, & tollendam omnem equivocationem: sicut duplex dicitur interpretatio; alia lata, quæ non distinguit inter versionem Scripturæ de una in aliam linguam; & expositionem textus Scripturæ, tradendo ejus verum sensum: & alia stricta, quæ est hæc expositio: ita distinguuntur modi interpretandi in eos qui spectant ad interpretationem latè sumptam; & eos è contra, qui interpretationi strictè sumptæ proprii sunt. Priores illi modi seu artes interpretandi sex solùm enumerantur. Primus est translatio Scripturæ ex uno idiomate in aliud: de qua non agitur hic. Secundus est syllabica ratio expendi, quæ est judicatoria methodus, quæ li-

brorum indices componit ; ut sunt Concordantiae Biblicæ, Tabulæ, Repertoria, &c. Tertius est partitio ; quæ tūm dividitur totum volumen in suas partes , seu capita ; tūm colliguntur peculiares summæ illarum partium , titulis & inscriptionibus propriis. Quartus est epitome seu compendium , hoc est , summarium divinorum voluminum , verbis paucissimis comprehendens , quæ fusiū narrantur in illis ; servata integritate sacrae narrationis & sensus. Quintus est elegie , seu excerptum ; hoc est , methodus quæ excerpuntur hinc inde , ex omnibus sparsim voluminibus sacris , diversæ auctoritates Scripturæ , seu testimonia , sententia , exempla , dicta , facta , &c. sive ad fidei instructionem , & probationem factorum dogmatum ; sive ad morum disciplinam : & istius tres sunt formulæ usitatores ; ut potè specula , loci communes , & harmonia , quibus vel partes litteralis contextus ceteris accommodantur ; vel periodi similem habentes sensum , colliguntur ac notantur ; aut litteris aut notis numerabilibus. Sextus demum est lexicè seu vocabularia expositio , quæ designat grammaticam vocabulorum significacionem.

PROPOSITIO II.

Modi posteriores hoc est ; strictè sumpti , ad interpretationem scripturarum propriè dictam pertinentes ; reducuntur ad tres classes : nt patebit inductione singulorū. Prima est illorum , qui recipiunt puram textus biblici dispositionem : quæ sit , vel ordine alphabetico verborum & materiarum ; vel ordine doctrinali , qui potest esse multiplex ; non solum

pro varietate finis, quem potest interpres sibi
præfigere: v. g. statuendi dogmata fidei, aut
ea confirmandi, &c. Verum etiam attentâ
diversitate materiæ scripturarum. Hac autem
materia, si naturalis sit: possunt ad eam juva-
re, tum ratio naturalis, tum naturales scientiæ.
Ex quo oriuntur modi multiplices. Potest nam-
que scriptura sic explicari, & artificiose disponi
per omnia scientiarum naturalium genera; scilicet
per sermocinales; ut sunt Grammatica,
Rhetorica & Dialectica; ut ejus tollantur æqui-
vocationes, & amphibologiaz vocum; illarum
enim ope, v. g. exponitur in quo casu nomen
accipi debet; & an substantivæ vel adjectivæ:
elucidiantur tropi schematismi & idiotismi, pro-
prietates locutionis, v. g. Hebraicæ aut Græcæ,
figuratæ orationes, modi probationis; quæ singu-
la vix haberi possent sine illis scientiis, quæ
includunt consequenter modos illos interpre-
tandi: (intellige probabiliter solum, non ve-
rō authenticè.) Idem dicendum de physicis
disciplinis, quæ docent historiam, mores, vi-
tes ac proprietates rerum naturalium, putæ
cælorum, elementorum, lapidum, metallo-
rum, meteororum, plantarum & animalium:
de quibus loquitur aliquoties Scriptura. Idem
dic de mathematicis, quæ viam etiam aperiunt
ejus intelligentiæ naturali, & expositioni dispositivæ, secundum ea quæ ipsis sunt propria; &
de quibus etiam loquitur eadem scriptura. Sic
quæ de numeris habentur, explicat arithmeti-
ca: quæ de varia harmonia sonorum, musica:
quæ de mensuris & figuris, geometria: quæ de
motibus cælorum & planetarum, astronomia:
quæ de temporum ratione, explicando eorū
successiones, dinumerationes annotum, &c.

tum, saeculorum, generationum, &c. Chronologia: quæ de descriptione Provinciarum, Regionum, Marium, Montium, Fluviorum. Cosmographia: de his quæ ad mores humanos spectant, moralis philosophia. Si autem materia dispositivè exponenda, supernaturalis fit; ut sunt Mysteria Fidei, ac universa dogmata ejus, actusque humani, ut elevati ad ordinem supernaturalem; ad scripturæ expositionem dispositivam circa ista, multum juvat Theologia. Illis modis omnibus additur: atque ad hanc primam classem reducitur divisio Scripturæ sic interpretandæ per titulos, ac locos communes; ad quos omnia, de quibus in Scriptura agitor, tanquam ad summa capita revocantur. Tituli autem illi sunt, v.g. Deus, Christus, Deipara, Angeli, Sancti, Homo, Dæmon, falsa Numina, animalia, plantæ, metalla, lapides, &c. ex quibus Ballester Societatis Iesu suam composuit Onomathographiam, seu descriptiōnem nominum, quam distribuit in duas partes. Prior continet nomina rerum Veteris & Novi Testamenti, digesta per Alphabeticam ordinem: & posterior nomina insignium personarum cum distinctione temporum, quibus extiterunt.

PROPOSITIO III.

Secunda classis est illorum modorum, quibus Scriptura exponitur, traditione seu expressione sensuum ejus. Idcirco distribuantur hi ratione sensuum; de quibus ante dictum est. Primus, qui constituitur ratione sensus litteralis, dicitur expositio historica: quæ hunc dilucidat sensum; & hæc subdividitur in propriam & inopropriam, seu figuratam: propter sensum

SCRIPTURÆ SACRÆ. 395

proprium & impro prium , quos exprimit. Secundus fit ratione sensus spiritualis seu mystici : estque expositio declarativa hujus sensus. Et ista distribuitur in allegoricam ; quæ narrationem gestorum in Veteri Testamento ostendit in se prætulisse umbram & figuram illorum quæ in novo impleta sunt : Tropologicam , quæ gesta & dicta in Scripturis refert ad vitæ præsentis moralem institutionem : & anagogicam , quæ ad futuræ beatitudinis , & cœlestis gloriæ sublimiora mysteria & secreta sacratiora animam attollit. Qui autem sanctorum Patrum excelluerint in his modis exponendi scripturas , ratione sensum prædictorum ; cum variae ac diversæ sint auctorum sententiæ ; maximè mihi arridet quam expressit his specialibus versibus Sextus Senensis libro 3. Biblioth. sanctæ.

*Historiam Hebreis , & Græcis fontibus
haustum*

Hieronymo distes ducē.

Allegoriam anagogiamque recludent

Origenes , & Ambrosius

Exponent sensus formandis moribus aptos ,

Chrysostomus , Gregorius.

In dubiis altaque locis caligine mersis ,

Aurelius lucem seret.

At brevis & facilis non spernenda Tironi ,

Lyrensis expositio.

Prædictis modis interpretandi Scripturam annumeratur modus exponendi eas accommodatitius , qui fit ratione accommodatitii sensus : quo historiæ , seu res scriptura rebus aliis applicantur : quas constat , nec litteraliter , nec spiritualiter intendisse auctores ipsos Scripturæ

R. yj

suprà diximus. Hic autem modus exponendū appellatur expositio prophetica , quoties per eam exprimuntur , seu aperiuntur oracula Prophetarum , aut vaticinia , visiones , & typicae actiones accommodantur ad temporum mutationes , atque sacerdorum , ac regnum revolutiones , & populorum adversitates , bella , clades , &c. quæ justo quidem Dei iudicio accidunt , sed occulto : dummodo tamen constet , Prophetas illa non intendisse : ipsaque his apie applicari. Alia vocatur physica , quā verba Scripturarē accommodantur ad naturā univer- sitatem ; hoc est ad totius naturā vires & opera. Alia denique moralis , allegorica , & anagogica , si fiat extensio significationis verborum scripturæ , quæ non intenditur à suis Auctōribus ad res morales , allegoricas & anagogicas. In quibus excellunt Bernardus , Richardus & Hugo Sanct. Victore , non secūs ac Melito & Methodius Prophetica.

PROPOSITIO LV.

Sed dixi : si illæ expositiones non fuerint intentæ à Scripturarē Auctōribus ; nam si intentæ è contrà fuerint ; quis non videt ad expositiones sensus litteralis aut mystici illas expositiones , & modos earum pertinere ? Idcirco circa modum propheticae expositionis , & ad majorem istius elucidationem observandum est ; modum hunc tripliciter contingere posse. 1. Si aliqua vaticinia Prophetarum , quæ habentur in Scripturis ; vel nondum impleta sint , vel latenter nondum intellecta , referantur de his quæ Auctōres Scripturarē prænunciarunt futura ; volueruntqæ hominibus significare : Et tunc

modus-expositionis propheticæ non pertinet ad sensum accommodatum, sed ad litteralem. 2. Si vaticinia illa impleta jam sunt; & veritas eorum patet: verum quia potuerunt plura significare, etiam litteraliter; ut vaticinias hoc Ieremias; vox in Rhama auditæ est: quæ significabatur primoluætus filiorum Israël; & secundò luctas matrum in nece Innocentium, qui longo solum post tempore accidit. Modus autem iste etiam non pertinet ad sensum accommodatum, sed ad litteralem; sicut nec ipsa expositione propheticæ. 3. Si exponatur vaticinium jam impletum, quoad omnes sensus: & ista expositio accommodatitia est, sicut & modus ejus: ut patet ex dictis haecens. Nec modus hic illigitus est; si in eo serventur regulæ suprà traditæ de sensu accommodatatio; & non sit contrarius expositionibus sanctorum Patrum.

PROPOSITIO V.


Tertia denique classis est eorum modorum interpretandi sacras Scripturas, qui sunt ratione styli, seu formæ scribendi; qui alicuius nomine dicuntur methodi seu expositiones diversæ: de quibus singulis non dicemus hic, sed de notioribus & principalioribus, cum Gravina & Sixto Senensi, & Dominico à Sancta Trinitate.

Prima hujusmodi methodus seu expositione est, & dicitur *Stigmatica* seu *Punctuaria*; quæ ex legitima positione punctorum, ac virgularum versus habetur, ac legitimus scripturæ sensus, tolliturque æquivocatio: hic autem expositionis modus sic necessarius est; ut Concilium Aquisgran. Canon. 3. asserat, multa esse in scripturis, quæ nisi proprio modo significantur ac pro-

nuncientur, in contrariam sententiam recidantur ut probari posset exemplis innumeris. v. g. Arriani ne cogerentur fateri Verbum esse Deum ex primo cap. Ioan. post hæc verba, Deus erat, virgulam ponebant; ne diceretur Deus erat Verbum: addentes post virgulam, Verbum erat apud Deum. Similiter aliqui verba Christi ad Latronem diverso à nobis modo verba Evangelii distinguentes, dicunt: Ego dico tibi hodie, posita virgula post hanc vocem hodie, & verba alia separante, mecum eris in Paradiso, quæ diversum omnino sensum reddunt. Ut patet unde mirum non est; si Sanctus Hieronymus addat in cap. 3. ad Ephes. Singulas voces, litteras & apices & puncta in divisionis litteris plena sensibus esse.

Secunda est notariaca, quæ per notas aliquas characterum, linearum aut punctorum appositas sacris Scripturis vel insertas, rationem demonstrat sensuum latentium, verborum, ac sententiarum. Istius usus frequentissimus fuit maximè apud Græcos expositores; præsertim in Testamento Veteri. Notæ autem illæ aliæ erant litteratae, illitteratae aliæ.

Tertia est Paraphrastica, quæ narrationem Scripturæ unam in aliam vertit ei proportione aliqua correspondentem; sive implendo quæ sunt hiantia: sive addendo, quæ desunt; sive explicando quæ paululum obscura videntur. Hæc autem duplex est: alia pressior & strictior; ouæ nihil aliud est quam liberior quædam translatio: alia fusior & latior; quæ fusiori ac elegantiori oratione idem præstat, quod præcedens. Duæ adhuc recensentur species hujuscæ methodi, seu expositionis: prior magis sensum verborum, quam verba curat: posterior



è contra, non patitur ullum verbum transponi, immutari, aut transmitti; sed illa ita intertextit: (unde intertexta appellatur;) ad hoc, ut lucidior resultet narratio, ex hac diversa dispositione verborum.

Quarta est *scholiastica*, hoc est glossalis, quæ brevibus interpretationiculis illustrantur, quæ in scripturis paulò obscuriora deprehenduntur, vel magis insignia; notulis alphabeticis, vel alitis dictionibus interjectis; quæ indicent locos annotationum correspondentes locis ipsius scripturæ. Dicuntur autem istæ glossæ marginales, si fiant ad marginem textus scripturæ; & interlineares, si fiant inter ejusdem lineas.

Quinta est *Commentaria* seu *Commentativa* seu *commentatio*; quæ est brevis scripturæ explanatio annotatione copiosior; in qua colliguntur quæcumque quis, vel ex quotidiana lectione accepit, vel ex propria inventione excoigitavit, ad paranda volumina ampliora.

Sexta *Sciographica*, seu umbratilis & picturælis: quæ ea quæ non tam facile verbis exprimi possunt; per varias delineationes imaginum, & figurarum clarius ostendit; qualis est, v. g. *Geographica descriptio Palestinæ*, structure Tabernaculi Mosaici, & Templi Salomonis.

Septima est *Tabellaria*, seu columnaris: sic dicta quod duabus tabellis, seu columnellis ita in eadem pagina artificiose digestis, ut in prima continetur scripturæ textus grandiusculis litteris: & in secunda, verba expositionis minoribus characteribus: sic autem, ut duo illæ sic sibi invicem corraspondeant.

Octava est *Enarrativa*, quæ publicè populo exponuntur Sacrae Scripturæ. Dividitur hæc in homiliam, seu tractatum, seu familiare collo-



quium; & declamationem. Prior est explanatio familiaris Scripturæ ad piebem; ut hæc tūm instruantur, tūm etiam inducentur ad bene operandum: cuius adhuc tres species recensentur nemp̄ præparatoria, didactica seu doctrinalis, & parænetica, id est, adhortatoria. Posterior quæ & concio vocatur, est styli elegantioris, tūm in virtutibus commendandis, tūm in vitiis reprehendendis.

Nona est *Collativa*; quæ scripturam familiaribus & multis colloquiis exponit, ac dialogis. Ista duplex est: scilicet alia continua, in qua unus perpetuò loquitur, referens colloquium vel à se, vel ab aliis factum; jungensque per particulas inquam, inquit, aut similes, interrogata & responsa eorum, qui colloquentes introducuntur. Et alia interrupta in qua inducuntur personæ invicem colloquentes, & Tex-tum sacrum examinantes, & exponentes.

Decima est *expositio affectiva*, seu meditatio: quæ eo fine scriptura exponitur; ut excitetur affectus legentium ad desiderium ardens cœlestium bonorum.

Vndecima est *Poëtica*; quæ, ut patet, carminibus, seu versibus scriptura explanatur. Vnde & *metrica* seu *carminea* quoque appellatur. Versibus si prosæ admisceantur, ut à Boëtio factum est in libro de Consolatione Philosophiæ; Proso-carminea, & Proso-metrica adhuc vocatur.

Duo-decima est *Epistolaris*: quæ exponuntur scripturæ per mutuas duorum aut plurium litteras, seu epistolæ: quibus de difficultatibus eascum tūm consulitur, tūm respondetur; ut fac-sum est à Sanctis Hieronymo & Augustino.

Dicitma-tertia est *Inquisitoria*: quæ per investigationem & solutionem difficultatum,



plicat scripturam. Hujus tres species enumerantur. Prima est problema: in quo nihil totaliter resolvitur; sed difficultas relinquitur examinanda, ac discutienda. Secunda est, quæstio; in qua cum certa assertione, & simplici brevitate, respondetur ad difficultates propositas. Et tertia disputatio; in qua de aliqua parte scripturæ differitur, vel ad statuendam veritatem ejus, contra negantes; vel ad exercendas ingenii vires adhibitis contrariis utrinque argumentis, fidelium, utpote & Hæreticorum.

Decima-quarta est *Collectanea*: quæ interpres, vel verba & sensus aliorum auctorum desumit: vel sensus solum & non verba in proprium usum convertit. Hujus similiter tres species sunt. Prima dicitur Rapsodica seu Stromatica narratio, seu stroma: estque expositio scripturæ ex variis auctorum compositionibus coalescens in unum coacervatis; quantum ad sensus, clausulas, &c. absque ulla verborum immutatione. Et ista in tres etiam species subdividitur, nempe in agiographicam, quæ consistit in collectione verborum, & sententiarum scripturæ, & in reductione in corpus unum, ubi exponuntur obscuriora per locos apertiores: in ecclesiasticam, seu cathenam quæ ex scriptis Patrum scripturas explicat verbo - tens collectis. Horum si supprimantur nomina, dicitur anonyma; si econtra citentur, paronyma; & demum in ethincam quæ est similis expositio ex dictis, & sententis Gentilium. Secunda species est syllemma; hoc est, collectio sensuum ex diversis commentariis expositorum. Et tertia species est abbreviatio, quæ explanationes prolixiores scripturæ in summam, seu compendium restringuntur, dilucidata tamen brevitate; ut fa-

ciliis, & absque temporis dispendio legi possint.

Decima-quinta est *Coacervatio*, quæ duplex est: altera accumulatio sensuum pro elucidatione loci alicujus scripturæ obscurioris; utsique litteralis, allegorici, anagogie, aut tropologicí: altera est aggregatio auctoritatum, seu testimoniorum ad enodationem alicujus loci scripturæ propositi, adducendo illas auctoritates in unum contractas; quæ, si obscuræ fuerint, interpositâ novâ expositione interpres ediscerit.

Decima-sexta est *Thematica*; quæ aliquas scripturæ partes speciales earumque expositiones interpres applicat ad peculiaris alicujus argumenti tractationem, ostendens singula quæ hinc spectant, in scriptura inveniri, quasi in tabella aliqua. Sic Philo vitam Sapientis in persona Abrahami depingit per doctrinam: & Sanctus Ambrosius per actiones ejus è scripturis de promptas.

Decima-septima est *Scholastica*; cuius species sunt quæ in scholis hactenus fratre usitatores: decem recensentur à Sixto Senensi, nempe, Concordantia, Dictionaria, Historia, Postillæ, Quæstionaria, Lectura, Compendia, Sermonaria, Metrica, & Meditationes. Quæ singula explicantur ab ipso lib. 3. Bibl. Sanctæ Parag. de Scholast. Methodo.

Decima-octava & ultima est *Elementaria*, quæ versatur circa significationem simplicium clementorum, seu litterarum. Verum quia litteræ duos usus habent; alterum quod syllabas, & dictiones componant: & alterum, quod numeros indicent, ut patet apud Latinos, I. significare unitatem V. numerum

SCRIPTURÆ SACRÆ. 403

Quinarium, X. 10. L. 50. C. 100. & M. 1000.
Ecce inde sequitur in duos modos explicandi distributioni hanc expositionem, de quibus consule prædictum Sixt. Senen. lato eit. Solùm moneo de ea non esse intelligendum illud Matth. 5. *Iota unum, aut unus apex non præteribit à lege;* ut falso sibi effingant aliqui; sed de legis universæ observatione perfectè implenda usque ad levissima & minima quibus renemur.

Ad hoc namque tendit hæc nostra Scripturæ Sacræ notitia; ut hanc legant Fideles; facilius capiant; & quæcumque Deus in ea nobis præscribit, fidelissimè observent: ut à me exigit mei instituti ratio, & quæ meorum est summa votorum. Hactenùs de ipsa Scriptura in genere dictum est, in hac prima parte, quam iterum Deo Optimo Maximo appendo humillimè, & censuræ Sponsæ ejus matris Ecclesiæ iterum subjicio. De eadem Scriptura in specie dicetur Deo dante duabus partibus subsequentibus. Sit ipse benedictus in secula.

FINIS.

2013.12.31.28

██

Approbatio Doctorum.

EG O infrà-scriptus, Sacrae Theologiae Professor Regius in alma Universitate Tolosana legi accurate & diligenter examinavi opus, cui titulus est *Notitia Scriptura Sacra Auctore R. P. Arnal. Milhet Congreg. Doctr. Christ. Doctor. Theol.* eumque librum censeo nihil habere rectæ Fidei, aut bonis moribus contrarium; sed sacrae eruditionis plenum esse; & in primis utilem ad Sacrae Scripturæ notitiam brevi facilique methodo lectoribus ingerendam. Datum Tolosæ die 9. Februarii 1687.

IOANNES G I S B E R T, è Sociorato Iesu, deputatus ad revisionem operis ab illus- trissimo Francia Cancallario.

UNIVERSALEM Scripturæ Sacrae notitiam, summa cum animi voluptate percurri; nec mihi aliquid sacræ doctrinæ occurrit dissentaneum, sed omnia tanto scriptore consentanea, Cherubinum dixerim, custodiæ Paradisi præfixum, qui beatificæ scripturæ ædem flammæ Theologici sermonis, gladio versatili defendit adversus omnes Heterodoxos; nec tamen Orthodoxis aditum prohibet, sed brevem & facilem viam aperit, & per arborem scientiæ boni & mali ad immortalem ligni vitæ fructum introducit. Ideoque hanc methodum dignam censio,

ut à veris sapientiæ amatoribus teratur , quā ad
vitales immortalitatis succos prælibandos dedu-
ci valeant. Datum Tolosæ dic 22. mensis Au-
gusti , anni 1687.

F. MATTHÆUS DANROS , Doctor
Regens Augustinianus.

Non potuit mihi non allubescere opus ad
mores Christianorum instruendos maxi-
mè idoneum , cum nihil nisi sacrum & sanctum
sapiat , nihil nisi divinum pertraet : non po-
tuit mihi non arridere & probari , cum ipsius
operis Auctor sit Doctor omni scientiarum ge-
nere clarissimus. Siquidem perplurimos annos
in Collegio Squillano Tolosæ primario , sum-
mo omnium applausa , & numero discipulo-
rum undequaque confluentium concursu , abstru-
siora Philosophiæ Thomisticæ arcana summa
animi sagacitate enodavit. Intricatissima Theo-
logiæ scholasticæ mysteria in solemnioribus
Academiæ Tolosanæ disputationibus , totâ mi-
rante & plaudente Schola Thomistica , tûm ar-
gumentando , tûm respondendo , sèpè sèpiùs ut
alter Thomas enucleavit. Vnum ad ipsius lau-
dem & perfectam nominis commendationem
deesse videbatur ; nempe , ut qui in Philoso-
phia & Theologia versatissimum fese exhibue-
rat , glorioso sacri scriptoris titulo insigniretur.
Hanc ergo sacram sibi lauream demeruit , dum
in lucem edidit opus , cui titulus est , *Notitia
Scripturae Sacrae*. Illud summâ animi voluptate
perlegi , nihilque in ipso deprehendi , quod
non sit Fidei & bonis moribus omnino consa-

sum. Illud ergo opus , ex ipsa rerum sacrarum ,
quas pertractat , dignitate , & ex auctoris erudi-
tione commendandum , dignum judico , quod in
bonum publicum prælo mandetur : Sic sentio.
Tolosæ die 23. mensis August. ann. 1687.

RIVALIER, Doctor Theol. Congr.
Doctr. Christ.

*Licentia Rever. admodum Patris
Generalis.*

EGO Thomas Chevalier Præpositus Gene-
ralis Congreg. Doctr. Christ. facultatem
concedo ; ut liber cui titulus est , *Notitia Sacre
Scripture à Rev. Patre Arnaldo Milhet* , ejus-
dem nostræ Congreg. professo typis mandetur ;
si prius duorum ex eadem nostra Congregatione
Theologorum judicio probetur. In quorum si-
dem has litteras manu meâ subscriptas & officii
mei sigillo munitas dare feci. Parisiis in domo
nostra S. Caroli , die 4. Sept. ann. 1685.

THOMAS CHEVALIER, Generalis
qui suprà.

DE mandato admodum R. P. Thomæ Che-
valier nostræ Congregationis Doctrinæ
Christianæ Præpositi Generalis perlegi librum
inscriptum *Notitia Sacre Scripturæ* cuius Auctor
est R. P. ARNALDUS MILHET ejus-

dem nostræ Congreg. Doctor Theologus ; in quo libro nihil contra Fidem inveni ; sed convenientem proposito argumento eruditionem , cum eo rerum ordine conjunctam , eaque methodo , quæ materiæ tam gravi totque difficultatum umbris involutæ miram afferant perspicuitatem. Quare omnium Scripturæ Sacrae studiorum , ut votis , sic utilitati consultum fore non dubito , si hoc opus in lucem prodeat. Datum Parisiis in domo nostra S. Iuliani , die octavæ mensis Octobris , ann. 1685.

LEFRANÇOIS , Congr. Doctr. Christ.
Sacerdos.

V Isâ Approbatione Doctorum permittimus hunc librum typis mandari. Tolose dic
23. August. ann. 1687.

DE CATEL , Vic. gen.

Privilége du Roy.

LOVIS , PAR LA GRACE DE DIEV ,
Roide France & de Navarre , à nos Amez
& Féaux Conseillers les gens tenans nos Cours
de Parlement , Maîtres des Requêtes ordinaires
de notre Hôtel. SALUT. Le Père Arnaud
Milhet de la Congregation de la Doctrine Chré-
tienne , Nous a très humblement fait remon-
trer : qu'il a composé un livre intitulé , *Notitia*
Scriptura Sacra , qu'il désireroit faire imprimer

& donner au public ; ce que ne pouvant faire sans notre permission , il nous a tres humblement fait suplier de la lui vouloir acorder , & nos Lettres sur ce nécessaires. A ces causes voulant favorablement traiter l'exposant , nous lui avons permis & accordé , permettons & accordons par ces présentes de faire imprimer ledit livre , par tel Imprimeur ou Libraire , en tel volume , marge & caractères , & autant de fois que bon lui semblera pendant le tems de six années consecutives , à commencer du jour qu'il sera achevé d'imprimer , icelui vendre & distribuer par tout notre Roiaume : Faisons défenses à tous Imprimeurs , Libraires & autres , d'imprimer , faire imprimer , vendre & debiter ledit livre , sous quelque prétexte que ce soit , à peine de confiscation & d'amende , comme il est plus amplement contenu dans les lettres , données à Paris le 3 d'Avril , l'an de grace , 1687. Et de notre Regne le quarante - quatrième.

Par le Roi NOBLET.

Registre sur le Livre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris le 13 May 1687 : suivant l'Arrêt du Parlement du 8 Avril 1653 , & l'Edit de Sa Majesté donné à Versailles au mois d'Août 1686 ; à la charge que le debit dudit livre se fera par un Imprimeur ou Libraire , au desir des Statuts , Arrêts , Règlements & Edit de Sa Majesté du mois d'Août 1686 .

I. B. COIGNARD , Syndic

Et le R. P. Milhet a transporté son privilége au sieur Guillaume-Louis Colomyez , Imprimeur du Roi & Marchand Libraire Iuré de l'Université de Toulouse .

Le premier Volume a été achevé d'imprimer pour la première fois le 30 Septembre 1687 .



